Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Marc-Antoine Muret

M. Antonii Mureti Presbyteri, I.C. Et Civis Romani, Oratoris Ac Poetae Clariss. Orationes, Epistolae, Hymnique Sacri

[1]

Editio Nova, Correcta Et Locupletata, iuxta editionem postremam Ingolstadianam, Lipsiae: Grosius, 1620

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666/phys_0001
DFG

Gr. 638 p. 7to
Ep. Vit. 613 p.

1715.

Cy-3092.
Ae-3227.

Sum ex libris A.
Apostatis Vitis Respicies Me; Rostoch: Megal.
Amoenitatum Lit.
1675 mense Nov.
Dicitur in Vitis arvis est hospitium
ineipe perfidies auxiliante Deo.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666/phys_0002
DFG

M. ANTONII MURETI PRESBYTERI, I.C. ET CIVIS ROMANI, ORATORIS AC POETÆ CLARISS.

ORATIONES, EPISTOLÆ, HYMNIQVE SACRI.

EDITIO NOVA,

CORRECTA ET LOCUPLETATA juxta editionem postremam Ingolstadianam.

Cum gratia & Privilegio ad decennium.

LIPSIÆ,

Impensis GOTHOFREDI GROSII, Bibl.

ANNO M. DC. XX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778723666/phys_0004
DFG

SCIPIONI GONZAGÆ MARCHIONI ET S.R.I. PRINCIPI.

MARCVS ANTONIVS MVRETVS S.D.

OFFERO tibi munus, SCIPIO GONZAGA, si aut ex sua, aut ex tua dignitate spectetur, perexiguum; si ex viribus meis, mediocre; si ex animo, magnum. Orationes quædam sunt, varijs à me temporibus habitæ: quas, cùm partim dispersæ atq; errantes vagarentur, partim apud me in adversarijs neglectæ jacerent, nunc in vnum corpus collectas vt edi ac divulgari paterer, amici quidam, multò mei, hac quidem in parte, quàm par est, & quàm

ego ipse vellem, studiosiores, impulerunt. Satis superq; fuerat, earum partim in scholastico pulvere, atq; in illis eruditorum hominum umbr âculis, non tantùm recto, vt dicitur, stetisse tâlo, sed plausum etiam & προπεμπτικὸν tulisse: partim in illo consessu, quo nullum habet terrarum orbis augustiorem, & silentio auditas, & principum virorum testimonio commendatas fuisse. Superârat fortuna spes meas: quam sæpius sine caussa experiri, negant esse sapientis. Neq; nescius eram, morosiora ac difficiliora esse legentium, quàm audientium, judicia: sæpeq; accidere, vt, quæ audientes mirabamur, eadem legentes rideamus. Sed quid facerem? Cupienti mihi jam latere, amici obstiterunt; quibus parendum fuit: ne, si in negando pertinax essem, superbiæ deniq; id potiùs, quàm modestiæ, adscribere.

beretur. Cùm igitur inibi esset, vt ederentur, libenter arripui occasionem diu optatam inscribendi tibi, vt nunc fit, aliquid depromptum ex studijs meis, eademq; opera testificandi & judicij de te, & mirifici cujusdam amoris erga te mei. Verè enim hoc dicam, SCIPIO, cùm omnes, qui te nôrunt, ita te ament, vt eorum nemo sit, qui se studio atq; observantia tui cedere cuiquam putet; ego tamen mihi videor diuturna & accurata notatione & observatione earum rerum, quæ te vsq; eò omnibus amabilem reddunt, singulare quiddam præter cæteros περιουσίαν. Quid est enim, quod ad conciliandas ac devinciendas hominum voluntates valeat, quin id in te omni ex parte perfectum reperiatur? Nihil hîc de summa atq; antiquissima gentis vestræ aut nobilitate, aut potentia dicam: nihil de toto

illo genere bonorum, quod ita tuum est, ut & aliorum sit. Alios & ista amatores habent. Ego in te nihil amo, nisi te ipsum. Ita q; vt ille Rex potentissimus ex amicis suis aliũ dicebat esse φιλοβασιλέα, alium φιλαλέξανδρον: ita tu, alios esse, qui & alia in te ament, me planè & ex animo φιλοσκιπίωνα esse tibi persuadeas licet. Ac te ipsum cùm dico, ne illã quidem dico & oris & totius corporis dignitatem, quæ tibi omnium elegantiorũ hominum animos primo statim adspectu conciliat, constituens, quoad ejus fieri potest, ante eorum oculos, & ingenium, & mores tuos. Quamvis enim verè dixit nescio quis Poêtarum, gratiorem in pulchro corpore esse virtutem: ea tamen est in te veriorum ac solidiorum bonorũ copia, quæ te his secundæ, vt ita dixerim, notæ bonis censeri non sinat. Ingenium excellens, &

in

in quo, tanquam in pingui ac feraci solo, omnes te dignæ artes ita facilem comprehendant; vt eas non ab alijs accipere, sed ex teipso parere ac proferre videaris. Quo tu vsus ita vt decuit, à Græca Latinaq; lingua intelligentia, à Poetarum, Historicorum, Rhetorum cognitione ad Philosophiam, & ad eam, quam tibi ab ineunte ætate proposueras, quæq; tibi nunc in amoribus ac delicijs est, Theologiam ea celeritate properâsti, vt, quæ honoris ac dignitatis præmia confecto studiorum curriculo tribui ac decerni solent, ea tu nunc meritissimò consecutus sis, cùm adhuc maturum videri poterat, de animo ad illas graviores disciplinas adjiciendo, cogitare: Atq; vt istius generis ingenium nunquam ita esse otiosum potest, vt omnino nihil agat: quod tibi dabatur à severioribus studijs exce-

pti ac subsecivi temporis, eo tu, quasi ludibundus, eas artes, in quibus ingenui adolescentes exerceri olim Athenis solebant, ita omnes didicisti, itaq; te in eis exercuisti, vt in earum qualibet cum summis artificibus comparari facilè possis. Quid nunc ego mores illos tuos planè, vt Poetæ loquuntur; aureos laudem? Potuitne quisquam vnquam bonus tecum biduum vivere, tuaq; suavitatis partem aliquam gustare, quin, vt sibi totam ætatem tecum exigere liceret, optaverit? ita tu, quod rarissimi exempli est, summam integritatem vitæ, cum summa comitate ac facilitate copulâsti. Seà nolo nunc plura de te: ne ipsi tibi molestus sim. Equidem cùm de scriptis meis non magnoperè laborare soleam, tamen hunc librum præcipuè cupio & celebrari nunc, & ad posteros pervenire: vt

exstet

exstet aliquod testimonium judicij de singularibus tuis virtutibus mei. In quo ne fortè quis eorum, qui te non nôrunt (Nam de ijs, quibus tu notus es, nihil tale metuo) assentationi & consuetudini datum esse aliquid suspicetur; DEUM immortalem testor, nihil vnquam à me verius, magisq; ex animi mei sententia scriptum esse, quàm ea, quæ de tuis laudibus scripsi. A te peto, vt me ames: quo me ipsi mihi efficias cariorem. Vale. ROMÆ Kalend. Maij. M.D.LXXI.

INDEX ORATIONUM.

I. De dignitate ac præstantia studij Theologici. 1

II. De laudibus literarum. 13

III. De vtilitate ac præstantia literarum humaniorum, adversus quosdam earum vituperatores. 25

IV. De Philosophiæ & eloquentiæ conjunctione. 36

V. Pro Francisco II. Rege Galliarum, ad Pium IV. Pont. Max. 54

VI. Pro Antonio Borbonio Rege Navarræ ad pium IV. Pont. Max. 64

VII. De Moralis Philosophiæ laudibus, cum inciperet explicare libros Ethicorum. 75

VIII. De Moralis Philosophiæ necessitate, cùm venisset ad eam partem, in qua de temperantia agitur. 88

IX. De Iustitiæ laudibus. 99

X. De sui cognitione, deq; omnibus humani animi facultatibus. 107

XI. Pro Alfonso II. Duce Ferrariæ, ad Pium IV. Pont. Max. 120

XII. Pro

XII. Pro eodem Alfonso ad Pium V. Pont. Max. 135.
XIII. Pro Carolo IX. Rege Christianissimo, ad Pium V. Pont. Max. 147.
XIV. Pro Sigismundo Augusto, Rege Poloniæ, ad Pium V. Pont. Max. 165.
XV. De toto studiorum suorum cursu, deq; eloquentia ac cæteris disciplinis cùm Iurisprudentia conjungendis; cùm inciperet publicè interpretari Pandectas Iuris civilis. 181
XVI. Cur ad munus docendi, quo se sponte abdicaverat, revocatus sit. 188
XVII. De Doctoris officio, deq; modo Iurisprudentiam docendi. 192
XVIII. De auctoritate & officio Iudicum, cùm inciperet interpretari titul. de Iudicijs. 201
XIX. In reditu ad vrbem Marci Antonij Columnæ, post Turcas navali prælio victos. 209
XX. In funere Pij V. Pont. Max. 225.
XXI. De via & ratione ad eloquentiæ laudem perveniendi: cùm in eloquentiæ Doctoris locum suffectus M. Ciceronis Tuscul. Quæst. explicaturus esset. 237
XXII. Pro Carolo IX. Galliarum Rege Christianissimo, ad Gregorium XIII. Pont. Max. 245.

XXIII. De

XXIII. De vtilitate, jucunditate ac præstantia literarum. 255.
XXIV. In funere Caroli IX. Galliarum Regis 273.
XXV. Ad Gregorium XIII. Pont. Max. pro Henrico III. Galliæ & Poloniæ Rege, quem à rebus in adolescentia præclarè gestis laudat, &c. 288.
XXVI. In funere Pauli Foxij Archiepiscopi Tolosani, & Galliarum Regis ad Sedem Apostolicam Legati. 288.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666/phys_0014
DFG

Ad

M. ANTONIUM MURETUM PRESBYTERUM I.C. & Civem Romanum, Oratorem & Poëtam Clarissimum.

RHETORA te tantum si secula prisca tulissent,
Iam jam immortalis lingua diserta foret.
Secula si tantum novissent prisca poetam,
Iam jam immortalis Musa canora foret.
RHETORA sed postquam simul hæc genuêre poetam
Secula, noster eris Virgilius, Cicero.
Te tua posteritas Ciceronem sæpe vocabit:
Teq; ut Virgilium mente manuq; teret.

ALIUD.

Delitiæ, Veneres, gravitas simul, ac majestas,
Miscentur scriptis, docte MURETE, tuis.

ALIUD.

Tantus es Orator, tantumq; Poeta, MURETE,
Vt possis dici, Tullius atq; Maro.

M. AN.

M. ANTONII MVRETI, &c. TVMVLVS.

HIc Marci caros cineres Roma inclyta servat.
Quos patria optâsset Gallia habere sinu.
Sedet colle hortorum tumulus stat proximus astris.
Quæ propius puro contigit ille animo.
Tu sacros laticis lacrumans asperge viator.
Et dic HEV LINGVÆ HIC FVLMINA FRACTA LACENT.

Obijt Anno Dom. clɔ. Iɔ. Lxxx.
Ætatis suæ, LX.
XV. Kalend. Quintil.

Chri-

Christiano Lectori S.

CVm Serenissimus P R. Saxoniæ Elector, &c. Dominus noster Clementissimus, Gothofredo Grosio Bibliopolæ Lipsiensi, Privilegium speciale, quo M. Antonij Mureti Orationes & Epistolas, cùm adjunctis Epigrammatibus & Hymnis, in Serenis. ipsius Celsitatis Provinciis, divulgare typis & divendere ei gratiosissimè permittitur, singulari clementiâ indulserit; Et verò scriptis illis, per Autorem Pontificium, admixta reperiantur quædam, manifestis Romanensis Ecclesiæ erroribus imbuta: Admonendum putavimus statim in hoc vestibulo, Lectorem Christianum; operis hujus editione nõ Religionis quæri veritatem, quâ aliunde hauriendam synceræ pietatis studiosi nôrunt; sed puritatem & elegantiam Orationis Latinæ; quam etiam in rebus factisq;

factisq; minimè probandis; quoties de iis, aut dicendi aut scribendi, vel occasio, vel necessitas sese offert; negligi non oportet. Quicquid igitur in hoc volumine, à synceriori Evangelicâ veritate alienum reperitur, eo neq; pius Lector offendatur, neq; exultet temerè Pontificius; quasi ejus videamur opinioni, per hanc editionem, ullo modo suffragari. Cæterùm uterq; ut rectè valeat & sapiat, ex animo precamur. Lipsiæ V. Idus Novembris, Anno 1619.

JO. FRIDERICHUS,
Linguarum & Historiarum
Professor.

M. ANTO.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666/phys_0018
DFG

M. ANTONII MVRETI PRESBYTERI, ET CIVIS ROMANI.

De dignitate ac præstantia studij Theologici.

ORATIO PRIMA.

HABITA LVTETIÆ PARISIORUM Non. Feb. cIↃ. IↃ. LII.

CUm omnes mihi singulari quadam, ac precipua laude digni videntur, qui in assequenda honestarum artium scientia operā & industriam suam collocant, tum ij precipuè qui veluti majore quodam numinis afflatu perculsi, cæteris omnibus posthabitis, ad diuinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes suas, atque omnia studia contulerunt. Nam si eorum omnium, quæ in hac immensa rerum universitate cernuntur, vnumquodque naturali perficiendi sui desiderio tenetur:

& animus noster ad similitudinem divinitatis effictus tanto perfectior est, quanto propius ad illud, ex quo ductus & propagatus est, exemplar accedit: dubitari profectò non potest, quin ea sit omnium praestantissima facultas, quae quoad esse fieri potest, cum humanis divina copulando, mortalitatem nostram, quantum illius imbecillitas patitur divinae naturae arctissima colligatione devincit. De illius mihi facultatis laudibus, hodierno die, demandatum est vobis, quorum & apud me plurimum valet, & apud omnes peraeque valere debet auctoritas, non ut eas quidem singillatim percensere omnes, ac flore orationis convestire conarer, (quod & imperare iniquum esset, & suscipere temerarium) sed ut ex earum innumerabili copia pauca quaedam seligerem, de quibus ex hoc amplissimo loco, vobis audientibus explicarem. Quae de re cùm mecum initiò ageretur, refugiebam equidem tanti oneris magnitudinem, veritus ne mihi de me contingeret quod nobili olim sophistae apud Annibalem de rebus bellicis longa accuratáque oratione disputanti contigisse dicitur: si homo adolescens, & cùm à ceteris rebus satis tenuiter instructus, tum in hoc genere penitus rudis, inter tot eruditissimos viros, ad dicendum de rebus divinis aggrederer. Illud etiam me commovebat, quod praeclarè à Platone scriptum noveram, orationi, & iis rebus, quae oratione tractantur, quandam inter se cognationem intercedere oportere, ex quo facilè intelligebam consequi, ut ad res divinas pro dignitate tractandas divinum quoddam requireretur orationis genus.

At

At ista quidem, re adhuc integra, fortassis majore quadam cautione providenda fuerant: nunc quidē jam semel altum ingressis, quæ nos cum, tempestas exceperit, vela nimirum facienda sunt. † Illud modò antequam ulterius provehar, à vobis summoperè contendo, ut quando omne mihi perfugium in vestra bonitate ac clementia situm est, tenuitatem meam vestro favore, & silentio sublevetis, quò mea oratio his veluti secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit portum facilius consequatur. † Atq; ut hinc exordiamur. Si nihil diceremus aliud, nisi eam, quæ antiquissimo vocabulo Theologia dicitur, scientiam esse quandam, quæ divinæ sapientiæ thesauros hominibus recluderet, tamen illud, ut opinor, liquidò constaret, quanto æterna nativis, immortalia caducis, divina humanis antecellunt, tanto esse hanc facultatem cæteris omnibus anteponendā. Sed quemadmodum qui præclari alicujus ædificii pulchritudinem pervidere, ac penitus cognoscere cupiunt, nō satis sibi esse ducunt illud uno totum aspectu contemplari, sed singulas etiam sibi partes accuratè perlustrandas, ac seorsum considerandas putant: ita nos, si hujus præstantissimæ facultatis partes paulisper excutere voluerimus, tum demum, quanta illius pulchritudo sit intelligemus. Theologia igitur, viri eruditissimi, ut à majoribus nostris accepimus, duabus præcipuis partibus continetur, quarum una in lege posita est, altera in Evangelio. Est verò ea lex, de qua loquimur, non ab humano profecta consilio, neque similis earum, quæ hominum libidine statuuntur.

in quibus multa ineptè ac ridiculè, nonnulla etiam impiè ac nefariè sancita reperias. Sed primum quidem ab illo huius vniuersitatis parente, ac opifice Deo in omnium hominum impressa, atque insignita animis, pòst etiam ejusdem Dei digito in tabulis insculpta lapideis, ne improbis ulla prætendendæ facinoribus suis ignorantiæ occasio relinqueretur. Cumq; eam in duo summa capita tribuere liceat, eorum prius, quæ ad cultum numinis, posterius, quæ ad tuendam hominũ inter se societatem pertinent, omnia summa breuitate cõplectitur. Atq; hinc vel inprimis naturæ nostræ imbecillitatem licet agnoscere, quòd cùm pauca admodum, eaq; suapte natura facillima præcepta sint, semper tamen deficiamus alicubi, neque vnquã stabilem, inoffensumq; cursum perpetuò retineamus. Tremefactus itaque comparatione sui cum diuinis præceptis animus, Christo se indigere cognoscit, in cujus sinũ confugiat, cujus se viribus provehat, sub cujus bonitate, tanquam sub firmissimo aliquo clypeo, tutus ab iis, quæ lege proposita sunt, supplicijs deliteſcat, vt rectissimè Paulus legem pædagogum, qui nos veluti manu apprehensos ad Christum deduceret, nominãsse videatur. Eat nunc Lucianus aliquis, perfricet frontem, & dicat ullam esse legem, quæ cum hac lege vlla ex parte comparari queat. Quid enim? Quæ Deum immortalem, portenta in omnibus omnino legibus, si ab hac discesseris, reperiuntur? Quarum aliæ furta, aliæ adulteria, aliæ etiam quædam multò turpiora permittunt, vt nihil pene tàm turpe sit, quod non legislator alqui

quis licere voluerit. Hanc verò sapientissimus ille Moses, non à Iove quodam commentitio, ut Minos; non ab Apolline, ut Lycurgus; non ab Ægeria, ut Numa; sed ab eo, qui solus veri Dei nomine cēsendus est, sibi per manus traditam accepit, ita numeris omnibus absolutam, ut nihil neque immutari, neq; adjici, neque detrahi possit. Sed ea tamen, uti antea dixi, morbum quidem nostrum commonstrare ac detegere nobis potest: depellere eundem, ac sanare non potest. Morbi autem cognitio magnam ea quidē vim maximumq; momentum ad vires recuperandas habet, neq; tamen tantum, ut in ea posita sint omnia. Quare Evangelio nobis Christus aperitur, qui, modò firma in ipsum fide nitamur, non vana illa quidem, & otiosa, quam multi stultè & inaniter jactant sed solida, & bonarum actionū perpetuo fœcunda, nos, velut humeris suis impositos, tollit in cœlum. O tremonni prædicatione majorem! O nuncium verè jucundum & lætabilem! Cùm humana natura primi parentis depressa lapsu pessum tota ferretur, tantam fuisse in filio Dei clementiam, ut delapsus è cœlo humanam formam induere voluerit, ut corporatus, ac pa carne tectus infinitis sese laboribus, cruciatibus, erumnis, morti denique deterrimæ, atque acerbissimæ exposuerit, quò sudore ac sanguine suo ab animis nostris durissimum jugum æternæ depelleret servitutis. Tenē Christe optime, ut nos liberali causa assereres manu, omnium dominus cùm esses, servi formam assumsisse? Tenē, nobis quietem tuis laboribus, libertatem tua servitute, vitam denique tua morte pepe-

 risse?

risse? †Admirantur historiæ veteres †Pythagoreum quendam, qui se pro amico in caussa capitis vadem dare veritus nõ est. at hoc quanto admirabilius est, Dei Filiũ, Deumque ipsum, ut nos merito nostro inimicos sibi æternis eriperet supplicijs, tot tã dira, ac vel dictu, vel cogitatu aspera, & horribilia sustinere voluisse? †Et quisquam est, qui alias omnes, si in unum conferantur, scientias cum hac, qua ista tam pulchra, tam admirabilia, tam divina traductur, ullo modo comparandas putet? †Hæc verò una est omni cura, studio, contentione dignissima. †Hæc una est non tam liberalis vocanda, quam liberatrix. †Hæc aurea illa catena est, qua cum cœlestibus terrestria copulantur. Hæc scala illa est, quam olim per quietẽ sanctissimus patriarcha vidit, cujus gradibus in cœlũ scandere liceat, atq; illic Deum intueri, admirari, adorare, demittentem semetipsum ex augustissimo illo majestatis suæ fastigio, seseq; accommodantẽ ad humana conditionis humilitatem: rursusque eundem defunctum nobili illa servandorum mortalium provincia, spoliatisque inferis (ô rem omni humana cogitatione sublimiorem) in cœlum sublimem raptum, ac triumphantem, ac stipatum infinita tum gentium concinentium, tum hominum de caliginosissimus illis Satanæ ergastulis erutorum multitudine, justo ac pleno triumpho cœlum ingredientem, neque discessu amissi parte, sed valvis suo sanguine reclusis; æterneedem nobis omnibus aperientem. †Atque hæc quidem quamvis ejusmodi sunt, ut ad excitandum, inflammandumq; quemlibet torpentem animũ sufficere

cere posse videantur, tamē ex tam vbere campo alia quædam, nisi molestum est, proferamus. Verè enim illud affirmare posse videor, eruditissimi viri, quemadmodum Platonici elementorum in corporibus cœlestibus quendam veluti florem, in hisce inferioribus quandam veluti faecem esse dicebant: ita rerum omnium cognitione dignarum in Theologia florem in aliis scientiis faecem contineri. Namque ut hinc nostra se primum efferat oratio, quis nescit, quantopere in perscrutandis rerum principiis veteres Philosophi torserint, quamque nihil, si res ad verum exigatur, effecerint? Dum alius mundum hunc, & quicquid in eo vel aspectabile, vel tractabile continetur, putat ex temeraria quadam minutissimorum corporum concursione coaluisse: quasi vel unam earum, quas somniabat, atomum cerebri habuisset, nunquam ista tam stultè, incogitanterq; scripsisset: alius æternum esse eum, neque desiturum vnquam, neque exordium ducentem ab vllo temporis principatu, non animaduertens hac ratione illam, à qua ipse tantoperè abhorrebat, infinitatem inducì: qui verò optimè sensisse creduntur, tamen Deo veluti commentem, quandam materiam adiungunt, quasi ut artifex ita Deus sine materia nihil possit efficere. Quid Theologi? huius universitatis auctorem esse, ac effectorem Deum, qui cum innumerabilibus seculis antecessisset, quo temporis puncto ipsi placuit, mundum hunc, & quæ illius ambitu continentur, sine vllis vtensilibus, sine vllis ferramentis, sine vlla materia, verbo tantū, ac nutu suo ex nihilo architectatus est: eundēq;

assiduè sua bonitate ac prudentia continet, moderatur, fovet, omnes in eo rerum ac temporum varietates & vicissitudines efficit. Quòd status orbium cœlestium cursus, quòd certas siderum trajectiones, quod constitutis vicibus insignes ac notabiles rerum cõmutationes intuemur, hæc & cætera omnia ad eum modum non fortunæ temeritate, aut vi ullâ materiæ diriguntur, sed divina providentia temperari. Contemplemur & alia. Quid de animo humano Philosophi? Alius eum cor ipsum esse dicit, alius cerebrũ, alius cordi suffusum sanguinem, alius spiritum innatantem sanguini, alius harmoniam quandam, alius eum ex numeris conficit, alius ex atomis, ut mihi quidem ista consideranti certamen aliquod insaniæ suscepisse videantur. Ita ex hoc tam confuso, tam vario, tam multiplici tetrimarum opinionum veluti cinno, nihil ferè colligere possumus, nisi semper copiosissimã messem hominum variè insanientium fuisse. Nam nonnulli quidem ea dicunt, ut eos in re tam seria risum captare atque aucupari putes, ut apud Dicæarchum Pherecrates, qui animum nihil omnino esse contendit, veritus credo, ne quid posset tam absurdè aut fatuè dici, ut id nemo dixisset Philosophorũ. Illa vero multo etiam apud eos perturbatior, atque implicatior quæstio est, permaneat ne animus corporeis solutus vinculis, an qui corporum idem sit interitus animorum. Epicurus interire eos putat, nefas ratus, cùm tam multa sibi cum suibus convenirent, se hoc uno ab eis interresse. Stoici longam eis vitam, ut cornicibus sed, non perpetuam tribuunt. Pythagoras ve-

verò jucundus est qui remanere illos quidem docet, sed ex corporibus in alia corpora migrare, ut idem sit fortè hodie gallus gallinaceus, qui tempore belli Trojanis fuerat Agamemnon. Quid Plato? Quid Aristoteles? de hoc quidem illud Homericum dici potest:

Τυδεΐδη δ' ἔνι φῶτες ὅπως τότε μητιάασθον,
Hè ut tum astu olim bellum inierint.

Homer. Iliad. ε. vers. 85. et 86.

Tydeidem autem nunc eosdem vtros, inter esse?
An inter Trojanos pugnaturum inter fuisse?

Obscuritate enim se involuens sua in neutram partem satis apertè propendet, ut penè in legem Solonis incurrere videatur. Ille autem proximè quidem omnium accedit ad veritatem, sed etiam multa mendacia admiscet, ut non absurdè dicant, qui eum dicunt poëticè Philosophari. Quid porrò de iisdem rebus Theologi? Animam hominis simplicem quandam & individuam esse naturam ad exemplar divinitatis expressam, licet ortu participem, tamen interitus expertem, quæ, corpore soluta, si se purè ac piè gesserit, in cœlum evolet, eternam illic Dei beneficio adepturæ felicitatem: sin se malis, iisque inexpiabilibus cupiditatibus corrumpendam dederit, ad inferos nunquam desituris damnãda suppliciis deprimatur. Quod si quæ de Deo à balbutientibus Philosophis dicta sunt, cum solida Theologorũ doctrina comparare collibuerit, reperiemus hos quidem certa omnia, & explorata, & salutaria tradere: Illos verò neque satis quid dicant intelligere, & credula ingenia pernicioſissimarum opinionum laqueis impicare. Itaque quod Homerus de Tiresia: Cato de Scipione dixit, idem de Theologia dici potest, eam videlicet sapere solam, reliquas disciplinas velut umbras per ina-

inane volitantes vagari. † Quod si quis eam, quæ ex
ne eam quidē in ferati ssimis Theologiæ campis fru-
stra desideraverit. † Nam sive poëticis modulationi-
bus aures demulcere meditamur, quis unquam ita
in hoc genere excelluit, ut cum Davide comparatus
non sordeat? Nisi fortè Orpheum, Homerum, Pinda-
rum de teviſſimis pleramque nugis verba funden-
tes audire præſtat, quàm illum Deo acceptiſſimum
regem, nunc † Dei laudes plena hilaritatis oratione
referentem, nunc eiusdem auxilium in ſuminis ſuis
difficultatibus implorantem, nunc inſectantem im-
probos, nunc commendantem probos, nunc ea quæ
multis poſtea ſeculis contigerunt, ita ſubjicientem
oculis, ut nullus ea melius Apelles in tabula expin-
gere potuiſſet? Sive hiſtoriæ cognitione ducimur, un-
de veriores; unde ſcitu digniores hiſtorias, quàm
ex ſacris litteris repetere poterimus? † An verò ſua-
vius eſt cognoſcere, quid Cræſo in Medos, quid Pyr-
rho in Romanos expeditionē paranti obliquè Apol-
lo, quàm quid Moſi ad Pharaonem, quid Samuëli in
Paleſtinos proficiſcenti, apertè ac perſpicuè Deus
ipſe reſponderit? Quomodo Regulus à Carthagi-
nenſibus, quàm quomodo ſervator & σωτὴρ humā-
ni generis CHRISTVS, à Judeis omni crudeliſſi-
morum ſupplitiorum genere divexatus fuerit? Ju-
cundiuſne, aut fructuoſius arbitramur, intelligere
quibus artibus Aſſyrij, Perſæ, Romani cæteras na-
tiones devicerint, quàm quibus auſpiciis illi re-
ligionis noſtræ principes, aliique deinceps innume-
rabi-

rabiles eorum vestigia secuti Christianæ ditionis terminos ampliaverint? O hebetes, stupidos, aut, ut verius dicam, miseros & perditos, si qui harum rerum suavitatem fructumq; non sentiunt! Contra verò ô ter & quater beatos illos, quorum ita est affectus animus, ut nusquam suavius, quàm in his studiis conquiescat! non eos aut inanium dignitatum, aut fluxarum opum aduritsitis: non eos voluptatum illecebræ molliunt, liberi & pravis omnibus cupiditatibus soluti, ex illo perenni puteo aquam æternæ vitæ effectricem hauriunt: ex illis perpetuò virentibus campis flores suavissimos colligunt, ex quibus qui odores afflentur, eorum nunquam est intermoritura suavitas: Deo serviunt, Deo adhærent, ejus tantùm gloriæ velificantur, eo fruuntur, quæque olim plenè percepturi sunt gaudia, ea jam nunc mente ac cogitatione præcipiunt. Ergo sive domi, sive foris versentur, cum Deo assidue colloquuntur, sive prosperis rerum utantur successibus, eidem ut prosperitatis suæ auctori gratias agunt: si ve quid eis adversi accidit (quanquã quid ejusmodi viris accidere adversi queat?) sed tamen si quid eis accidit earum rerum, quas vulgus adversas vocat, neque indignantur, neque concidunt animis, sed verbo divino sese solantes, quidquid à Deo immittitur, summi beneficij loco habendum esse ducunt. Prô Deum immortalem! quid est, si hoc non est feliciter vivere; & in terris vitam cœlestium imitari? O vitæ Theologia dux, ô virtutum omnium parens, vitiorum expultrix, animorum liberatrix:

Quid

Theologia laudes.

Quid sine te non modò nos, sed omninò vita hominũ esse potuisset? Tu depravatas impurissimis opinionibus hominum mentes, velut de integro interpolásti: tu distractos, dissipatosq́, variis idolorum cultibus homines in unius veræ Religionis societatem convocasti: tu magistra morum ac disciplinæ fuisti: ac veluti sol exoriens nubium caligines dissipat: veluti sidus, quod Castoris & Pollucis dicitur, exortu suo maris rabiem placat, tempestatesq́ue dispellit: ita tu divinitus exorta & tenebras ignorantiæ dissipasti, & illo tuo salutari fulgore procellas veterum superstitionum dispulisti. Tu nobis velut Helice, aut Cynosura quæpiam es, ad quam universus navigationis, id est, vitæ nostræ cursus dirigatur. Tu ignis ille cœlestis es, quem verus ille Prometheus, id est, Christus in terras attulit, sine quo vita constare non potest. Tu vitæ tranquillitatem largita nobis es, & mortis terrorem sustulisti. Beatos igitur qui ad te, tanquam ad portum confugiunt: beatos qui se tibi à teneris unguiculis penitus totosq́, tradunt: miseros contrà, qui, ut proci Homerici, ancillarũ amoribus irretiti, te, quæ omnium artium domina es, negligunt. Tu enim earum rerum scientiam profiteris, quarum plena cognitio æternam beatitatẽ, ignoratio æternum exitium hominibus pollicetur? At vos, viri optimi, quos partim huius præstantissimæ disciplinæ vertice consectatos, partim illius sacris imbutos atq́, initiatos videmus, macti in quam macti animis, neq́, vos aut labor deterreat, aut voluptates avocent, quò minus in sanctissima illius adyta penetretis,

Similia.

tretis. Vobis enim vigiliarum sudorumq; vestrorum & magna hic inter homines præmia, & infinitis partibus majora sunt in cœlo diuinitus constituta. DIXI.

De laudibus literarum.

ORATIO II.

HABITA VENETIIS MENSE Octobri anno clɔ. Iɔ. LIV.

QVÆ singula hominibus ad dicendum accedentibus timorẽ facere consueverunt, patres amplissimi, vosque cæteri cives ornatissimi, ea mihi sese hodierno die objiciunt universa. Siue enim loci amplitudo afferre perturbationis aliquid potest, Venetiis dicimus: siue audientium dignitas, magna lectissimorum hominũ adstante frequentia dicimus: sive ipsa orationis materia, dicendique conditio, ita dicimus, ut sit nobis eodẽ tempore de ingenio, de doctrina, de gloria, ornamentisque omnibus in hoc litterarum certamine periclitandum. †Venetiis dicere, si quisquam est, qui parum putet, eum necesse est in maximarum, earundemq; toto orbe notissimarum rerum ignoratione versari. Ecquis enim est hodie tam inaccessus, tam ab omni hominum consortio remotus in terris locus, quo non hujus præstantissimæ civitatis fama pervaserit? quis populus, quæ gens, quæ hominum natio vel tam imma-

immanis atque barbara, vel tam exculta disciplinis atque artibus, quam non jam pridem florentissima Venetorum Respublica non gloria modò & splendore nominis sui, verùm etiam admiratione compleverit? Hæc verò firmamenta Reipublicæ, hæc ornamenta Italiæ, hæc virtutum omnium laudandarumque artium præclarissima lumina intuentem, non commoveri, tantũ id quidem est, ut, non dicam in meam hanc mediocritatẽ ingenii, sed vix in quẽquam hominem, qui cæterorum de se judicia extimescat, cadere posse videatur? Etenim si eloquentissimos olim viros accepimus, cum ad dicendum venissent, vnius principis aspectu ita conturbatos fuisse, ut obmutescerent: quid mihi tandem animi esse oportet, qui neque comparandus cum illis omnino sum, & apud vos dico, Senatores amplissimi, ad quos ũm oculorum converto aciem, totidem mihi consessum principũ videor intueri? Ac cæteri quidem sæpe ad eam excusationem confugiunt, ut se, cùm tenuitatis suæ conscii essent, tamen vel necessitate, vel officio impulsos, vel amicorum sive precibus, sive tempore aliquo adductos, dicendi munus non tam appetiviſſe, quàm detrectare non potuisse dicant; quam totam rationẽ nobis hodierno die ipsa rei natura, conditioque præcludit. Non enim detrectantes sed ultro nobis deposcentes hanc dicendi provinciam, ad eam non alienis precibus impulsi, sed vestra incredibili benignitate admissi sumus: ut, si minus ex aliqua parte nostra vobis approbata fuerit industria, causa nulla sit, quin omnes accusandã potius no-

nostram temeritatem, quàm imbecillitatem sublevandam putent? Equidem cùm & ab ineunte ætate, tum domesticis excitatus exemplis tum ipsa hortãte natura, honestarum artium studia coluerim, & vbi primùm per ætatẽ licuit, quæ mihi meo ipse labore pepereram, aliis tradere ingressus, novem propè iam annos in hac dicẽdi, ac docendi exercitatione consumpserim, tamen superiora illa considerans, ita commovebar animo, facilè ut hoc potuerim abstinere consilio, nisi me huc summa de vestra singulari humanitate concepta spes, & magna quæda approbande vobis, si minus eruditionis, at certè voluntatis meæ cupiditas impulisset. Ac mihi quidem, & cujus rei causa in hunc locum descenderim, & ad quos verba facturus sum, cogitanti, prorsus ita videtur; nullo in argumento meam commodiùs orationem posse versari, quàm si, litterarum disciplina quantum non ornamenti solùm, verùm etiam præsidij bene temperatis civitatibus afferat, tum adhibitis rationibus, tum etiam exemplis, atque ex veteribus seculis repetita memoria exponam: minime id quidem, quo vos, tales viros, commonefaciam, excellentibus à natura ingeniis præditos, à studijs liberalium doctrinarum eruditos, à diuturna assiduoque magnarum rerum vsu peritos: sed quia libenter facio, vt, quarum artium percepta scientia vnumquemque vestrùm vehementer affici constat, earum animos vestros jucunda commemoratione delectem. Quæ cùm ita se habeant, mihique ipsa per se delecte ad dicendum materie dignitas satis magnam

gnam audientiam factura videatur: tamen magis consuetudine, quàm quod ita necessarium iudicem, peram à vobis, vt mihi, res pulcherrimas breui oratione comprehendere meditanti, exigui temporis attentionem ne denegetis. † Magna omninò vis magnumque momentum positum est in literis, viri amplissimi, ad conseruandas, bonisque cumulandas omnibus ciuitates. † Nam cùm felicitas publica, ad quã humana omnia referenda sunt, è singulorum ciuium felicitate constet: singulorum autem felicitas in excolenda, exercendàque virtute præcipuè sita sit; & ad perfectam virtutem consequendam, necessariam quandam præcursionem adhibeant literæ, illud profectò consequitur, vt, nisi in qua litterarum cultura vigeat, florere absolutè ciuitas nulla possit. † Ponite vobis ante oculos omnes ætatis humanæ partes; omnem publicorum temporum varietatem; omnes instituendæ vitæ rationes & vias animo & cogitatione percurrite: nullam omninò reperietis, quæ non ita litterarum auxilio indigeat, vt eas si quis sustulerit, solem ipsum de mundo sustulisse videatur. Ea nos, vbi primùm firmiùs incedere, atque articulatiùs loqui cœpimus, de ipso prope nutricum acceptos sinu, titillatione quadam honestissimè voluptatis allicunt, allectos præceptis salubberrimis complent: non tantùm benedicendi, verùm etiam benè viuendi commonstrant vias: excitant in animis nostris igniculos gloriæ: quantus sit in virtute splendor, quanta in vitiis deformitas, edocent: quæ qui semel bene penitus imbiberint, ij nunquam non postea & vitij turpi-

turpitudinem omni studio refugient, & officij honestatisq; rationem rebus aliis omnibus, anteponent. † Ut autem in semente posita spes messis est, ita totius reliquæ vitæ exspectatio ab educatione pueritiæ pendet. † Ubi verò infirmam illam ineuntis ætatulæ temeritatem robur adolescentiæ excepit, quæ tandem alia res, aut animum præclararum rerum studio accendere, aut efferentibus sese cupiditatibus, quibus ea pars insigniter agitari solet, frenos injicere, præter literarum tractationem, potest? † Themistoclem olim, cùm somnum capere adolescens non posset, dicere solitum tradunt, se Miltiadis tropheo, quiescere volentem, excitari: † quantò eos acrius incendi, atque inflammari necesse est, qui quotidie non unius, sed innumerabilium hominum virtute præstantium, trophæa non è marmore constituta ad exigui prædicationem temporis; sed ad omnem æternitatem commendata litteris intuentur? † Neque verò pertimescendum est, ne aut labore frangantur, aut voluptatis irretiantur illecebris ij, qui ætatis suæ flosculum litterarum studiis dedicandum esse statuerunt. Tanta siquidem est oblectatio paulatim acquirenda cognitione rerum sese pascentis animi, ut, ea qui fruuntur, ab iis neque laboris tædium, neque avocantium voluptatum blanditiæ sentiantur. † Itaque sapienter poetæ, † cùm ceteros omnes Deos Veneris imperio subdidissent, in Minervam modò & in studiorum præsides Musas nihil ei, nihil Cupidini juris esse voluerunt. † Quin etiam illud ab iisdem memoriæ proditum est, Iasonem olim, ceteroſq; Argonautas, cùm

Similes. Educatio:

Adolescentiam ornant et instruunt Literæ

Ab Exemplo Themistocles miltiadis tropæis excitatus

Animari ad magna

occurrit obiectioni

Vide Livium lib. 30. Rhodios, Attalum, Philippum, Romanos, Cæsarem ad pacem inclinantes

Confirmat ex exemplo

eam insulam, quæ ab amœnitate, florumq; copia nomen invenerat, præternavigarent, periculumque esset, ne molli, ac delicato Sirenum cantu, quæ eam insulam incolebant, ad exitium perducerentur; rectum in Orpheo perfugium habuisse: qui cùm assedisset in puppi, simulq; fides blandis impellere digitis, simul vocem illam, quæ rupes nemoraq; traxerat, explicare cœpisset, tanta simul aures animosque audientium voluptate complevit, ut jam Sirenum vocibus nemo navigantium moveretur. Hoc figmento quid tandem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicârunt? †Florida videlicet illa insula juventus est. Eam qui quasi prætervehuntur, magno in periculo sunt, ne Sirenum, id est, voluptatum blanditiis decepti, & à recto itinere abducti, in vada & scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparatum remedium est? Quod, nisi Orphei, optimi ac sapientissimi vatis, lyræ cujus suavitatem qui percipiunt, ij & Acheloidum cantus pro nihilo putant, & tandem institutum illud iter emensi, vellus aureum, id est, virtutem cum immortali conjunctam gloria consequuntur. †Nimirum ut major lux minorem, ita minoris voluptatis sensum perceptio majoris extinguit. †Quantò autem voluptas ea, quæ discendo sentitur, cæteris omnibus major, synceriorque sit, vel illud indicio est, quod aliarum, etiam qui eis plurimum tribuunt, satietatem tamen quandam esse, ac tædium, confitentur; hujus ut quisq; perceperit plurimum, ita eam acriùs, atq; avidiùs concupiscit. †Quod si cui fortè dubium est, prodeas in medium

NB. Applicatio ad nos.

Simile à cibo desumptum.

Laudat à Voluptate quæ ex discendo percipitur.

†Veritas exemplis probat.

dium Chrysippus† qui sæpe studio intentus tanta vo-
luptate perfruebatur; ut eum tanquam extra se po-
situm cibi potionisq; caperet oblivio. Prodeat solertis-
simus ille cœlestium orbium non perscrutator tan-
tùm, sed etiam imitator, Syracusanus† Archimedes,
qui non modò earum rerum, quas natura fert, pre
ea, quam capiebat è studiis, oblectatione memor non
erat; sed in illa ipsa Syracusane urbis direptione, ita
defixus erat in studio, ut prius hostilis gladij cuspi-
dem corpore exceperit: quàm urbem in hostium pote-
statem venisse sentiret. † O rem omnium seculorum
admiratione dignissimam. Diripiebatur urbs ea
tempestate omnium opulentissima: effusi per vias
milites, ut in quemq; inciderant, sine ullo sexus, æ-
tatis, ordinis discrimine obvios contrucidabant; un-
diq; gladiorum fulgor præstringebat oculos; undiq;
armorum sonitus; undiq; cadentium tectorum fra-
gor audiebatur; puerorum ejulatibus, mulierum la-
mentis, morientium gemitibus, militum clamoribus,
privata publicaq; omnia circumsonabant; ipsa urbs
penè dimota & convulsa sedibus suis, suorum civium
in cæde ac sanguine natabat: cùm unius hominis
mens in media civitate, civitatis ipsius casum ac ruinam non sentiebat. † Solonem vero accepimus, cum in lectulo, mortis proximus, decumberet, inaudisse, assidentes amicos de re quapiam sub mussè, ne ipsi, molestiam parerent, disputantes, erecto, ut potuit, jam se-
nis moribundo capite, rogâsse eos, ut aliquanto loquerentur clarius: sibi se etiam moriens aliquid discere potuisse: discessum è vita jucundiorem fore. O discendi cupidi-

† Chrysippi studium.

† Archimedis studium quo imitatorem se Cicero appellat, quia speciem virtutis imitatione consecutus videbatur lib. 2.

† Exclamatio Tullij ob subitum interceptum.

NB.

† Solon in ejus morte non sibi, sed amicis dixisse dicebat.

Amplificatio et laudatio cupiditatis discendi. piditas: quid non efficis ubi semel generosa ingenia occupâsti? †Tenebatur homo sapientissimus gravissima vi morbi defixus in lecto: vicinitate jam mortis ab omnibus penè corporis partibus sensus abscesserat: egregius ille animus, mox liber ac solutus futurus, è corporeis vinculis exsilire cupiebat: cùm quidquid
» supererat virium, eò contulit, ut deficiente lingua,
» vocibusque interruptis, ac morientibus suum doctri-
» næ cognitionisque desiderium indicaret. Quid hunc,
» verisimile est, firmum ac valentem fecisse; qui ne
» mori quidem, nisi discendo, voluerit? Meritò igitur
tam diu floruit Athenienſium Respublica, quàm diu tam præclari viri tenuit disciplinam. †Sed ut eò redeamus, unde nos facta præclarissimorum hominum ad Digressio. Commendatio et præstantia studiorum. Ægroto. oblectantes vel hortatus. mentio paulisper abduxit, dici profectò non potest, adolescentes nobilissimi: vos enim, vos mea jam compellabit oratio: dici, inquam, non potest, ea studia, in quæ nunc toto pectore incumbitis, quanto olim vobis & ornamento, & auxilio futura sint, cùm vos & generis vestri nobilitas, & vestra virtus ad Reipublicæ gubernacula admoverit. †Etenim quibus artibus civitates præcipuè conservantur, pietate, justitia, fortitudine, inprimisque prudentia, earum sunt omnium artium quasi semina litterarum prodita monumentis. †Neque verò hæc à me ita disputantur, ut contendam, nisi litteris eruditum, civem patriæ utilem esse neminem posse: sed hoc dico; nisi litteris exculti sint ii, qui velut in Reipub. puppi sedentes, clavum tenent, multos eos muneris sui, iisque præcipuis partibus necessariò defuturos. †Nam, cùm duo publi-

publicorum temporum genera sint, unum pacis, alterum belli, quorum alterum semper optabile est alterum nunquam optabile, nonnunquam necessarium: quomodo, ut hanc partem priore loco attingamus, in pace, civibus jura describere, quantum cuique tribuendum sit, intelligere, civium inter se dissidia componere, verba publicè facere, legationes cum laude gerere, praeterita tenere, futura prospicere, quid in omnibus rebus factu optimum sit, videre, & ex aliis alia colligere poterit, nisi qui haec sibi de litterarum fontibus haurienda omnia existimauerit? Viri prae. offic:

† Nisi verò eorum recipienda sententia est, qui fieri putant posse, ut qui respub. praeest, quamvis litterarum sit expers, tamen ad eas res, quas modò enumeravimus, aliena opera non incommodè utatur. † An verò T. Manlium Torquatum, memoria prodirum est, cùm consul declaratus fuisset, excusasse valetudinem oculorum, & summum Imperium detrectâsse, quòd indignum duceret, ei capita ac fortunas caeterorum committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur: qui alieno ingenio, alienáque lingua ad omnia uti necesse habebunt, ij satis ad gubernandos caeteros idonei videbuntur? At oculorum quidem lumine carentes nihil prohibet acie ingenij etiam futura cernere, optimeq; consulere: quales in fabulis Tiresiam, in historiis Appium legimus: cujus verò doctrinarum luce careat animus, quid is tandem cernere, quid suscipere, quid cogitare praeclarum potest? † Sed sunt quidam homines, qui cùm litterarum tractationem tranquillis pacatisque temporibus & honestam in-

accedit ob lectionibus varijs.

Responsionis locus formatur. Factum inficiando, remotam esse causam, & non consulendo recusasse. Lib. 2.

Futura prospicere, bona à bonis accipere.

Obiectio falsa rebus bene gerendis inutiles esse.

primis & utilem esse fateantur: iidem tamen cùm occupata bello aliquo civitas est: latere eas, quasi perterritas metu, & inter tubarum lituorumque clangorem nullum sui amplius præbere visum arbitrantur. † Quorum nobis hac in parte coarguendus error est, & quantum vel in medio bellorum tumultu litteræ valeant, aperiendum. † Etenim si corporis tantum, non etiam animi, viribus bella gererentur, tum isti fortasse aliquid dicerent: nunc quis est, qui enim mihi & maximũ esse in bellis consilio ac prudentiæ locum, & eas virtutes bona ex parte litterarum studio comparari, certè quidem insigniter augeri, confirmarique concesserit, idem tamen earum scientiam in bello inutilem esse contendat? † An ignoramus celebre illud regum regis Agamemnonis votum, qui ut Troia facilius potiretur, non Achillis, aut Ajacis, sed Nestoris decem similes optabat sibi? Neque temporis nobis ad vivendum à natura præscripti ea longitudo est, neq; ita fert humanarum rerum ratio, ut multis admodum bellis interfuisse unus idemque possit: itaq; qui unum alterumve spectârunt, multum sibi militaris prudentiæ collegisse existimantur. Quid eos judicabimus, qui hoc sibi diuturna librorum evolutione pepererunt, ut omnibus, quotquot post hominum memoriam gesta sunt, bellis interfuisse videantur? Quod si quis ita bella aliquot spectare posset, ut utriusque partis consilia teneret, rerum administrandarum viam, rationemque cognosceret, eventus animo cerneret, quid non ei postea in rebus bellicis omnium consensus tribueret? At hæc omnia; qui

Responsio ad objectionem.

Confirmat Agamemnonis votum per similitudinem ab eodem illustrem ex Catone majore.

quer-

versantur in literis, aliaq; plurima, ac pulcherrima otiosi sedentes consequuntur? Taceo, quàm multa expressa sint eruditissimorum hominum scriptis de virtute, de gloria, de caritate patriæ, de animorum æternitate, de præmiis, quæ post mortem manent eos, qui se pro patria animosè ac fortiter gesserint, quæ tantam vim habent, ut neque qui ea ignorent, vera laudis habere gustum, neque qui tractant, veræ ac solidæ gloriæ ullam omninò rem anteferre possint. Quid illud, an non quantivis est, quod sæpe labantes jam ac deficientes exercitus eloquentium hominum voce legimus fuisse revocatos? Citetur testis Lacedæmoniorum civitas, cujus exercitus Tyrtæi poëtæ versibus inflammatus, pulcherrimam illam de Messeniis victoriam reportavit? Dies me deficiet, si aut eruditos homines, qui bellicis laudibus præstiterunt, aut fortissimos Imperatores, qui eruditionis & doctrinæ gloria excelluerunt; enumerare instituam? Nam & Architam Tarentinum sexies exercitum duxisse comperimus, & Melissum navalibus aliquot victoriis insignem fuisse, & ter stipendia fecisse Socratem, & PLATONEM, & Xenophontem egregiam in bello civibus suis operam præstitisse? Quid illa propugnacula Græciæ, Periclem, Themistoclem, Epaminondam loquar? Quid illa Romani Imperij columina, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliosque innumerabiles proferam? quos omnes cùm bellicis laudibus claros, tùm præstantes doctrinæ studiis fuisse historiæ loquuntur. Nam Iulium Cæsarem, quis nescit, utra laude præstaret, ambiguum posteris reliquisse?

Aelianus Varius historia lib. 7 cap. 18.

†Brutum autem, quanto litterarum ardore flagraverit, vel ex eo colligi potest, quòd ea ipsa nocte, qua mortem ipsius anteceſſit, Platonis dialogum de animorum immortalitate legiſſe aliquoties dicitur. Atque hoc præclarè olim intellexiſſe videntur Mitylenæi, præcipuam eſſe in Republica vim litterarum, qui, quos populos bello devicerant, nullam eis aliam pœnam irrogabant, niſi, ut ne liberos ſuos literas edocerent. Sciebant videlicet eas tantùm civitates florere poſſe, in quibus litterarum ſtudia colerentur.

Mitylenæi

Cur verbum Venetorum in quo dicit Virgo Venetam gentem quòd a libertate nomen habeat.

†Cujus rei cur tandem aliunde exempla repetamus? An verò, cives, quòd viget hodie veſtra Reſpublica, quòd floret, quòd beata eſt, quòd cùm cæteræ orbis univerſi partes graviſſimis bellorum tempeſtatibus agitentur, una hæc (quod ei Deus Opt. Max. proprium ac perpetuum faxit) in pace atque in otio conquieſcit, aliunde id fieri creditis, quàm quòd ei & præſunt homines cùm cæteris omnibus tum hac eruditionis & ſcientiæ laude clariſsimi, & ſemper eorum ſimillimi præfuerunt? †O divine Plato, tua ſunt omnia & dicta & cogitata præclara. Tu dicere ſolebas, tunc demùm Reſpublicas beatas fore, cùm eas aut Philoſophi cœpiſſent regere, aut qui regerent, philoſophari. Tuum hoc ſapientiſſimum oraculum perpetua jam mille amplius annorum felicitate Venetorum Reſpublica comprobavit. Equidem quo longius in altum evehor, patres ampliſſimi, eò mihi amplior & patentior orationis quaſi curſus oſtenditur. †Sed & temporis me ratio, & veſtra ſingularis ſapientia, ut vela contraham, portumq; tandem aliquando

Apostrophe ad Platonem

præcavit

peroratio

Ora Ventis dabbiando ritus ges, excusat et commendat.

quando resipiciam, monet. Neque enim credibile est, posse aut me, aut quenquam de litterarũ præstantia, fructibusq; qui ex earũ tractatione capiuntur, vobiscũ melius, aut copiosius, quàm unumquemq; vestrum secum loqui: & mihi nõ tam orationis cõquirenda copia est, quam vestra satietas refugienda. Itaq; finem dicendi faciam, si vos prius etiam atq; etiã rogavero, ut si forte minus à me ornatè ac copiosè dictum est, quã ut hujus loci amplitudo, & summa audientium dignitas postulabat, meum tamen idcircô placendi vobis studiũ ne improbetis. Ego quidẽ si non indignius à vobis, qui sæpius audiar, judicer, erit, quod mihi magnoperè gratuler: sin fortè: sed reprimã me: neq; cõmittam, ut meis ipse votis videar malè ominari: qui tamen à tot, tam preclaris viris, tanta benignitate auditus fuerim, magnum mihi non hujus modò laboris, sed totius anteactæ vitæ fructũ hodierno die vestro singulari beneficio videor consecutus. DIXI.

De utilitate ac præstantia litterarum Humaniorum adversus quosdam earum vituperatores.

ORATIO III.

HABITA VENETIIS POSTRIDIE Non. Octob. anno cIↃ IↃ.LV.

PERMULTOS esse intelligo, qui de hujusmodi litteris, quæ humaniores vocantur, eam animo imbibêre sententiam, ut earum

tractationem leve quiddam esse, ac nugatorium existiment: neque aut magnos adhuc dum labores ab iis suscipi, qui eas juventuti tradant; aut eorum magnopere fructuosam esse Reipub. industriam, in eis denique non exquisitam ullam, ac reconditam, sed circumforaneam quandam, & trivialem, de triviis ac circulis requiri doctrinam putent. † A quibus ego quoniam ita dissentio, ut ex omnibus, qui se aliquid docere profitentur, horum vel gravissimum munus esse contendam: neque ullos esse qui aut laborum plus perferant, aut majores in Repub. pariant fructus: doctrina denique à nullo hominum genere majorem aut copiam requiri, aut varietatem arbitrer: constitui hodierno die, patres amplissimi, vosque cæteri viri ornatissimi, eam mihi ad dicendum materiam sumere, & nobilissimam studiorum partem quantum id quidem in me positum erit, à contemptu atque ab intolerabili ineruditorum hominum insolentia vindicare. † Et verò quid aut huic tempori, aut omninò meo muneri facere convenientius possum, quàm ut, quæ mihi studia celebritatis aliquid cùm aliis in locis, tùm hac ipsa in civitate peperérunt, à quorum ego veluti fontibus ad hanc quãtulamcunque profluxi hominum famam, ijs quoque vicissim oratione mea splendoris ac claritatis afferre aliquid coner? † Præsertim cùm qui hoc litterarũ genus aspernantur, facere nullo modo possint, quin de vestra, patres amplissimi, singulari, spectataq; in omnibus rebus ac penè divina sapientia nõnihil eadẽ superbia detrahãt. Etenim si hæc tota res tàm levis est, quàm

Auctoris opinio.

Benevolentiæ parabat ab ipso Iudice.

A persona auditorum.

quàm isti eam videri volunt: quæ vos tandem causa commovit, ut proximo superiore anno, propositis publicè libellis studiosorum hominum animos ad nobilem illam ingenij doctrinæq; contentionem excitaretis; utq; iis, qui vobis in eo certamine probati essent, honestissimum postea præmium ex ærario decerneretis? Quæ certè una res ad coërcendum istorum temeritatem satis ponderis habere debebat: ut si beheriores eos natura, stolidioresque finxisset, quàm ut pervidere harum rerum præstantiam possent; quod tamen vestro talium virorum judicio probatum foret, magnum esse aliquid, ac præclarum, suspicarentur. †Sed quoniam cum iis, qui auctoritate non movenAttentionem parat oratori, in duas partibus partes.
tur, rationibus agendum est: adeste animis; mihique breviter ostendenti, quàm varia, quamq; multiplex eruditio requiratur in iis, qui litteras humaniores docent, eademq; opera, quantos ex eorum navitate atq; industria Resp. percipiat fructus, non aures modò, sed mentes quoq; attentas; quæso: paulisper adhibete. Atque adeò, ut hæc tota controversia mRefutatio etiam.
lius dijudicetur, operæ pretium est, initiò quænam sit istorum contemptorũ humanitatis oratio cognoscere. Proponit aliorum argumenta. Litteras ad res gravores tradi, eas non prodesse.
†Qui quoniam eos, qui hasce litteras tractant, ad nullum ferè majoris momenti negotiũ adhiberi vident, non ad judicandas lites, non ad agendas causas, non ad dicendam de rebus gravioribus sententiam facilè in eam opinionem prolabuntur, ut ab eis, præter poëticas quasdam fabulas ad puriles animos hilarandos compositas, & aliquot levia commenda ac poliendæ orationis præcepta, nihil omninò tenui putent.

Quid

Quid autem magni negotij est, inquiunt, in puerorum confessu de ejusmodi figmentis commemorare, ac modò de Thebano, modò de Trojano bello, modò de Vlyssis, aut Æneæ erroribus molli, & ad inanem oblectationem compositò sermonis genere disserere; idemque velut è quibusdam arculis accommodata coloranda orationi pigmenta depromere? Ecquæ autem magna eruditio est, scire, quot navibus Græci ad oppugnandum Ilium accesserint; quot filios habuerit Priamus; Helenam rapuerit Alexander, ut Homerus, an Helenæ simulachrum, ut Euripides prodidit? quod emolumentum ex istorum omnium scientia; quod detrimentum ex ignoratione percipi potest: Nam cæterarum quidem artium professores quantum utilitatis afferant, perfacile est ad intelligendum. Sive enim Dialecticos spectes, ab iis certa quædam veri falsiq; in rebus omnibus cognoscendi ratio traditur: ij se, quid cuique consentaneum sit, quid repugnans, quid ex quoque efficiatur; quæ sit diuidendi, quæ finiendi, quæ argumentandi ratio, & tenere, & alios docere præ se ferunt. Quid Physici? qui rerum principia causasque tractant; qui, quomodo, quidque gignatur, quoque modo intereat, edisserunt; qui nimborum, fulminum, tempestatumque causas; qui corporum cœlestium magnitudines, intervalla, cursus progressiones, institiones: qui animi naturam, qui rationem sensuum, qui animantium omnium ortus, victus, figuras, qui stirpium, qui omnium fermè rerum, quæ gignuntur è terra, naturas ita persequuntur, nulla ut pars ab eis cœlo, mari, terra, ut

ut poëtæ loquuntur, prætermissa sic; hæc cùm tractant, mediocriter ne Reip. prosunt? Nam si ad eos te convertas, qui eam susceperunt Philosophiæ partem, in qua de rebus expetendis fugiendisque disseritur; ij verò sunt, quorum industriæ nulla unquam poterunt præmia satis ampla reperiri. Quibus enim, quamque præclaris in rebus eorum disputationes consumi videmus? Qui hoc primùm docent, qui sit finis, quid extremum, quid ultimum bonorum omnium: quod unum intueri: quò omnes actiones, omnes cogitationes, omnia consilia referri oporteat: quot sint virtutum, quotq; vitiorum genera; quibusque modis illas assequi, ab his declinare possimus: quomodo exsultanti, iactantiq; se, & detrectanti rationis imperium frenos injicere oporteat cupiditati? Tum quo modo quisque se in re familiari gubernanda gerere debeat? postremò quo nihil pulchrius, nihil præclarius, nihil denique divinius ne votis quidem conceptis optari potest, quibus moribus, institutis, legibus temperandæ sint civitates: quibus illæ modis fundari atque institui; quibus augeri, atque amplificari, quibus denique copiosissimæ, locupletissimæ, uno verbo, beatissimæ effici possint? O res præclaras, & ardentissimo studio; summaque corporis atque animi contentione dignissimas. O vita Philosophia gubernatrix. O virtutum omnium parens, vitiorum omnium expultrix! Tuum est falsarum opinionum temeritatem diripere: tuum est omnem inanitatem & errorem amputare, ac circumcidere: tuum est vitiarum fibras evellere, stirpes elidere, semina exstingue-

Quid mera philosophia. Effici.

œconom. politiq.

Declamatio contra philosophiam per apostrophen exstitit. 5. Philosoph.

quere. Meritò divinus Plato nihil te præstantius hominum generi à Diis immortalibus dari potuisse dicebat. † Eant nunc isti verborum magistri, fabularum interpretes, nugarum architecti: perfricent frontem, si quam habent, & se ulla ex parte cum Philosophiæ doctoribus conferendos esse prædicent. Qui si aliquod fortè paulò abstrusius loquendi genus, aut aliquam voculam non ita pervulgatam, aut quampiam paulò reconditiorem fabulam reperire potuerunt, dignos se inaurata statua putant, nonnunquam etiam de ejusmodi tricis ita inter se digladiantur, ut pro aris & focis certamen suscepisse videantur. † Hæc ferè est, patres amplissimi, eorum, qui studia laboresque nostros deprimere conantur, oratio: qui quòd PHILOSOPHIAM laudant, libentibus id nobis, atque approbantibus faciunt: nunquam enim cuiquam concedemus; ut eam ... plus amet, pluriúsve faciat: quod autem nullam censent studiis atque artibus nostris cum ea esse commercium; in eo quantoperè fallantur, facilè ex iis, quæ dicturus sum, intelligetur. † Nam primùm omnium, si hoc ipsis concederemus, nil aliud à nobis quàm poëticas fabulas, & exornandæ orationis præcepta tradi: non ex eo tamen efficeretur, quod isti volunt, inanem quandam, & ludicram nostram omnem esse doctrinam, neque aliò, quàm ad puerorum animos vana quadam oblectatione demulcendos, referri. Etenim poëtarum fabulæ, quas isti tantopere exagitant, & insectantur, non levia quædam, & frugis expertia otiosiorum hominum commenta sunt: immò quæ-

verò sub eis, velut involucris, atq; integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique sapientia continetur. † Eratosthenem quendam fuisse ajunt, qui poëticen ita contemneret, ut Homerum ineptæ loquacitatis magistrum nominaret. † At certè Plato, ac Aristoteles, quorum non paulò maior est, quàm nescio cujus Eratosthenis auctoritas, ita sæpe repetitis ex eo testimoniis utuntur ad confirmanda ea, quæ tradunt, ut eum non tantum studiosissimè legisse, sed vix unquam de manibus deposuisse videantur. Itaque mirari soleo, cum quidam, qui se Philosophos videri cupiunt, & quidem ejusmodi Philosophos, ut, tanquam Atlante cœlum, ita Philosophiam supercilio suo niti putent, ita despicatui ducunt poëtas, ut eorum scripta aspicere se dignari negent. † Qui quidem cujusmodi Philosophi sint, ipsi viderint; cum eos contemnant, quos Philosophorum coryphæum Plato modò sapientiæ patres ac duces, modò Deorum interpretes, modò Deorum filios vocat. † Aristoteles autem, cujus isti se germanos esse interpretes gloriantur, non tantùm, ut antè dixi, in omnibus scriptis suis identidem poëtarum testimoniis utitur, verùm etiam libro primo de sapientia, Philosophum omnem, fabularum amatorem esse confirmat. † Quod igitur Aristoteleos esse se ajunt; fortasse verius, sine dubio quidem verisimilius dicerent, si se ab Epicuro esse affirmarent: hunc enim ex omni memoria unum fuisse Philosophum accepimus, qui cùm omnem elegantiam doctrinæ, tùm poëtarum præcipuè scripta contem-

Eratosthes Homero maledix.

Confirmat autoritatibus quæ sabinus contra cenas.

Elogia poëtices à platonicis tributa.

Aristotelis propositum.

Philosophi poëtas contemnentes quibus sectatores sint.

re-

nerer. Quod quidem se, negligendis poëtis, ex Aristotelis disciplina ac familia censeri volunt; in eo, meo quidem judicio, faciunt & impudenter, & imperitè.

Transit. † At enim id mihi hoc tempore propositum non est, ut de poëtarum laude dicam: quod si esset; facilè ostenderem, omnia præcepta vitæ, omnia virtutum officia nihilo ab eis deterius, quàm à Philosophis ipsis, docari. † Non igitur, cùm poëtarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more animos ducimus; sed sementem quandam virtutis atque doctrinæ facimus: non in levibus, minimeque frugiferis rebus operam sumimus; sed præcepta sapientiæ, quò facilius in animos influant, insatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus. Quid cùm ornatè ac copiosè loquendi præcepta tradimus, ludere videmur, an ea docere, quæ semper principem locum in omni benè instituta civitate tenuerunt? † An nescimus, eloquentiam à gravissimis auctoribus rerum omnium reginam vocari? Hæc enim est illa virtus, quæ quamlibet in partem arbitratu suo flectit audientium animos, eosque pulchritudinis suæ splendore obstupefactos, quibusdam velut habenis numerosæ orationis regit. Hæc illa est, quæ consolatur mœrentes, afflictos excitat, jacentes erigit: qua sceleratis excitio est; innocentibus præsidio; improbis terrori; probis ornamento. † Hac Cicero fretus Catilinæ furores, & nefaria in patriam inita consilia dissipavit: Hac cogatus superavit armatos: ut vel inimicorum confessione omnibus triumphis majorem adeptus laudem diceretur. † Hac instructi qui sunt, majus omni-

rebus Tyrannis imperium in homines obtinent. † Siquidem Tyranni possunt illi quidem corpora constringere: animis nullam adhibere vim possunt: hi verò dominantur in animis: quæq; ipsis honesta atq; utilia videntur, ea non facere modò alios, sed etiam velle cogunt: illi invitis imperant; hi volentibus; illi & oderunt omnes, & odiosi sunt omnibus: hos in omne hominum genus beneficos, perpetua omnium benevolentia comitatur. † Neq; verò non qui eloquentiam contemnere se simulant, illius præstantiam intelligunt: sed quod assequi non queunt, invidiosè vituperare malunt, quàm ingenuè de imbecillitate suarum virium confiteri. Orationis igitur meæ summa eò redit denique: etiamsi nihil aliud à nobis requireretur, quàm ut explicaremus poëtarum fabulas; & juventuti quasi vias, quibus ad dicendi facultatem pervenire posset, indicaremus: tamen neque medioeriter Reipublicæ prodesse nos, neq; parvis in rebus contemnendisq; versari. † Nunc tantum abest, ut ea solum requiratur à nobis: ut nulla sit ars digna hominis liberaliter educati studio, cujus non aliqua cognitione oporteat tinctũ esse eum, qui munus hoc cum laude sustinere meditetur. † Itaq; hoc inter nos & alios interest, quòd alij eos tractant scriptores, quorum vno aliquo de genere tota disputatio est. Non enim fere è in libris Dialecticorum, Physicorumve, aut in iis quibus medicina jurisve civilis scientia continetur, quidquam reperias, cujus intelligentiam non ex illic ipsis, de quibus inscripti sunt, artibus repetere possis: at nobis ij quotidie sunt explicandi libri, qui cùm

Pulsa contra posita.

à Diversis.

Digressio.

De summa Confirmationis parte in qua videtur esse non nihil operæ ostendere.

Discrimen inter Literarum et aliarum scientiarum professores.

scripti sint à viris omni scientia excultis, ipsi quoque innumerabiles locos ex omni disciplinarum genere depromptos habent. Itaque cæteri etiamsi eam unam artem teneant, quam docent, aliarum omnium sint omninò rudes: tamen sufficere posse suo muneri existimantur: neque unquam aut medico turpe habitum est, nescire leges, aut Iurisperito vel medicinam, vel astrorum scientiam non tenere. Nos uni sumus, quibus omnis illa liberalium artium varietas, non pertractanda quidem, ac pernoscenda penitus, sed degustanda tamen, & delibanda necessariò est. Non longè abierimus. Superiore anno Ciceronis orationes in Verrem interpretati sumus. Quam multa ibi nos explicare meminerunt, qui tum aderant, in quibus alios propemodum omnes juris civilis ignoratio fefellerat? Libros ejusdē de finibus nunc ipsos interpretandos suscipimus. Quàm multa nobis ex omnibus Philosophiæ partibus depromenda erunt, quibus ignoratis, hos quoque libros ignorare necesse est? Quid astrorum ratio? Quid terrarum situs? nisi qui hæc utraque ut cunque teneat, satisne se quisquam idoneum poëtarum interpretem profiteri potest? Et tamen usque eò alienis laboribus iniqui homines reperientur, qui ludere nos, ac jocari & nihil in docendo aliud, quàm puerilem voluptatem aucupari putent? Nam illud quoque minimè prætermittendum est, quòd à graviorum artium doctoribus neque ornata, neque elegans, neque multis quidem in locis, Latina oratio postulatur. Itaque ruant licet in dicendo, & impure, impropriè

propriè, barbarè loquantur, suo id eis quodam jure licere creditur: † At nobis dicentibus, sunt, qui quosdam quasi laqueos tendant, ut si quid exciderit parum expolitum, diem nobis continuò dicant violatæ latinitatis; quodque postremæ iniquitatis est, peccare nos putant, nisi in iis etiam, quæ subito fundimus, plurimi illigati sint & verborum & sententiarum lepores. † Quæ cùm ita sint, quis est qui non intelligat, si hominum exspectationi hujus professionis satisfacere cupiamus, infinitos esse nobis labores exhauriendos? Desinant igitur, desinant isti aliene industriæ contemptores, gloriæ obtrectatores: comprimant vocem stultitiæ atq; invidentiæ indicem. Vos verò, patres amplissimi, pergite, ut facitis, benignitate vestra labores nostros fovere: ut hæc florentissima, & bonarum artium studiis deditissima juventus, exercitationibus hisce nostris ad virtutem præparata atque culta, vestram olim in hac felicissima Republica gubernanda sapientiam faciliùs imitari queat.

DIXI.

De Philosophiæ & Eloquentiæ conjunctione.

ORATIO IV.

HABITA VENETIIS MENSE Octobri anno cIↃ. IↃ. LVII.

SI quis fortè vestrùm est, auditores, cui admirabile videatur, quòd cùm cæteri ordinis mei homines in orationis ferè alicujus, aut poematis explicatione versari soleant, eos sibi libros, quibus abditarum retrusarumq; rerum ex uberrimis illis hausta Philosophiæ fontibus tractatio continetur, interpretandi quidem causa, vix esse attingendos putent: ego contra & altero ab hinc anno quinque Ciceronis libros, quibus de summo bono in contrarias partes copiosissimè disputatur, explicaverim, & hoc tempore Tusculanas mihi potissimùm disputationes, in quibus hujus anni curriculum conficerem, elegerim: is si mei consilij atq; instituti causam rationemq; cognoverit, simul & id, quod facio probabit, & me si aliter fecissem justam doctorum & intelligentium reprehensionem nullo pacto effugere potuisse existimabit. Ego enim, auditores, semper in ea fui sententia, præclaram illam minimè communium contritarumque rerum scientiam, quam Philosophi & tenere se, & aliis tradere profitentur, ita esse cum facultate ornatè copioseq; dicendi

di conjunctam atque copulatam; ut eas qui distrahere ac divellere conarentur, & vel rerum cognitionem sine ullo facie ac polite orationis instrumento consectari se dicerent, vel verborum flosculis contenti, ne aspirarent quidem ad reconditos sapientiæ fructus, pessimè utrosque tum suis, tum alienis studiis consulere, & exitiale quasi corporis & animi dissidium inducere arbitrarer. Igitur & ab ipso ætatis meæ principio ita studiorum meorum rationem comparavi, ut exornandæ orationis curam cum rerum investigatione conjungerem: & postea omnibus, qui se in disciplinam mihi dederunt, auctor fui, ut eandem illam viam, quam præsertim præstantissimorum omnis memoriæ hominum signatam atque impressam vestigiis viderent, ipsi quoque toto pectore, omnique animi contentione sequerentur. Animadverteram enim, & eos, quorum omnis in concinnitate vocum, & in verbis tanquam ad normam dirigendis, quadrandis, componendis consumeretur industria, ab ijs, quibus cor, ut ajunt, saperet, ut leves futilesque contemni: & eos qui se ita penitus rerum indagationi tradidissent, ut de comparanda laute orationis supellectile non laborâssent, quasi agrestes ac barbaros quosdam ab omnibus elegantiorum hominum cœtibus repudiari. Ergo simul atque mihi publicè munus illud adsignatum est, ut iter vobis ad ea studia præirem, quibus exculti, Reipublicæ aliquando usum aliquem afferre possetis: statim id consilium cepi, ut alternis annis modò Ciceronis orationes, modò ejusdem ad Philosophiam pertinentes libros interpre-

terpretarer. Itaque primus, ut meministis, annus in aliquot verrinæ accusationis librorum explicatione consumptus est. Secundo dissidentes veterum de summo bono sententias, quinque libris expositas, accuratè persecuti sumus. Tertium Catilinariæ sibi orationes vindicârunt. † Hoc autem quarto, quem nunc felicibus ingredimur auspiciis, quas vobis, auditores, quàm exquisitas, quàmq; præclaras avidarum doctrinæ mentium epulas apparavi? Decrevi enim animos vestros ipsa sui cognitione pascere, eorumque vim ab omnibus rebus externis avocatam, totam in seipsam colligere, & ad naturæ suæ contemplationem traducere, vos denique ipsos vobis ostendere, & illam divinæ auræ particulam quæ in nobis omnibus latet, considerandam, cognoscendamq; proponere. Excutiendæ nobis erunt omnes veterum Philosophorum bibliothecæ: perlustranda omnis antiquitas, replicanda omnium veterum historiarum, monumentorumq; memoria: ut sciamus, quid homines sapientissimi de humanis animis senserint, quibus rationibus & argumentis adducti divinos esse eos, & interitus expertes cùm sibi, tùm aliis persuaserint: exagitanda & coarguenda eorum cæcitas, amentia, immanitas, qui alia in opinione fuerint: confirmandus ac muniendus animus adversus mortis metum; proferenda exempla eorum, qui mortem partim adventantem despicatui habuerint, ac pro nihilo putaverint, partim etiam cunctantem cupidè accersierint. Stultè illi quidem: sed tamen ut apertè ostenderent, se nullo modo de animorum immorta-

lita-

talitate dubitare: ut corporeis vinculis exuti ac liberi, in illas sedes, in quibus puros à scelerum contagione animos post obitum versari acceperant, evolarent. † O præclaram disputationem, & vestro omnium concursu, studio, attentione dignissimam. † Etenim si verè scripsit Aristoteles, magis expetendam esse quantulamcunque præstantium rerum, & remotarum à captu vulgi cognitionem & intelligentiam, quàm communium & pervagatarum quamlibet exquisitam tractationem: quis est qui non videat, † quantulamcunque cognitionem animi, quo nihil est divinæ naturæ propius aut similius, quamlibet accuratæ aliarum rerum cognitioni multis esse partibus anteponendam? Et si nemo est, quem non vel nitido concepta speculo, vel periti artificis expressa manu corporis sui figura delectet: quantò jucundius quantoq; suavius esse debet, expressam doctissimorum hominum ingeniis animi sui, quasi quandam imaginem contueri? † Quid illud? quanti tandem faciendum putatis, quod vitam nihil magis conturbet, quàm mortis metus, eas nos rationes, quibus ille pellatur, allaturos esse profitemur? Non sine magnis hæc meis laboribus, sudoribus, vigiliis fieri; sed mihi cùm rerum ipsarum pulchritudo, tum flagrantissima cupiditas studia vestra modis omnibus adjuvandi, omnem laborem non modò facilem ac tolerabilem, verùm etiam dulcem jucundumq; reddit. † Alios vulgaria atq; obsoleta delectent: vos mecum, auditores, ad hæc reconditæ & abstrusa contendite. Illos humilia, nos sublimia: illos proclivia, vos ardua: illos in promptu

† Exclamatio à simili

NB.

† comitio rerum præstantium expetendarum.

† Vera animi ratione terribilissima.

† Laus rerum à contemplata.

posita, nos à vulgarium oculis remota delectent: illos deterreat & examinet difficultas, nos exacuat & exstimulet: illos frangat ac debiliter, nos confirmet ac reficiat labor: illi nihil sibi proponant, quod non quilibet unus è multis consequi possit: nos quidquid ignavi vel sperare audeant, nostro indignum studio esse ducamus. † Sed quoniam nonnulli reperiuntur, qui, quod vel erroris caligine occecati, hæc Philosophiæ cum eloquentia conjunctio, quàm sit fructuosa, non vident, vel invidiæ veneno suffusi, ad quæ aspirare ipsi non queunt, ea præstare alios indignantur: vel denique, quod si omnia aliorum consilia atque instituta reprehendant, ita se demum sibi aliquam judicij famam confecturos esse confidunt: quæ in re nobis laus ac commendatio debetur, ea in ipsa reprehendere nos atq; accusare non verentur: clamantque regendos esse professionum fines, suisq; quamque limitibus ac terminis coërcendam: neq; patiendum ut aut Philosophi, quæ sunt eloquentium, usurpent: aut diserti Philosophica attingant: ejusque rei rationes quasdam afferunt, non admodum validas illas quidem, sed quæ tamen aliquem minus peritum in fraudem inducere posse videantur: † statui hodierno die, auditores, vobis disceptatoribus atque arbitris adversus eos disserere, & quidem ea lege disserere, ut nisi eos non dicam ego, sed ipsa Philosophia eloquentiæ armis instructa fregerit atque abjecerit, causam nullam dicam, quin illi præclare sentire, nos desipere; illi considerate ac sapienter loqui, nos vaticinari atque insanire: illi studijs adolescentium optimè consu-

consulere, nos iisdem vehementissimè officere judicemur. † Intelligitis autem; esse mihi cum duplici hominum genere negotium: quorum alij levem & inerudiram loquacitatem, alij inornatam & indiserta Philosophiam colunt: adversus quos utrosque dum differo, † peto à vobis per eas ipsas artes, de quibus dicere instituì, quarum utramque vobis maximoperè cordi esse novi, ut studium meum attentione vestra excitetis, attentionem silentio indicetis. † Primum autẽ congrediamur cum delicatis istis & mollibus, quos perinde ac parvos puerulos, severa & torva quodammodo Philosophiæ facies ita deterret, ut ad eam propius accedere non audeant: efficiemus enim de duobus alterum: ut aut fusi ac fugati molesti nobis esse desinant, aut, quod malim, confirmati, ac bene sperare jussi, socios se nobis honestissimi laboris adjungant. † Vos igitur alloquor, quicunque vocum illecebris tanquam aliqua dulcedine cantuum capti, ad eas tanquam ad Sirenæos scopulos, adhærescendum putatis. Ecquid intelligitis, omnem orationem ex rebus constare & ex verbis: rerum autem copiam & vbertatem non aliunde, quàm à Philosophis peti posse: idcircòque esse Philosophiæ cognitionem eloquenti futuro necessariam? † Non enim ut lusciniis canendi, sic hominibus loquendi facultatem oblectationis causa natura concessit: nec tantùm munus suum, tamque præclarum ad aures modò demulcendas voluit adhiberi: sed cùm eos ita fabricata esset, ut eis rationis societatem cum Diis immortalibus intercedere voluisset, aptosque eos fecisset

partitio bipartita.

Attentionis postulatio.

prima pars partitionis.

Apodeixis, nec quæ solæ verborum elegantiam inanem sectantur.

Hominis ratio non solo delectationis causa data.

ad rerum præstantissimarum cognitionem adhibito studio consequendam: instrumentum etiam largita est, quo de illis rebus inter se disserere, easque alij cum aliis communicare possint. Placet autem hoc loco hujus disputationis principia paulò altiùs repete-
// re: & ex ipsis Philosophorum libris causæ nostræ firmamenta desumere, atque istis Philosophiæ contemptoribus earum rerum, quas contemnunt, specimen
// aliquod exhibere. † Interjectum quodammodò & intermedium est hominum genus inter animantes consilij expertes, & inter purissimas illas mentes ab omni corporis societate secretas: ita ut illis quidem superius perfectiusque sit, his autem inferius, minusque perfectum. Nam illæ quidem sensibus tantùm degentes, nulla prorsus ratione ad intelligentiam & cognitionem progredi queunt: hæ verò sine ullo sensuum adminiculo ac ministerio, simplicissimis
// notionibus, quæcunque ipsis ad intelligendum objecta sunt, apprehendunt. † Homines autem possunt illi quidem ad rerum intelligentiam provehi, eóque sunt
// mutis animantibus superiores: sed quoniam immortalis ipsorum, & simplex, & cœlestis animus, mortali, & concreti, & terrestris domicilio corporis he-
// betatur, eo fit, ut ad cognitionem & scientiam sine
// sensuum ministerio pervenire non possit. † Itaque recte Plato mentis internuncios, quasque satellites sensus nominavit, eosdemque duces ad veritatem esse dixit: ejus autem auditor Aristoteles pronunciavit, nihil intelligi, nisi prius aliquid sensu perceptum fuisset, quod quasi viam stravisset, ad illud intelli-

velligendum, teemque alio loco statuit. Si cui sensum aliquem à primo ortu natura denegaverit, eidem necessariò aliquam esse scientiam de futuram. † Cum autem duobus tanquam itineribus ad scientiam pervenire liceat: quod alia reperimus ipsi per nos, quæsique parimus, alia verò ab aliis accipimus: quorum illam inventionem hanc disciplinam vocant: necesse erat, ad earum utramque sensum aliquem accommodari. † Sed cùm cæteri ad eam rem minus apti forent, oculorum quidem sensus ad rerum præstantissimarum indagationem aurium verò ad earundem, cùm ab alio traderentur, perceptionem ab ipsa natura constitutus est. Instrumentum autem communicandarum participandarumque animi nationum eadem natura orationem esse voluit: cumque cæteris animantibus sonos modò quosdam dedisset, quibus voluptatem, dolorem, desideria naturæ, affectus denique indicarent: † distinctam hominibus articulatamque tribuit vocem, unde eos Homerus ἐπιφήμους nominavit: quam cum ipsi arbitratu suo flexissent atque variâssent, quæsique compacto statuissent, quam cuique voci vim esse vellent, tum eo instrumento ad ea, quæ animo concepissent, patefacienda uterentur. Sic fit, ut res quidem ipsæ singulares percipiantur sensibus: qua ex perceptione existunt in animis rerum universarum notiones: ad eas verò evolvendas & in medium proferendas adhiberi debeat oratio: † cujus usus cùm ad eos tantùm, qui eodem tempore, iisdemq; in locis viverent pertineret, hoc amplius machinata est hominum solertia, litteras, quæ ut

Scientia ars doctrina disciplina cum paratum.
Oculorum et aurium sensus disciplinis aptissimus.
Cur sonipicæ dicantur.
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666/phys_0061
DFG

voces notionum, sic hæ vocum ipsarum essent notæ efficerentque, ut & absentes cum absentibus, & ij qui multis antè seculis floruissent, cum omni posteritate quasi colloqui possent. Ex hisce liquidò constare arbitror id, quod in hujus sermonis ingressione posueram: orationem non oblectandarum aurium causa nobis esse à natura tributam: sed ut animus, cùm se rerum cognitione saturâsset, haberet, quomodo alios ad earum communicationem vocare posset. Quomodo autem poterunt aut quidquam communicare cum aliis, qui nihil ipsi, nisi loqui didicerint: aut quidquam egregium discere, nisi qui Philosophorum monumenta contriverint? Etenim qui sunt tandem scriptores illi, qui distinctè ordinatèq; dicendi præcepta tradunt? Philosophi. Qui rerum admirabilium, quæ in terris, mundoque fiunt, causas aperiunt? Philosophi. Qui herbarum, qui stirpium, qui animantium, ortus, progressus, naturas, vires, utilitates prosequuntur? Philosophi. Qui de officio, qui de virtute, qui de ratione instituendæ vitæ, qui de moderandis affectibus disputant? Philosophi. A Philosophis omnis doctrina liberalis, à Philosophis omnis historia, à Philosophis omnis artium varietas sumi potest: ab his oratores, ab his imperatores, ab his Rerumpublicarum rectores exstiterunt: neque quisquam unquam aut in dicendo, aut in rebus gerendis excelluit, qui non prius in Philosophorum officina politus ac limatus fuisset. Ac mihi quidem sæpenumerò permirum videri solet, reperiri nonnullos usque eò socordes, ut oratoris munus ab homine Philosophiæ igna-

ignaro sustineri posse credant. Nam cùm illi ipsi fateantur, tria esse, quæ orator dicendo efficere debeat, 1 ut fidem faciat iis, qui audiunt, 2 ut eos suavitate perfundat, & 3 ut eorum animos aptis & accommodatis ad obtinendum id, quod vult, affectibus concitet: nullum est horum, quod mihi sine Philosophiæ auxilio perfici posse videatur. 1 An verò faciendæ fidei erit idoneus, qui non illos à Philosophis propositos fontes animo & memoria contineat, ex quibus ad omnem disputationem incredibilis argumentorum copia emanat? Ratiocinationes autē contexere & id, quod probandum susceperis, acutè circumscripta conclusione confícere, tum ea quæ ab adversariis allata sint, subtiliter dissolvere, quorum tandem est, nisi Philosophorum? 2 Neque verò video, quomodo delectare, nisi forte pueros, aut homines puerorum simillimos, queat inanis & nullo librata sententiarum pondere oratio. 2 Quid ita? nempe quòd, ut præclarè docet Aristoteles, is demum motus efficit voluptatē, qui perducit id, quod movetur, ad statum naturæ ipsius accommodatum & congruentem. 2 Itaque corpora cum aut exinanita sunt, aut redundant, tum perceptione cibi ac potionis, tum depulsione & ejectione superfluentium rerum lætantur; & in animis idem usu venire credendum est. 2 Quid est autem, quod natura duce concupiscat animus, ad quod feratur, cujus perpetua quasi fame sitiq; teneatur? Doctrina nimirum atque cognitio, 2 hic illi cibus, hic potus proprius ac naturalis est: eo alitur ac reficitur, eo saturatur ac elicit. Ergo illi tantum concionis ani-

1 Oratoris tria officia.
1.
2.
Rationes
Aristoteles
à simili
Doctrina
Philosophia
Animus

nimos insatiabili oblectatione devinciunt, quorum
Orator omnis sermo cum urbanitatis sale perspersus est,
tum distinctus & illuminatus doctrinæ notis quo-
rum ex ore, tanquam ex perenni quodam fonte, nun-
quam intermittente, nusquam insistente fluxu, no-
varum usque & admirabilium rerum copia incre-
dibilis profluit: ij demum modò clamores faciunt,
modò auditores admiratione percussos silere, & uno
in obtutu defixos hærere cogunt. Illud verò quod
3. in oratoris officio tertium ponitur, concutere au-
dientes omni genere affectuum, eorumq; pertracta-
re intimos sensus, & quocunque collibuit flectere,
quis unquam nisi Philosophia munitus consequetur?
An verò vel accendere, vel restinguere iracundi-
am, vel incutere, vel excutere timorem, vel
Cognere conflare invidiam, vel levare, vel ad misericordiam
adducere, vel à misericordia abducere audientes,
& eos quasi gubernaculo quodam linguæ impellere
arbitratu suo posset is, qui non horum omnium
Obiecti affectuum causas rationesque pernoverit? Sed in-
crebuit sermo quidam hominum imperitorum,
qui ita dicitant, ut ne inspiciantur quidem Philo-
sophorum libri, satis magnam tamen eorum omni-
um rerum uberemq; notitiam ex ipsis Rhetorum
scriptis posse desumi. Quod si ita est, quid, quæso, com-
movit veteres illos, qui dicendi laude cæteris antecel-
luisse perhibentur, ut tantam curam tantumq; studi-
um in audiendis Philosophis, & in perscrutandis pe-
nitusque cognoscendis eorum præceptis consumerent?
Pericles Quid Pericle illum, cujus in labris persuadendi Deam
sessi-

fessit aviſſe dictum eſt, quem fulgurare, quem tonare, quem permiſcere Græciam Comici veteres tradiderunt? Quid igitur illum impulit, ut Anaxagoræ ſe Phyſico erudiendum daret, eumque aſſectaretur, ſi ad illam, ad quam adſpirabat, eloquentiæ laudem, nihil in illius doctrina intellexerat eſſe momenti? Quid Demoſthenem, quid M. Tullium commemorem? tantam in utroque dicendi copiam fuiſſe cenſeremus, niſi ille Platonem, hic Philonem, Diodorum, Poſſidonium, alioſque permultos nobiles Philoſophos ſtudioſe ac diligenter audiſſet? Qui ſi ea, quæ ab illis accipiebant, à dicendi magiſtris accipere potuiſſent, non ab alienis illa mutuari & corrogare potius, quam domo & à ſuis petere maluiſſent? At quæruntur aſperam quodammodo & ſalebroſam eſſe Philoſophiam, inamœnumque illius ſtudium, quodque nulla dulcitudine aut allicere aut affectos detinere animos poſſit. † O molles ac voluptarios homines. Vos igitur in tanta rerum præſtantia ac dignitate etiam delicias quæritis? & quo vobis itinere ad ſapientiam aditus patet, ſuſcipere illud abnuitis, niſi viam† videatis tum molliſſimã & planiſſimam, tum roſis & violis conſtratam, quamque viridantes omni ex parte opacent patularum arborum comæ? At etiamſi perpetuò per Athonis & Caucaſi nives, ſi per feſtuantes Lybiæ arenas gradiendum foret, tamen, ſi viri eſſetis, omnem laborem omnemque difficultatem contemneretis. Sed non patiar vos diutius in errore verſari. † Scitote enim, hoc ſtudium, quod vos aſperum & inamœnum putatis, ita eſſe dulce, ita-

itaque jucundum, ut nihil suavius, aut jucundius ne votis quidem conceptis expeti possit. † Cui rei vel illud argumento sit, quod qui se illi semel penitus tradiderunt, ij postea neque rei familiaris cura, neque bonorum cupiditate, neque corporearum voluptatum blandimentis ab eo avocari queunt. † Possem hoc loco evagari latius, & id, quod dixi, tum repetitis è veteri memoria, tum vivis ac spirantibus exemplis confirmare, nisi me temporis ratio brevem esse admoneret. † Nunc igetur, quàm poterimus brevissimè, eorum refutemus errorem, qui se ita Philosophiæ studio contentos esse ajunt, ut omnem orationis cultum penitus negligant. Quorum non unum genus est. † Quidam enim nihil aliud dicunt, nisi verborum elegantiam Philosopho minimè necessariam esse. † Quidam etiam indecoram esse contendunt. † Sunt qui, cùm eam non indecoram esse fateantur, fieri tamen negant posse, ut unus idemque in utroque excellat, & tum rerum scientia polleat, tum dicendi facultate præstet: idcircoque nolle se in sequendo eo, quod assequi nunquam possint, operam perdere. Cum primis illis non multum nobis negotij est. † Nam ne nos quidem dicimus, ita necessariam esse Philosopho eloquentiam, ut, ea si careat, nomen suum tueri ac retinere non possit. Sed profectò sordida hominum, planeque misera vita sit, si studia nostra necessitate tantùm, non etiam commoditate & ornatu dirigantur. † Casis contectis stramine & angustis tugurijs ac gurgustijs, opertis etiam plaustris, ut Scythæ, aut, ut Cynici, doliis cœli defendere injurias possu-

possumus: idq; ad necessitatem satis est. Num idcirco ædificandi artem repudiemus? In vestitu cultuque corporis, si nihil spectemus aliud, nisi ut imbres, ut nives, ut ventos, ut solem, ut frigus arceamus: satis fuerit, vel pellibus animalium corpus amicire: an quisnam propterea honestior civilem ea in re consuetudinem negliget? † Sic & in hoc genere studiorum non in iis modò, quibus nullo modo carere, verùm etiam in iis, quibus satis commodè carere non possumus, elaborandum: neque tantùm necessitas, verùm etiam dignitas, & pulchritudo spectanda est: præcipuè cùm omnibus propemodum in rebus decorem & elegantiam cum summa utilitate natura ipsa copulârit. Hos igitur sine ulla contumelia dimittamus, tantùm moneamus, ut, si in omnibus vitæ partibus ornatus rationem habendam esse ducunt, in studiis quoque eam omittendam non esse, facto refellendi fateantur. † Isti nobis acriùs insectandi sunt, vehementiusque repellendi, qui dedita opera barbariem in loquendo diligunt, & non aliter se Philosophos visum iri putant, quàm si dictione inquinatissima utantur, & ut sues in luto ac cœno, sic ipsi in orationis sordibus volutentur. Antiquis temporibus quoddam stultorum genus fuisse proditum est, qui pedore ac squalore horridi, pannis obsiti, semper illoti, semper intonsi, semper impexi, illo ipso inculti ac neglecti corporis, Philosophorum nomen in vulgus assequebantur. Non valde dissimilis est eorum amentia, qui orationem nullo studio excultam, nulla diligentia expolitam, nullo artificio elaboratam

Philosophiæ professoribus convenire ajunt. Atque illi tamen eo tolerabiliores: quòd corporis colendi curam multi, ornandæ orationis studium nemo olim qui aliquo inter Philosophos loco haberetur, neglexit. Ni- Inter cæteros Epicureos nemo philosophorum si fortè quis Epicurum & eos qui ab eo sunt, objiciat: quos ego vix in hominum; in Philosophorum quidem numero nullo modo habendos esse consco. Est autem operæ pretium audire, quomodo hanc suam tam præposteram tamque absurdam opinionem confirment. Gravis alicujus & severæ matronæ Philosophiam similem esse ajunt, quam omnis fucus dedeceat: quæ nativa pulchitudine contenta, augere eam pigmentis & lenociniis non laboret. Vt inculteos & horrentes solitariosque lucos plus habere majestatis ac veneretionis, quàm nitidas & viridicatas, & digestis in quincuncem arboribus consitas sylvas; sic squalentem: & ut ita dixerim, impexam, nescio quo modo augustiorem & majestatis pleniorem videri, quàm comptam, & quasi unguentis delibutam oratorem. Quibus nos ita respondemus, non si calamistro intortus capillus, & bucca minio ac cerussa fluentes, & vulsa supercilia, & quæsitus arte dentium candor matronam dedecent: continuò illuvies, & situm, ac sordes decere. Est & suus, non modò matrifamilias, verùm etiam viro cultus. Et, ut reprehendendus sit, si quis quotidiè radatur ad speculum, quod tamen Africanum fecisse accepimus, & facie fœminibusque lavatis in publicum prodeat: sic si quis Patroclum illum imitari velit, quem cavillans Aristophanes, nunquam in vita lavisse dicit,

cit, ita ut nunquam os, nunquam manus abluat, nunquam sudorem detergeat, nemo sit, qui non fœdum illius adspectum, & tetrum ac virulentum, qui ex eo afflabitur, odorem abominetur. † Neque verò nos à Philosopho exigimus, ut verborum paritatem ac similitudinem aucupetur, neque ut in rotundandis periodis occupetur, neque, si agrestem esse illius & inconcinnam locutionem volumus, effœminatam & canticorum similem volumus: neque tam ut rerum præstantiam verborum splendore illuminet, quàm ut ne illam orationis impuritate contaminet, postulamus. † Tu mihi cùm de rebus cognitu dignissimis dicere ingressus sis, ea verborum portenta evomas, ut, qui aderunt, non hominem loqui, sed asinum rudere existiment? & tamen ea fatuitate atque impudentia sis, ut homines politè dicendi cupidos despicias, & istud, quod tu facis, voces philosophice loqui? Nam illud, quòd in eo majestatem quandam & quasi religionem inesse vis, vide ne potius impium sit ut vasa Deo dicata impuris manibus, ita Philosophiam impuro sermone tractare. Enimverò si ea demum sacra ac religiosa sunt, quæ ornatu carent: removeatur aurum à templis: gemmæ, signa, tabulæ, donaria denique omnis generis removeantur. Sin hoc vel cogitare nefarium est, fateamur id, quod ratio quodammodo ipsa præscribit, neque spes usquam melius, quàm in DEI cultu, neque dicendi copiam, præclariùs quàm in excolenda exornandaque Philosophia collocari. † Superest, ut iis satisfaciamus, qui negant, Philosophiam cum eloquen-

tia posse conjungi; necessarioque qui alteram ex animo colat, ei esse alteram deserendam: qui ad utramque animum adjecerit, ne utraque excidat periculum esse. Qui cùm hæc dicunt, si de sui tantùm ingenij imbecillitate loquerentur, ferendi essent, nunc cùm ex seipsis alios metiantur, & quod se præstare posse diffidunt, id universè ac generatim fieri non posse pronuncient, in eo quàm vehementer errent, admonendi videntur. Usque eò ne rerum veterum, & ejus ipsius, quam profitemini, imperiti estis, ut summam in Philosophis veteribus extitisse dicendi vim ac copiam nescitis? Ecquis unquam Platonem aut Philosophiæ scientia, aut dicendi facultate superavit? de quo Cicero bonus inprimis æstimator eloquentiæ ita magnificè sentiebat, Iovem ut ipsum, si Græcè loqui vellet, non alio quàm Platonis sermone usurum esse diceret. Quid Aristoteles? non & ipse dicendi præcepta unus omnium optime tradidit, & ea dicendi copia fuit, ut eumdem Cicero auro fluentem fluvium nominârit? nôn Xenophontis summi Philosophi ore Musas quasi locutas ferunt? non Theophrastus à loquenti divinitate nomen invenit? non posterioribus seculis eam in Carneade vim fuisse proditum est, nullam ut unquam rem confirmandam susceperit, quam non probaverit; nullam impugnandam, quam non everterit? Sed quid vetera & externa exempla conquirimus; cùm recentium & domesticorum copia suppetat? hæc civitas quàm multos & olim protulit, & quotidie profert, qui ut nemini non utraque laude præstiterint, ita omnibus,

nibus, utra potius præstiterint, ambiguum relinquunt? quorum vos adolescentes, per Deum immortalem, exemplum imitamini, neque committite, ut Veneta civitas, quæ semper toto orbe terrarum habita est fœcundissima virorum omni virtutis & doctrinæ laude præstantium parens, per vestram ignaviam atque desidiam ista tam præclara laude spolietur. An verò vos, illis ortos majoribus, qui nihil unquam sibi dulce præter virtutem & eruditionem putárunt, quidquam virtuti, quidquam eruditioni anteponendum esse ducetis? at exteræ nationes, non alio potius, quàm Venetorum hominum exemplo, ad eas colendas excitari atque inflammari solent. Hîc sedem virtutis, hîc domicilium litterarum, hîc seminarium quoddam præstantium virorum esse omnes uno consensu gentes exteræ confitentur. Hanc vos tam præclaram, tamque magnificam laudem, quæ ad hunc usque diem semper & crevit & floruit, vestra culpa decrescere ac deflorescere patiemini? non per illos Contarenos, Barbaros, Bembos, Donatos, cæterosque heroas, consecrata ad omnem posteritatis memoriam nomina, qui nunquam in cœlum hominum prædicatione conscendissent, nisi, quamdiu vixêre, illam, ad quam mea vos cohortatur oratio, Philosophia cum eloquentia conjunctionem, posthabita omni alia cogitatione coluissent. Hos spectate adolescentes, hos intuemini, horum de gloria dies noctesque cogitate, & ad eam vestra industria exæquandam contendite. Habetis in hac civitate publicè constitutos homines eruditissimos,

qui vobis in illo itinere duces optimi esse possint. Quorum me in societatem, licet valde ipsis omnibus imparem, quando ipsa Respublica vocavit, & eo me collocavit in gradu, unde possem in ipsius civitatis oculis voluntatis erga vos meæ quotidianas significationes dare: equidem non parcam labori: abjectisq; aliis omnibus curis, quantum conniti atq; efficere potero, tantum conferam ad ingenia vestra omni in genere disciplinarum liberalium, quantum quidem in me fuerit, excolenda. DIXI.

Pro Francisco II. Galliarum Rege ad Pium IV. Pont. Max.

ORATIO V.

HABITA ROMÆ POSTRIDIE Kal. Mai. anno cIↃ. IↃ. LX.

MANES quidem Christianos principes PIE Pontifex maxime, credibile est, accepto delati tuis maximis virtutibus honoris amplissimi nuncio, admirabili quadam lætitia perfusos esse: nec eorum fuisse quenquam, quin, sublatis in cœlum manibus, omnium rerum moderatori Deo singularibus verbis gratias egerit, quod sacrosancto Cardinalium Collegio eam mentem dedisset.

ut te potissimum deligerent, quem in ista dignitatis sede celsissima concordibus suffragiis collocarent. † Sed quanto nostri reges observantia erga Romanam Ecclesiam, & insigni atque assiduo defendendæ ornandæque illius studio cæteros ex omni antiquitate superarunt: tanto Francisci I I. Regis, te Pontifice declarato, majus quàm pro virili parte gaudium fuit. † Quare etsi non dubitabat, quin tu de clarissimo viro, Episcopo Engolismensi, Oratore apud te suo, cujus fidem, & integritatem tibi planè perspectam esse noverat, animum suum erga te, & erga hanc orbis terrarum principem Ecclesiam, & optimè & liberrimè cogniturus esses, tamen ut illustriorem etiam, & expressiorem significationem voluntatis suæ omnibus hominibus daret, judicavit sibi faciendum esse, ut ad te ex suis eo proprio nomine ejusmodi quempiam mitteret, in quo & dignitas ineesset, ea, quæ ad tantum munus obeundum requiritur; & alia præterea causæ, propter quas eum tibi unum ex omnibus gratissimum atque acceptissimum fore confideret. Misit igitur clarissimum & nobilissimum equitem † Ioannem Babonem à Burdæsia ejus quem modò nominavi Episcopi fratrem, arcanorum regni, & regiorum omnium consiliorum participem, cujus in maximis rebus gerendis virtutem, & fidem exploratam habet, quique præterea pietate, & observantia erga hanc Sedem neque fratri, neque cuiquam mortalium cedit. † Quorum ego amborum permissu regiæ voluntatis hodierno die apud te constitutus interpres, gratulor non tam equidem tibi, Beatissime Pa-

ter, quam universæ Christianæ Reipublicæ, quæ pristinum illum splendorem suum, qui magno bonorum omnium mœrore apud pleraſq; gentes pravis opinionibus corruptas, magis ac magis in singulos dies obsolescebat, brevi se tuo ductu atque auspiciis recuperaturam, non dubitanter sibi de tua præstanti bonitate ac sapientia pollicetur. Summa planè omnia ac prope divina in eo requiruntur, qui clavum in Ecclesia navi teneat: cujus à nutu pendeant leges: cujus ad pedes Reges ipsi se abjiciant: cujus arbitrio pandatur cœlum: qui denique supra omne humanæ dignitatis fastigium evectus, DEI personam inter homines sustineat. Nam si divina littera à quolibet Episcopo tantam integritatem ac virtutis perfectionem exigi volunt, nullus ut in omni ejus vita reprehensioni pateat locus: neque gravitatem ejus muneris dignè à quoquam sustineri posse tradunt, nisi quem pietas, prudentia, justitia, uno verbo, virtus suis omnibus numeris absoluta commendet: quid in eo qui omni tempore cum summo imperio tractare gubernacula Ecclesiæ debeat, cujus vita cæteris omnibus pro exemplo, voluntas pro lege, vox pro oraculo futura sit, quantò hæc omnia requiri majora, & divinitati propiora censemus: Itaque, ut alia, sic hoc quoque sanctè ac sapienter institutum est à majoribus, ut quoties de summo Pontifice in demortui locum eligendo ageretur, interea dum ea de re amplissimus Cardinalium ordo deliberaret, nullus intermitteretur dies, quo non omnes, & privatim & publicè precarentur à Deo, ut eum ipse gre-

gregi suo præficeret, quem dignissimum, quem ad publicam concordiam, & tranquillitatem aut constituendam; aut conservandam aptissimum, quem denique, quantum humana conditio ferr, sui simillimum judicaret. Quod si ejusmodi Pontificem ulla unquam tempora desiderarunt; nostrorum certè is status est, ut nunquam magis existius Sedis auctoritate universi orbis salus pependisse videatur. † Non enim Petri navis, ut solebat, placido mari, secundis conspirantium ventorum flatibus impulsa fertur. Horribiles eam procellæ, & turbinum vis vel exercitatissimis metuenda rectoribus agitat: ut quanquam à naufragio quidem nullum periculum est, non mediocris tamen animos teneat metus, ne tam sæva tempestas multos mortales, novarum opinionum fluctibus involutos, in ea brevia præcipites abripiat, unde postea nec enatare ipsi, nec evadere atq; emergere alieno auxilio possint. Quo nos omnes divinæ bonitati majores agere gratias convenit, quæ deploratis prope jam rebus, certè quidem in summum discrimen adductis, & extrema spe pendentibus eum gubernatorem dedit, quo meliorem, & ad hæc omnia in melius convertenda accommodatiorem, non dicam reperire, sed ne optare quidem, aut etiam cogitando informare poteramus. Iam nunc igitur precipimus mentibus ejus diei lætitiam, quo gentes illæ, quæ tum fallacibus improborum hominum sermonibus in laqueos erroris inductæ, tum fortassis etiam, quorundam è nostris licentiori, & dissolutiori vivendi genere offensæ, abscide-

runt seipsos à corpore Ecclesiæ, & adversus eam impium ac nefarium bellum susceperunt, mutato consilio, ad sanitatem redeant, & erroris sui veniam petentes, depositâ omni contumacia, sanctissimis pedibus tuis osculum figant. † O præclarum illum triumphum, & cùm omnibus, tùm iis præcipuè, de quibus agetur, optabilem. † Non enim tu illos opprimere, sed oppressos exigere, non in servitutem abducere, sed miserrimâ servitute in veram libertatem asserere; non perdere, sed servare vis: non eorum sanguinem fundere, sed, ne sanguis IESU CHRISTI frustrà pro eis effusus sit, efficere: non retortis post tergum manibus, collo catenis gravato, ante currum ducere, sed iis ipsis vinculis, quibus impediti tenentur, exsolvere meditaris. Quibus igitur ipsis, nisi in eo ut vincantur, nulla spes salutis est: credimus usque eò perfractos ac pervicaces fore: ut ad extremum perire, per obstinationem animi malint, quàm cedendo & obsequendo servari? † Immò verò certa spes est, cessuram tandem aliquando rationi temeritatem, luci tenebras, mendacium veritati. Quantam ille dies non terris modò, sed cœlo ipsi hilaritatem allaturus est? † Nam si, cùm unus aliquis, qui à recto vivendi tramite deflexerit, in viam redit, innumerabiles illas legiones Angelorum exsultare ac gestire gaudio credimus: quid tandem facturas esse augurabimur, cùm tot hominum miserabiliter nunc in suam perniciem ruentium millia resipuerint, & unde Satanæ instinctione discesserant, eò sancti Spiritus afflatu instincta se receperint? † Age igitur optime

maxi-

maxime Pontifex: præripe posteris tuis hanc gloriam: & quo aliquando fieri necesse est id ut te potissimum Pontifice fiat, eniteare. Addatur decus hoc annalibus nostris, ut in eis olim legatur, pestilentissimas opiniones, quæ, quasi contagione quadam paulatim serpentes, per omnes propemodum Christiani nominis provincias pervaserant, auctoritate tua † dissectas, dissipatas, exstinctas, exterminatas fuisse. Damnentur votorum suorum per te omnes veræ pietatis studiosi, qui multos jam annos nihil ardentius à Deo quàm concordiam, & harum dissensionum finem efflagitant. † Signetur hoc præcipuè titulo Pontificatus tuus: ut, si quis quondam non expresso nomine PIUM Quartum intelligi velit, eum Pontificem dicat, qui affectis & ægrotis Ecclesiæ membris tam salubrem medicinam adhibuerit; ut etiam eæque desperatæ videbantur, integræ & incolumia conservarit. † O nos beatos, cùm illa, ut speramus, evenerint: O te Pontificem modis omnibus maximum ac beatissimum. Quæ futura est tam barbara, aut tam longinqua natio, quò non, tam divini beneficij à te in totum hominum genus collati, fama perveniat? Quæ tam ingrata littera, quæ devijs laudibus conticescant? Quæ tam surda posteritas, quæ clamores nostros admiratione virtutis ac felicitatis tuæ excitatos non exaudiat? Maquamverò tam præclarè rei & suscipiendæ occasionē, & ex animi sententia conficiendæ spem tibi offerre tempus ipsum videtur. † Nam superioribus annis, cùm duo Christianorum maximi potentissimique Re-

gis,

ges, gravi & diuturno bello inter se contenderent, cæterorum autem Principum non ferè quisquam esset, qui non ad alterutram partem aut suapte voluntate inclinaret, aut aliqua officij ratione adduceretur, aut etiam necessitate traheretur: † cùm undiq; armorum fulgor, strepitus, terror, omnium oculos, aures, animos, præstringeret, obtunderet, consternaret: † cum quibusdam locis, pauciores jam reperirentur, qui fructus ex agris perciperent, quàm qui agros ipsos aut sua, aut aliena cæde quotidie cruentando pinguiores efficerent: eveniebat, ut in illa rerum omnium perturbatione † & improbi & conscelerati homines opinionum suarum venena per omnes populos fidentius atque impunius spargerent, & principes, aliis cogitationibus occupati, ad coërcendam illorum audaciam animum convertere non satis commodè possent. † Habet in se belli cùm alia mala plurima, tum illud inprimis, quod & malè animatis hominibus affert peccandi facultatem, & plerumq; principibus connivendi necessitatem. At nunc, cùm divino numine, arreces illi bellorum impetus resederint: cum illa tamdiu exoptata pax, cœlo demissa, eorum animos, qui odijs, ut videbantur, implacabilibus dissidebant, æterno, ut speramus, fœdere conjunxerit: quis non intelligit, fore ut principes, aliis curis soluti, ad purgandas provincias suas, & ad omnes impiorum dogmatum fibras elidendas, omnes radices evellendas, atque excidendas toto pectore incumbant? † Quod quidem Franciscus, Rex Christianissimus, & jam nunc diligentissimè, facit,

facit, & diligentius atque animosius indies facturum se esse profitetur. Meminit enim, eis se majoribus editum, qui, ut sectas religioni nostræ inimicas exstirparent, ut Christiani nominis fines quàm longissimè propagarent, ut Apostolicæ Sedis auctoritatem sanctam atq; inviolatam præstarent; nullam sibi unquam difficultatem pertimescendam, nullum periculum detrectandum, nullam dimicationem refugiendam putârunt. An ille cùm vetera illa Christianæ pietatis columina Childebertos, Marcellos, Pipinos, Carlomanos, aliosq; innumerabiles heroas, hæresum exstinctores, veræ fidei assertores, Pontificiæ dignitatis vindices ac propugnatores memoria repetat: eorumq; se sanguinem ac progeniem esse cogitet, quorum pro Christi doctrina expeditionibus, bellis, victoriis totus terrarum orbis nobilitatus est; & †, ut vetera taceantur, cùm se Francisco primo prognatum, Errico secundo natum recordetur, duobus post hominum memoriâ præstantissimis Regibus, quorum utriusque tanta tamq; insignia exstiterunt in Ecclesiam promerita, maximo animo majorum suorum vestigia non persequatur? †Ille verò faciet: nec adæquare modò eorum gloriam, verùm etiam, si fieri possit, superare conabitur: quiq; se principem inter Ecclesiæ filios locum obtinere intelligat, ut illo se honore dignissimum præstet, omni studio elaborabit. Tu modò, Pater Beatissime, pro tua singulari, & eximia sapientia, quid ad compescendos tumultus, & ad statum Ecclesiæ componendum utilissimum sit, statuito. †Notum est, maximas sæpe, & per-

Fortis.

Galliarum reges Hæreseon exstinctores.

Hispaniæ

pontifices

Gallicæ rex primogenitus Ecclesiæ

Ad concilii [illegible] celebrationem exhortatio.

perniciosissimas in Ecclesia dissensiones ritè convocato ex omnibus Christianæ ditionis partibus Episcoporum Concilio sedatas fuisse. Eodem remedio si tibi nunc quoque ægrotis exulceratisque rebus subveniendum esse videatur: nihil est, quod Regi gratius, aut optatius possit accidere: neque tibi dubium esse debet, quin ipse omnes vires suas eò collocaturus sit, ut quæcunque ab ejusmodi Concilio decreta fuerint, pie inviolatèque serventur. Omninò autem, Beatissime Pater, quæcunque obedientia ab optimo, & obsequentissimo filio præstari potest, eam tibi Rex summa fide, summáque constantia præstiturus est, idque se semper facturum esse, per hos clarissimos, & ornatissimos viros, oratores suos sanctissimè polliceur: Tu vicissim perge, ut facis, & Regem ipsum, & universum Galliæ Regnum paterna caritate complecti. Multæ sunt causæ, quæ te ut id facias excitare debent. Primùm ipsa muneris amplissimi, quod te Deus in terris sustinere voluit, ratio. Deinde ardentissimum illud studium, quod semper usque à Clodoveo viguit in Regibus nostris, adjuvandi Romanam Ecclesiam: ut, quoties ita tempora tulerunt, se, regnumque suum in apertum discrimen objicere maluerint, quàm Ecclesiæ laboranti deesse. Qua ex re illud assecuti sunt, ut, & ipsis, & eorum posteris primus inter Ecclesiæ filios locus, nemine dissentiente, tribuatur. Valere etiam apud te debet illa nominis sanguinisque conjunctio, quæ inter te, & lectissimam, omnique laude & prædicatione dignissimam fœminam Catharinam, regis matrem, intercedit. Nam cùm

cùm eì, neque quidquam unquam optatius fuerit, ut tu ipse omnium optimè nosti, quàm ut te tertium è gente sua summum Pontificem videret: neq; majorem lætitiam attulerit, quàm cùm intellexit, se id, quod tantoperè optaverat, consecutam: æquum est tanto illius erga te studio parem à te voluntatem referri. † Possemus, & alia eodem pertinentia proferre, nisi ea jam mutua inter te, & regem voluntatis testimonia utrinque data essent, quæ neminem dubitare patiuntur, quin & ipse tibi dicto audiens futurus sit, & tu eum paterna benevolentia prosecuturus.

† Hæc habuimus, Beatissime Pater, quæ tibi Francisci II. Christianissimi Regis nomine exponeremus. Nunc, cùm idem Scotiæ regnum obtineat, unà ipse cum Maria uxore, à qua illud dotis nomine accepit, omnes tibi ejus & opes, & copias deferunt, seq; omnibus in rebus auctoritati tuæ libentissimè obtemperaturos, omnemq; tibi, quæ à filiis debetur, obedientiam præstituros pollicentur. † Nos, ne rursus orationem à capite arcessere necesse sit, quæcunq; de Galliæ regno diximus, eadem, ut de Scotiæ quoq; regno dicta esse existimes, obsecramus.

DIXI.

PRO

Pro Antonio Rege Navarræ ad Pium IV. Pont. Max.

ORATIO VI.

HABITA ROMÆ POSTRIDIE Decemb. anno cIↃ. IↃ. LX.

Quo tempore Ioanna missis ad summum Pontificem litteris sua manu subscriptis se & Catholicam esse profitebatur, & se nunquam à S. R. E. obedientia descituram pollicebatur.

QUANTUM lætitiæ Pontificatus tuus Antonio Regi Navarræ, & Ioannæ ipsius uxori attulit, Beatissime Pater, tantum eis commoditatis ad eam lætitiam, nulla interjecta mora, tibi significandam tempora tribuissent: nihil omninò habuisset antiquius, quàm ut ad te statim mitterent, qui tibi summum honorem, huic amplissimo Cardinalium Collegio summam prudentiæ ac judicij laudem, universæ Christianæ Reipubl. magnam & prope exploratam antiquæ dignitatis recuperandæ spem suo nomine gratularetur. Sed quoniam quantū ex optimi, & ad sedendas horum temporum discordias aptissimi Pontificis creatione gaudium caperent, in ipsorum probitate, ac fide positum fuit: quam vacuum tempus, & ad legationem ejus rei causa

causa subitò decernendam idoneum haberent, non fuit: judicârunt, si temporibus suis parerent, & quod recenti re facere, cùm magnoperè cuperent, non satis commodè poterant, id in diem differrent, nihilominus ea causa testificationem voluntatis suæ aut sibi honorificam aut tibi jucundam, atque acceptam fore. † Et verò, Beatissime Pater, si apud te, & apud hoc sanctissimum, augustissimumq; concilium non ex vulgi opinionibus, sed ex veritate unaquæque res penditur: gratulatio paulò seriùs facta, non tam propter tarditatem aliquid de illa novitatis suavitate, ac dulcedine deperdere, quàm propter maturitatem aliquid auctoritatis ac fidei acquirere videtur. Etenim qui tibi, cùm primum ad istum cœlo proximum in terris locum divino consilio subjectus es, gratulabantur, eam tantùm gaudij sui causam afferre poterant, quòd certò sperarent fore, ut qui te per totam vitam omnibus maximis honoribus dignissimum præbuisses, eum consecutus, quo nullus amplior exoptari potest, tantam dignitatis amplificationem pari virtutis accessione cumulares. Magna prorsus illis, & illustria suppeditabant argumenta, cur ita crederent: neque non firmissimis fundamentis nitebatur incredibilis illa spes, quam de futura Pontificatus tui felicitate conceperant. † Sed quantum interest inter ea, quæ futura creduntur, & ea quæ jam sunt? quantò experta jam & explorata, quàm sperata & exspectata, majorem lætitiam in animis hominum commovent: quantò certiùs & veriùs homines præterita, & præsentia commendare, quam de futuris affirma-

gratulatio seriò facta maturior. cum mirificâ hujus tabis exultatione.

Et præsentia rerum spem incertam exuperant.

re pronunciare possunt: tantò plus ponderis ac fidei habere debet ea gratulatio, quæ tibi fit, annum prope jam integrum ex ista sanctissima Sede universum orbem sapientissimè gubernandi, quàm illæ, quæ tum fiebant, cùm homines, qualem esse te plus plusque indies experiuntur, talem futurum esse prospicerent, qualisque augurarentur. Neque verò hæc in eam sententiam idcircò à me disputantur, quod non libentissimè facturi fuerint Antonius Rex & Ioanna Regina Navarræ, ut, quemadmodum nulli Christianorum Principum concedebant, qui magis ex tua dignitate gaudium percepisset: ita nemini, quantum per locorum intervalla licuisset, concederent, qui tibi citiùs de illius adoptione gratularetur: si quàm solutæ ipsis & liberæ voluntates, tàm soluta etiam, & nullis impedita difficultatibus tempora fuissent. Sed ita cogitârunt: si rerum suarum incommodo maturarent id facere: ipsi tibi, cui maximè probare studium suum cuperent, pro tua in se paterna caritate, ubi rem cognosses, insuavem fore celeritatem sine ulla necessitate cum ipsorum incommodatione susceptam. † Nunc autem miserunt ad te, clarissimum & spectatissimum virum † Petrum Albretium, propinquum suum, qui genibus tuis suppliciter advolutus, tibi, vero IESU CHRISTI in terris Vicario, certissimo Petri Apostolorum principis successori, communi totius Ecclesiæ Christianæ pastori, ac gubernatori, debitam obedientiam suo amborum nomine præstaret atque exhiberet: tibique atque huic sacrosancto Collegio confirmaret,

Ante-

Antonium Regem, & Ioannam Reginam Navarræ, nti veros Ecclesiæ filios decet, tibi semper dicto audientes futuros: neque ullam evenire posse rem tantam, quæ ipsos ab hujus sanctæ & Apostolicæ Sedis observantia, & ab ea, quam sibi per manus à majoribus traditam summa firmitate ac constantia perpetuò retinuerunt, persuasione divellat. † Hic ego, Beatissime Pater, si orationis vela pandere & quasi aperto invectus mari, per eorum Principum laudes, quorum nomine apud te verba facio, decurrere instituam, vereor ne, cùm dicendi principium vel facillimè reperero, exitum reperire non possim. † Nam quæ tandem nominari potest ullo in genere virtus, quæ non in eorum utroque ita emineat, ut ad quamcunque sequis animo & cogitatione converteris, ea demùm excellere ac præstare videantur? † Sed quoniam & ipsi nos hoc tempore suæ modò voluntatis interpretes non etiam suarum laudum explicatores esse voluerunt, & eorum virtus excelso atque illustri sita loco, satis ipsa per se nullo adhibito alieno prædicationis lumine in oculos omnium incurrit: laudandis ipsis, quod verissimè & copiosissimè facere possim, supersedebo: † tantùm ex veteribus historiis nonnulla proferam, ex quibus intelligatur, & ab iis illos ortos esse majoribus, & in eorum opes atque imperia successisse, qui sibi posterisque suis amplissimam gloriam nulla re magis, quam frangendis, ac domandis nostræ religionis hostibus, defendendáque Apostolicæ Sedis dignitate peperierunt. † Quis est enim ita veteris memoriæ ignarus, ita in

superiorum temporum historiis peregrinus atque hospes, qui non divi Ludovici Gallorum Regis optimi ac sanctissimi res pro Ecclesia fortiter gestas, si minus è scriptorum monumentis cognoverit; at auditione certè aliqua acceperit? † Cujus viri per omnem vitam domi forisque spectata virtus, & vivum maxima laude cumulavit, & confecto hujus vitæ curriculo in cœlestium concilio collocatum ad Divorum religionem & sanctimoniam consecravit. Ab eo igitur, & Antonius Rex, & Ioanna Regina Navarræ, duobus quasi rivis ex eodem capite manantibus originem ducunt: ut non sine divino consilio sancti Regis soboles in plures familias sparsa atque diducta, post trecentos propemodum annos matrimonii fœdere copulata in unam eandemque domum denuò coaluisse videatur. Etenim & tanti herois progeniem quàm latissimè fundi & propagari oportebat, ut è stirpe generis, ac seminis quam plurimis populorum rectoribus integra illa & incorrupta religio, quæ in eo fuerat, ingeneraretur; & æquum erat, ex ea profectos tandem aliquando rursum inter se conjungi, ut exstarent, qui utraque stirpe possent divo Ludovico generis sui auctore, ac principe gloriari. † Quod si mihi fas est, beatissime Pater, audiente te, in hoc augustissimo religionis antistitum consessu, res divinas attingere, & de Divorum sensibus, ne cogitationibus aliquid dicere: credo equidem divum Ludovicum, pro caritate illa, quæ beatos ne tum quidem deserit, cùm spes, & fides finem suum consecutæ desciunt, credo, inquam, eum è cœlo in suos intuentem,

tem; horum, de quibus loquimur, principum conjunctione lætari, & assiduis hac à DEO precibus exorare, ut à se orti per sua vestigia gradiantur, utque in vero Dei cultu non tantùm ipsi se, populosque suos contineant, verùm etiam illius propagationem primam sibi omnium rerum putent. † Inde fit igitur, ut & Galliarum Reges ejus gloriæ, quæ conservandâ & propagandâ religione paritur, principatum sibi præter cæteros appetant; & qui eis genere proximi sunt (arctiori autem eos, quàm Navarræ Rex, & Regina, necessitudine attingit nemo) nulla in re magis elaborent, quàm ut se perpetuo ejusdem laudis societate dignissimos præstent. † Nam quid ego nunc Ludovicum, Philippi & re & cognomine Animosi Galliarum Regis filium, D. Ludovici nepotem, Eburonicum Comitem, Regem Navarræ, à quo per multos gradus nunquam interrupto successionis ordine, hæreditas regni ad Ioannam Reginam pervenit; eum igitur cur mihi pluribus verbis commendandum putem? Quid ejus Philippum filium? Qui non tantùm regni, verùm etiam patriæ atque avitæ virtutis hæres, pro Christianæ pietatis defensione cum Granatæ Rege acerrimo per id tempus CHRISTIANORUM hoste, magnum & diuturnum bellum, summa & fortitudine & prudentia administravit. Theobaldi verò Campaniæ Comitis, qui & ipse Navarris regio imperio præfuit, virtutem quis unquam satis pro dignitate laudare posse confidat? qui cum totam prope ætatem in oppugnandis CHRISTI adversariis consumpsisset, ejusque

rei causa usque in Africam invictum exercitum duxisset, multa prælia commisisset, multas victorias reportasset, tandem è sacro bello, ad quod divum Ludovicum comitatus fuerat, rediens, paucis post eum diebus ad Superos evolavit. † Fuit fuit illa semper & adhuc est, in Navarrorum Regibus virtus, ut religionis defensioni alia omnia posthabirent: pro ea, quoties ita res ferret, non fortunas modò suas, verùm etiam sua capita sine ulla cunctatione in quodlibet periculum offerrent. Neque verò ita eos animatos esse mirabitur quisquam, qui cognoverit nunquam eos ipsa regni sui insignia adspicere posse, quin recordentur antiquæ majorum suorum virtutis, & laborum, quos illi pro religione nostra maximeque memorabiles pertulerunt. † Ita enim memoriæ proditum est, Castella regnum in Hispania quondam à triginta barbarorum Regibus, Duce atque Imperatore Smaragdo, occupatum fuisse. Unde cùm illi magnum omnibus Christianis terrorem injicerent, breviquè, se tota reliquâ Hispaniâ, quæ Christianorum erat, potituros esse confiderent: Sanctum Navarrorum Regem, collecto forti magis, quàm numeroso exercitu, adversus eos profectum esse, cùm prius pulcherrimum clarissimumque jusjurandum juràsset, nunquam se ex bello, nisi parta victoria, reversurum. Excogitaverant barbari cùm alia multa ad prohibendas nostrorum incursiones aptissima, tùm catenas quasdam ferreas, quibus ita vias omnes occluserant, ne equitatui, quo plurimùm valebant nostri, omnis adempta spes faciendæ in hostem irruptio-

ptionis videretur. Sed nihil virium habent adversus prudentiam subdolam & astuta consilia: debiles sunt omnes adversus constantiam machinæ: imbecilla & inutilis adversus fortitudinem multitudo. Deo duce per medios hostes sibi & suis viam ferro faciens Sanctius non prius destitit, quàm barbaros fusos fugatos, castris exutos docuit, victoriam non in munitionibus operibusque bellicis, sed in causæ bonitate positam esse: qui pro CHRISTI nomine dimicarent, eorum impetum non posse ne collatis quidem in unum aliorum omnium viribus sustineri. Superatis agitur, & in potestatem redactis hostibus, omnium nostrorum & imperatorum & militum incredibilis concursus ad Sanctium factus est: alius amplexari eum, alius ad genua accidere, alius fortem illam dexteram barbarorum domitricem, Hispaniarum liberatricem, victoriæ confectricem exosculari: qui propter multitudinem propius accedere non poterant, vultu, oculis, manibus, corpore quascunque poterant, animi sui significationes dabant: una omnes voce, & bellatorem fortissimum, & imperatorem invictissimum consalutabant. Inde cùm de dividenda præda agi cœptum esset, quæ tanta erat, quantam triginta potentissimorum Regum collata unum in locum opes coacervare potuerant: nemo erat in universo exercitu, qui non non ita sentiret, itaque prædicaret, quantamcunque sibi partem ex ea vel deposceret, vel etiam suo jure sumeret Sanctius, nunquam tantum ad eum perventurum esse, ut non multò plus ipsius virtuti præclarisq; factis debe-

retur. Erat in castris barbarorum auri, argenti fa-
Spolia hostium ecti, infectique permagna vis: gemmarum maximi
pretij admirabilis multitudo: multum tapetium,
multum conchyliatæ vestis, multum peristromato-
rum: ut est illa etiam in bellis luxuriosa gens: ar-
morum omnis generis optimorum & exquisitissimo
artificio fabricatorum infinitus prope numerus: e-
qui præstantes permulti: phalerarum, ephippiorum,
cæterorumque ornamentorum equestrium incre-
dibilis copia: captivi longè plurimi: ex quibus ingens
pecunia confici posset: quibus omnibus ex rebus, San-
ctium, ut quantum vellet, sibi ipse sumeret, summo
omnes consensu obsecrabant. Ille, alacri vultu, cùm
gratam sibi esse illam exercitus voluntatem signifi-
casset: Non me, inquit, barbaricarum opum cupidi-
tas, ut in hoc bellum ingrederer, aut in prima acie
stans corpus meum telis hostium objicerem, induxit.
Christianæ mihi pietatis ardor, & hujus pulcherri-
mæ regionis ab injusto immanium belluarum domi-
natu vindicandæ studium, faces ad eam rem, & sti-
mulos subdiderunt. Nunc, cùm id, quod volui divino
beneficio, & vestra, milites, virtute consecutus sum:
non committam, ut majori animo videar arma-
torum & stantium copias, quàm inermium & ja-
centium spolia contempsisse. Ornamento sint ista
primùm immortalis Dei nostri Divorumque templis
ac delubris: ut partim in sacrariis reposita, partim
e tholis pendentia, propagent in omne tempus memo-
riam nostri: posterosq; nostros ad suscipiendam sem-
per magno animo religionis, nostræ defensionem exsu-
sci-

scitent: Ditent cætera egenos & exhaustos, pro suis quemque meritis, milites: ut, cùm juventutis suæ firmitatem in periculis & laboribus consumpserint, habeant olim, quo senectutis infirmitatem in tranquillitate atque in otio sustentare possint. Ego quidem, quod ad me attinet, præter has catenas, quas spectantibus adjuvantibusq; vobis perfregi atq; perrupi: & præter illam gemmam, illam, quam meis manibus dejectam, illic jacentem videtis (hæc autem dicens, ostendebat illis prostratum, & in sanguine suo involutum exanimem Smaragdum) nullam omninò mihi mercedem, nullum præmium, aut postulo, aut appeto. † Ergo ad conservandam tam nobilis victoriæ memoriam, simulque ad incitandos successorum suorum animos, & ipse postea catenas pro insignibus gestavit; & instituit, ut iisdem insignibus cæteri post se Reges uterentur. Ac quoniam eo in prælio præcipuum, quem dixi, barbarorum doctorem Smaragdum sua ipse manu obtruncaverat: ejusdem nominis gemmam medio illarum catenarum complexu voluit contineri. Quin etiam propter hanc aliasque similes victorias, Regibus Navarræ honoris ergò tributum est, ut inungantur, coronentur, consecrentur. † O beatum illud seculum, cùm Christiani & principes, & populi sine ullis discordiis, sine ulla opinionum varietate ac discrepantia, summo consensu, omnes vires suas ad proferendos Christianæ ditionis terminos conferebant. Nostra ætas & Christianos principes alios aliorum viribus collisos attritosque vidit, & in populis, ne quid abesset

esset miseriis nostris, gravissimas pestilentissimasque seditiones ab improbis hominibus, qui cupiditatibus suis falsò religionis nomen praetexerent, concitatas. Transitio ad Apostrophen ad peroratiohem. Quibus malis finem per te impositum iri, PIE Pontifex optime & sanctissime, omnes ita confidunt ut si haec spes fefellerit, omnia quae possunt evenire miserrima maximèque detestanda vereantur. Erexisti animos omnium, indicto, quod tanto opere optabatur, universali Concilio: Injecisti spem fore, ut, haeresium peste sublata, sacrosanctum IESU CHRISTI nomen eodem animo, eadem voce, iisdem ritibus ab omnibus invocetur. † Agedum, Beatissime Pater, ita te Deus ille, cujus tu personam in terris sustines, quàm diutissimè, & quam felicissimè Ecclesiae suae praesse velit, urge constanter, ut facis, istud propositum: omnemque diligentiam adhibe, ad prohibendum, ne tam teeri mali contagio latiùs serpat. Memento, te nostrum omnium communem patrem, & pastorem esse: nostram omnium salutem ab eo tibi commissam, ac creditam; † qui cùm Deus esset, humana natura assumptâ, quin sanguine suo viam nobis in coelum panderet, non recusavit. Omnia speramus à te excitatum iri, quae facere sentis, tantis tamque diuturnis dissensionibus perculsa atque prostrata. Videre jam videmur illud tempus cùm per te constituatur Ecclesiastici ordinis auctoritas, confirmentur veteres ritus, pravae opiniones aboleantur, concordia, ne unquam postea dissolvi possit, severis legibus vinciatur. Multa perdidit Ecclesiasticus ordo & ornamenta dignitatis, & praesidia stabilitatis suae: quae nisi per te recu-

recipiat à nemine sibi restitui posse censet. Ad ea autem recuperanda cùm cæteros Principes Christianos tibi affuturos esse credimus: tùm Antonius Rex, & Ioanna Regina Navarræ, se Regnumque suum & Bearniam, & quascunque denique summo cum imperio obtinent provincias, in tua potestate semper fore, seq; ut par est, obsequentissimos Ecclesiæ filios, auctoritati tuæ nunquam non libentissimè obtemperaturos esse, sanctissimè pollicentur. Dixi.

De Moralis Philosophiæ laudibus.

ORATIO VII.

HABITA ROMÆ XVI. KALEND. Decembris ANNO cIↃ. IↃ. LIII.

VETERI consuetudine receptum est, ut omnes, qui artem aliquam publicè docendam suscipiunt, eam primam habeant concionem, qua rationem instituti sui cum ejus, quam se tradituros esse profitentur, artis laude conjungant, eoque quidquid habent in dicendo virium conferant, ut in ea cùm utilitatis & emolumenti, tùm dignitatis & amplitudinis longè plurimum inesse confirment. Quæ consuetudo etsi minimè reprobanda

Orditur ab orandi præceptorum consuetudine, ut nihil deterius omnium.

denda mihi quidem videtur: quod omnia laudanda sunt, quæ ad amplificandam honestarum artium dignitatem, & ad excitandum in hominum animis earum studium pertinent: tamen illud habet incommodi, quod, dum omnes promiscuè iisdem ferè afficiuntur laudibus, ejusdemque rei gloriam diversarum artium homines ad suam quisque traducere ac transferre conantur: fit, ut in vulgus elevetur omnium auctoritas: & ut, quoties aliquis de quacunque arte quippiam honorificè ac splendidè dicere ingressus est, circumfusa multitudo ita eum loqui opinetur, non quod ita sit, sed quod eam tunc artem ornandam celebrandamque susceperit, idem de alia dicturus, si alia sibi extollenda & exaggeranda esset. Ergo, ut qui comœdias aut tragœdias spectant, cùm histrionem aliquem in proscenio auro ac purpura fulgentem viderint, facilè intelligunt, illa ornamenta ipsius propria non esse: sed futurum, ut eque illis induceretur quilibet alius è grege, qui ad tempus eam personam sustineret: ita, qui ejusmodi orationes audiunt, cùm hanc aut illam artem magnificis & exquisitis exornatam laudibus vident statim judicant, nihilo magis eas in hanc, quàm in illam, convenire, futurumque ut eadem de qualibet alia dicerentur, cui orator tanquam choragus, eas quasi partes mandare atque imponere voluisset. Quæ cùm mihi de principio in mentem venirent, propemodum in eam me sententiam adduxerant, ut eam Philosophiæ partem, quæ ad confirmandos mores, instituendamque vitæ rationem pertinet, quotidianis

dianis disputationibus, quantum meæ vires ferrent, illustraturus, nihil initio, quò dignitatem ipsius vobis commendarem, dicendum arbitrarer; verentem, ne cum suis eam modò ac propriis laudibus extulissem; communes tamen illæ nonnullis ac trálaticiæ viderentur. Simul autem illud cogitabam, si qui nondum pervidissent, assidua, & diligens harum præceptionum tractatio quantum momenti habeat ad bene beatéque vivendum, fore ut brevi eis pro me ipsa loqueretur: ex qua multò id eos melius, multoque perfectius, quàm aut ex mea, aut ex cujusquam oratione cognituros. † Sed ab ea me sententia abduxit amicorum aliter sentientium auctoritas, qui cùm alia multa, tum hoc argumentum attulerunt: cùm hæc ipsa Philosophia præcipiat: non esse cuiquam temerè à publica consuetudine discedendum, minimè convenire, qui eam se traditurum, profiteretur, eum in ipso quasi vestibulo illius præcepta migrare. † Quocirca dicam hodierno die breviter & moraliè de moralis Philosophiæ laudibus, deque fructibus, quos illa suis cultoribus pollicetur: sed philosophico magis, quàm oratorio more: non ut ei quidquam alieni affingam, aut quæ ipsius propria sunt, amplificandi causa in majus extollam: quorum alterutrum si quis faciat, ipsa mihi Philosophia, ut est veritatis amans, tanquam Achilli Homerica Pallas, manum injiciat: sed ut modo ac simplici orationis genere, quale veritatis proprium esse, ait Euripides, ea, quæ ad rem facere videbuntur, exponam. † Primùm igitur non tantùm modò, sed omnium omninò hu-

manæ-

manarum rerum dignitatem atque præstantiam ex fine, ad quem earum quæque dirigitur, quemque sibi proponit, pendi ac spectari arbitror oportere: ut, quanto cujusque finis præstantior ac divinior est, tanto ipsa cæteris excellere judicetur. † Quo posito: Exaggeratio per interrogationem. Res perspicua est enim ita perspicuum, ut probationis non indigeat, Excellentia quis unquam reperietur tanta vi præditus ingenii, tanta eloquentiæ copia instructus, qui se de Philosophia pro ipsius dignitate, verba facere posse confidat? opes. Adjunctio. Non enim illa sibi opes ac copias, quæ & sæpe possessoribus suis exitio sunt, & tam multis casibus eripi possunt; non honores & imperia, quæ, quod concupiverint, multi, quod aspernatus sit nemo, nunquam vituperatus est, non quidquam denique proponit ejusmodi, quo & carere sine probro, & abunde lare sine gloria liceat: sed eam ad quam omnes adspirant, quam sibi votis omnibus expetunt, ad quam omnes suas actiones, omniaque consilia referunt, felicitatem. Quanto igitur cæteris omnibus bonis antestat felicitas, tanto Philosophia cæteris artibus antecellit. † Quod si tanto studio coluntur artes quædam, quæ nihil sibi aliud, quam lucrum, & rei familiaris amplificationem tum inertem, tum laboriosum ac periculi plenam proponunt: quanto hæc studio digna est, qua parantur vere illa opes animi, quæ non furto eripi, non incendio absumi, non naufragio absorberi possunt, quæque certam rectamque viam commonstrant ad persequendum id bonum, quo cætera omnia continentur? † Si tanto in honore medicina est, quod habere levationem morborum,

Ethica. Finis philosophiæ est felicitas. Res Exopta. Minoris majus. Cætera non eripi possunt. Quid sit quod propter se expetendum.

quibus tentatur corpus, bonaque valetudinis ac firmitatis tum effectrix esse, tum observatrix creditur: quis tandem honores excogitari poterunt ea arte digni, quæ se in animis idem effecturam profitetur? Nam & præstantior corpore animus est; & hujus, quàm illius, multò plures morbi, multoque periculosiores. † Quod si cui forte dubium est, excutiat ille paulisper intelligentiam suam, secumque reputet, quàm sæpe unius † hominis ambitio, avaritia, libido, integras funditus everterit civitates. His autem & similibus morbis medetur Philosophia, eamque in suis efficit animi firmitudinem, quam † non voluptatum illecebræ, non dolorum faces, non divitiarum splendor, non obscura & contempta paupertas, non honorum sitis, non ignominiæ metus, non vitæ cupiditas, non mortis terror convellere ac labefactare possit. † Ut enim Olympi cacumen pœne semper quietum esse aiunt: propterea quod altius sit quàm ut eò vis ventorum tempestatumque perveniat: sic † Philosophorum animus sublimior & excelsior est, quàm ut istos flatus sentiat furentium, & de rebus abjectissimis inter se humi † digladiantium cupiditatum. † Stat ille, ut medio mari edita & altissimis defixa radicibus rupes: cujus summa fluctus ne attingunt quidem; infima sic verberant, non ut eam commoveant, sed ut ipsi frangantur. † Novit Philosophus vulgarium voluptatum blanditias partim puerilium oblectamentorum similes esse, indignas non modò, quas consectentur sed quas respiciant viri; partim cum dedecore ac turpitudine conjunctas, ut satius sit, quovis do-

confirmat. Hæc cumpa- re Amplif: Dialyton

Ethica Formalis.

Philosophia comparatur olympo monti Ethicus. Philos:

constantia Metaphora comparatur rupi.

Humiles, & ignominiosi cupiditates contemnit Philosophus.

le-

lore lacerari, quàm venenata ac pestifera earum suavitate mulceri. Habet alias ex sese proprias ac perpetuas voluptates, casdemque sinceriſſimas, nullaque ne minima quidem permiſtione moleſtiæ contaminatas, quas ex ipſa virtute, & ex honeſtis actionibus carpit: † iis fruitur, iis mentem pascit, iis ſe oblectat, eas ſolas caras ac jucundas habet. † Nam ut in beatorum inſulis dicuntur eſſe arbores quadam adſpectu jucundiſſimæ, quarum in ramis toto anni tempore cernere eſt alios fructus mites jam, & ad maturitatem perductos, alios matureſcentes, alios pubentes adhuc, & in primum ſe florem induentes: ſic in eorum, qui verè ac ſeriò philoſophantur, animis toto vitæ tempore aliæ actiones honeſtæ ac laudabiles confectæ jam ſunt, & abſolutæ, aliæ in eo ſunt, ut abſolvantur, aliæ inchoantur adhuc & informantur, primiſque, ut ita dixerim † lineis deſignantur. Itaque aliarum recordatione ac conſcientia, aliarum tractatione ac præſentia, aliarum meditatione & proſpicientia, ſic afficiuntur, nihil ut ſibi præterea jucundum aut amabile exiſtiment. † Immenſa etiam illa & inexplebilis accumulandarum opum aviditas, quam, incertum eſt, copia an inopia magis incendat, radices agere in animo Philoſophiæ præceptis conſito & exculto non poteſt. † Quid ita? Nimirum quia hæc id vel præcipuè in ſuorum animis inſerit, naturales opes & terminatas eſſe, & facilè parabiles: eas qui adeptus ſit, nihil ei amplius appetendum † non qui plurimum habeat, ſed qui minimum deſideret, diviſſimum eſſe: nihil magni faciendum, quod æquè poſſimus

simus atque optimus quisque consequi possit. † Neque tamen eorum consilium probat, qui aut aurum in mare abjecisse, aut possessiones suas incultas ac desertas reliquisse memorantur: haec enim aut ignavorum hominum videntur, aut pecunia uti nescientium: quorum utrumque in vitio, non in laude ponendum est. Ac fuêre quidem ij, de quibus illa narrantur, Philosophi; † sed rudior illa quaedam, & simplicior Philosophia tùm fuit, politior nostra haec, & ad usum civilem accommodatior: quae docet, opes, si quis aut à parentibus acceperit, aut industria sua quaesierit, aut alia quapiam honesta ratione ad eas pervenerit, non aspernandas aut rejiciendas esse, sed ita habendas, ut virtutis, non ut luxuriae, administras. † Nam illud mihi quidem permirum videri solet, quid ita veteres illi judicarint, non posse se simul & rem habere, & in sapientiae studia incumbere? qui mihi etiam videntur, quo facto summam divitiarum contemptionem significare ac prae se ferre voluerunt, eo ipso judicâsse, nimiam quandam ergà eas naturae suae propensionem, si nummos in arcam condere non poterant, ut non omnes cogitationes suas in eandem arcam includerent: neque, quamdiu patrimonium habebant, imperare sibi, ut aliis rebus contemplandis ac cognoscendis vacarent. Equidem nunquam eum militem laudaverim, neque fortem habendum duxerim, qui adversarium à se quàm longissimè amoveat, ne cum eo manus conferat: sed eum potius, qui & congrediatur, & vincat. † Neque verò video, qui minus impedimento sit

sit egestas studiis, quàm divitiæ. Necesse est enim, qui, unde vivat, non habet, eum sibi vitæ subsidia aliunde quærere: in quo quantum temporis ponit, tantum de sapientiæ studiis detrahit. Melius igitur Philosophia, cui qui se regendos permittunt, ij opes, si non habent, non requirunt; si habent, utuntur ut decet: neque unquam torquentur, aut augendi cupiditate, aut amittendi metu. † Quid ego nunc de perturbatrice humanarum rerum, optimi cujusque ingenij corruptrice, concitatrice bellorum omnium, ambitione, quam semper virere in eorum, quos semel occupavit, animis, neque unquam consenescere gravissimus auctor ait Thucydides, verba faciam? † Nunquid illius unquam facibus accendi poterit pectus, quod infusa prius Philosophiæ præcepta irrigaverint? Imò verò etiamsi antea subjecti ab ea ignis aliquid fortè conceperit, id totum instillata Philosophia restinguet. Ea enim magistra ac præceptrice cognoscimus, verum decus, veramque gloriam in sola virtute positam esse: eam qui consecutus sit, quid alij de se judicent, non admodum laborare oportere: præcipuè verò despiciendam levis & imperitæ multitudinis temeritatem, quæ ad mandandos honores cæco sæpius & inconsiderato impetu, quàm certo, & explorato judicio fertur. † Præclare & sapienter Cato: malle se dicebat, quærere homines, cur sibi posita non esset statua, quàm si quærerent, cur posita fuisset. Eodem animo sunt viri omnes Philosophi: esse se, ut de Amphiarao ait Æschylus, quàm videri optimos malunt: honores autem & magistratus aut non

Philosophi cibi ea
Ad vitia deambitione fugere
Descriptio cibi
Ambitio
Subjectio
Virtus
contentio
de auctoritate
Ambitiosa cupiditas
similiter ac
finem Philosophi

petunt, aut aliena, non suæ utilitatis causa petunt: neque si adepti sint, exsultant: neque si repulsam tulerint, anguntur animo: sed pacatè & moderatè ferunt: aut † si quando dolent, Reipublicæ dolent vicem, non suam. Cæsarem ferunt, cùm Pontificatum peturus ad comitia descenderet, matri dixisse, illam eo die, aut Pontificem habituram filium, aut exulem: jam tum præsagire ac præcognoscere licebat, ambitionem illam ingens aliquod malum civitati daturam. Itaque quid postea effecerit, vidimus. At Cato, in petitione prætoræ etiam Vatinio posthabitus, æquissimo ac moderatissimo animo tulit. Ita sunt Philosophi. Maximam voluptatem in prætermittendis voluptatibus: maximas opes in quieto, ac contento suis animis, maximam gloriam in non ambienda gloria ponunt. † Satis honoratum putant esse, qui honore dignus sit: satis magnum Regem, qui seipsum regere: satis potentem imperatorem, qui cupiditatibus suis imperare possit: qui verò eis planè domitis ac subactis jugum rationis, quod illæ ne conentur quidem unquam excutere, imposuerit, ab eo omnes aliorum victorias triumphosque superatos. † Quod si libidinem, avaritiam, ambitionem, pestes quasdam ac furias esse novimus, quæ funditus humanam vitam conturbent: quantus honor habendus est Philosophiæ, † quæ se omnes earum conatus repulsuram, omnes igniculos repressuram, omnia semina elisuram, non magnificentius, quàm verius polliceatur? † Video vos opinor, quàm se latus orationi meæ campus ostendat, si, quæcunque hoc loco se offerunt, persequi

& in singulis insistere atq; immorari velim. Nam cùm virtus nulla sit, de qua non splendidè, & ornatè dicere, nullum vitium, in quod non graviter & copiosè invehi liceat: quidq; id de eorum utrolibet dici potest, idem ad Philosophiam laudandam accommodari potest: quam virtutis indagatricem vitiorum expultricem, Latinorum omnium eloquentissimus verè ac meritò nominavit. Sed non committam, ut cuiquam videar transilire eos terminos, quos initiò pepigi: potiusque reprehendi me patiar, quod multa, quæ fusiùs explicare licuisset, compresserim, ac coarctaverim, quàm quòd in ulla re dilatanda evectus sim longius justo, neque satis mihi temperare potuerim. † Nunc illud mihi etiam atque etiam considerate: cæterarum omnium artium fines, neque eos modò, sed omnia prorsus, quæ bona putantur in vita, nisi quis Philosophiam, vitæ ducem habeat, pestifera ac perniciosa esse. † Da homini non Philosopho opes ac copias: da honores atque imperia: da firmam valetudinem: da gladiatorium totius corporis robur: da multarum magnarumq; rerum cognitionem ac scientiam: da flexanimam illam, ut poeta vocant, & omnium rerum reginam eloquentiam: da quidquid in filiis parentum votis optari solet: quò ejusmodi plura in talem hominem congesseris, eò illum magis & in suam, & in aliorum perniciem armaveris. † Opibus abutetur ad suam libidinem explendam: imperiis ad alienam libertatem opprimendam: firmitate & robore ad obeunda facinora: scientiam copiamque dicendi ad circumveniendos cives

quid philosophia secundum Ciceronem

præter Abrump:

connect. hrz: 3.

probat à partium distributione

confirmatio mutationis

cives suos, ad perturbandam Rempublicam, ad omnia denique tum sacra, tum profana permiscenda, & evertenda convertet. Da hæc eadem vero, minimeque fucato Philosopho: Deum quendam ad benefaciendum humano generi è cœlo demissum esse dices. † Atque hoc illud est, quod in Alcibiade minore sive Plato, sive Xenophon disputat, ea quæ suapte natura bona sunt, sine scientia ejus quod optimum est, quam eandem & Philosophiam esse statuo, ad perniciem, non ad salutem valere. † O præclaram laudem Philosophiæ, cujus ope ne mala quidem nocere; quæ detracta, ne bona quidem prodesse possunt. Meritò dixit Plato, nullum à Diis datum esse hominibus eâ majus aut præclarius donum. Meritò Cicero, unum diem ex ejus præceptis actum immortalitati anteponendum. Neque verò non illud ad ejus de qua propriè sermo nobis institutus est, Philosophiæ laudem ac commendationem facit; quod omnia propemodum, quæ à veteribus de Philosophia honorificè dicta sunt, ad hanc pertinent, quæ in vitæ ac morum emendatione versatur. † Non enim Plato, cùm illam nobilissimam vocem tanquam ex oraculo, edidit, tum demum beatas civitates fore, cum aut regnarent Philosophi, aut Reges philosopharentur, intellexit, tum id eventurum, cum Reges aut in differendi subtilitate, aut in perquirendis rerum naturalium causis occupati essent: quæ, quanquam præclara sunt, longissimè tamen absunt ab eo, ut beatas Respublicas efficere possint: † sed, cùm virtutis pulchritudine intensi omnes vires suas ad eam non cogno-

scendam modò, sed exercendam, excolendam propagandam contulissent. At contrà quidquid inanibus imperitorum ac maledicorum sermunculis adversus Philosophiam jactatum est, quoscunq; in eam aculeos scurrilis quorundam libido conjecit, quidquid ad minuendam ejus dignitatem veteris comœdiæ licentia effutiit, id omne, si diligentiùs excutiatur, ad Dialecticos potiùs, & ad Physicos, quàm ad Politicos pertinere videbitur. Quod si ullus in orbe terrarum locus est, ubi Politicen florere, suamq; dignitatem obtinere deceat, Romæ id. Romæ potissimum fieri debet, cui urbi à primo ipsius ortu divino permissu datum est, ut aliis imperaret: unde leges, unde jura, unde religionem cæteræ nationes & olim perierunt, & nunc petunt: unde quondam exstiterunt multi clari viri, qui hæc præcepta, quæ nos tradituri sumus, exemplo suo comprobârunt. Nolite enim putare, illa lumina, Camillos, Curios, Fabricios, Fabios, Scipiones, Lælios, cæteroſq; præstantes viros, quos olim hæc urbs innumerabiles tulit, quorum quotidie nomina auditis, facta legitis, monumenta cernitis, statuas tanta cum admiratione intuemini, quòd de Philosophia neque disputârunt ferè, neq; scripserunt, eò minus Philosophos fuisse. Vita illi non oratione; factis, non dictis; moribus, non sermonibus philosophabantur: quod pulcherrimum ac verissimum est philosophandi genus. Integritatem, justitiam, fidem, fortitudinem, omnem denique virtutem & colebant ipsi, & alios colere jubebant. Eò ad tantam majestatem atq; amplitudinem pervenerunt, ut pleraq; gentes, quòd ipsæ olim

olim à talibus viris subacta ac superata sint, quàm quòd ipsa alias devicerint, præclariùs sibi ac gloriosiùs ducant? Quantam oportet gloriam fuisse vincentium, cùm victi tot pòst sæculis gloriemur? † Eorum ego potissimùm exemplis, adolescentes, incitabo vos quotidie atq; exacuam, neq; ullum ex Aristotele præceptum proferam, cujus non ex hac urbe plurima maximeq; illustria exempla repetantur. Constituì enim, quando PIUS optimus ac sanctissimus Pontifex, qui ipse omnes virtutis perfectissimum exemplar est eum mihi honorem detulit, ut à me virtutis & officij præcepta vobis proponi atque explicari voluerit, modo omnibus eniti, ut ea non arido, & inculto, & molestis implicato quæstionibus, orationis genere prosequar: sed quantum id quidem in me erit florido, & ubere, & quasi stellis quibusdam, ita petitis ex vetere historia exemplis illuminato atque distincto. Peto autem à vobis, ut, si & in iis rebus quas tractare instituì, summam dignitatem inesse cernitis, & me nullis vigiliis, nullis laboribus, nullì denique rei parcentem, ut vestris commodis consulam, videbitis, industriam meam diligentia ac benevolentia vestra adiuvetis.

DIXI.

† Exclamatio permutatio casuum pro missione subjectionis & petitione attentionis.

De moralis Philosophiæ necessitate.

ORATIO VIII.

HABITA ROMÆ VII. ID. NOvemb. anno cIↃ. IↃ. LXIV.

Oratur à materia præcedentis omnino.

SUPERIORI anno, cùm injunctum mihi Pontificis auctoritate munus obire incipe-rem, multa dixi de laudibus Philosophiæ, cohortatusq; vos sum quàm potui diligentissimè, si tranquillitatem vitæ, si libertatem, si dignitatem atque honestatem, si salutem denique & vestram & publicam charam haberetis: ut, quæ ex tranquillaret animos: quæ eos à teterrima vitiorum servitute in justam plenamq; libertatem asserros, ad verum decus, quod in virtute positum est, traduceret, quæ denique & singulos privatim & publicè totas civitates conservaret, ejus in studium toto pectore, alia omni cogitatione posthabita, incumberetis. Quam cohortationem meam etsi non prætervectam esse aures vestras, sed in animis plurimorum penitus insedisse, vel ex eo probabiliter intelligi potuit, quod mihi postea ex hoc ipso loco Philosophiæ præcepta tradenti satis frequentes assiduam operam dedistis, facere tamen pro meo erga vos amore non possum, quin vos hoc quoque tempore non adhorter tantùm, sed

Encomion Philosophiæ.

Concedentia ei adhortatio ad studium eius.

sed obsecrem etiam & obtester, qui jam iter illud ingressi estis, ut constanter persequamini: qui nondum, ut id vobis, primo quoque tempore ingrediendum esse statuatis. Nulla enim vitæ pars, nulla vivendi ratio, carere fructu, qui ex eorum, quæ nos quotidie tractamus, cognitione percipitur, sine maximo incommodo potest. † Magnum est, fateor, rerum naturalium principia causasq; nosse: siderum cæterorumque corporum cœlestium situs, magnitudines, intervalla scientia comprehensa tenere: præclarum: illa verò etiam, quam in hæc inferiora vim habeant, quidque ad quamlibet multos annos effectura sint, sine ullo errore posse prædicere, prope divinum. Sed certè, quod ne illi quidem ipsi, qui ea se docere profitentur, negaverint, eorum, in quibus nostra exercetur industria, & fructuosior cognitio est, & perniciosior ignoratio. † Itaque ut nos vis, qui abdita illa & retrusa tractant, & ingenij acumine, & doctrinæ magnitudine, & rerum admirabilitate non inviti cedimus: ita ipsi nobis, nisi valde iniqui sint, ea, quæ disputantur à nobis, & magis necessaria esse, & uberiores hominum generi fructus afferre fateantur necesse est. † Nullus enim unquam, quòd illa aut non teneret, aut etiam negligeret, minus propterea vir bonus, aut minus utilis patriæ civis existimatus est: hæc aut ignorata, aut neglecta non singulos modò perdiderunt homines, sed integras fundibus afflixerunt & everterunt civitates. † Nos, quæ adolescentum, quæ constantis ætatis, quæ senum officia sint, quærimus: nos quid domi, quid militiæ,

Distributio. quid à privatis, quid ab iis, qui cum imperio sunt, præstari debeat, disputamus. † ex nobis intelligit pauper, quo modo tolerare inopiam: dives, quomodo uti divitiis debeat: à nobis quid inter patrem & liberos, quid inter virum & uxorem, quid inter fratres, cognatos, amicos, cives, quid denique inter homines observari par sit, explicatur: nos fortitudinis, nos temperantiæ, nos liberalitatis, nos justitiæ, cæterarumque virtutum vim atque naturam disputationibus nostris patefacere atque illustrare conamur. † Sine horum præceptorum cognitione muta conticesceret eloquentia, manca & mutila erit juris legumque cognitio: illa ipsa domina & regina artium Theologia animos requirit diligenti harum rerum tractatione præparatos atque præcultos. Quæ cùm ita sint, quamcunque quis vitæ viam ingredi parat, ita statuere debet, cæterarum Philosophiæ partium cognitionem sibi & utilem, & honorificam, hujus planè necessariam esse. † Sed sunt quidam perversi homines ingenio, qui causas, propter quas & ipsi à pulcherrimo studio abstineant & ab eodem cæteros avocent, comminiscuntur. † Partim enim communia & contrita esse dicunt, quæ hîc docentur, ut ad ea percipienda doctore nihil opus sit: † partim non habere eam vim, ut ad virtutis studium excitent: cujus rei argumentum capiunt ex eo, quod innumerabiles & olim fuerunt, & hodie sunt, qui cùm hæc omnia se scire profiteantur, nequissimè tamen & flagitiosissimè vivunt. Quibus utrisque breviter respondere instituo: & effice-

Necessaria ad omnes scientias.

Adversari omnes obiectiones refellit.

1 obiectio.

2 obiectio.

re,

re, si possum, ut ii, qui ista temerè jactant, cognoscant errorem suum: cumque se nihil dicere videant, sententiam mutent: sin minus (nihil est enim difficilius, quàm vincere pertinaces) certè quidem, ut ne alij stultitiæ & malevolentiæ plena eorum oratione moveantur. † Primùm igitur agamus cum istis, qui, ut ad cibos † nimium dulces, ita ad disputationes nimium apertas & faciles nauseare se dicunt. Ex quibus libenter quæsierim; quî tandem fiat, ut, quibus rebus omnes ad alia studia invitari atque allici soleant, iisdem se ipsi ab hoc studio averti abstinerique dicant. Certè enim, cum antea, quæ docentur, utilia & præclara sunt, si eodem accedit, ut clara perspicua, aperta, cognitu facilia sint, eò majores concursus ad eos, qui illa docent, fieri constat. Quid igitur cum illis agas, qui, quæ res ad conciliandam cæterorum studia plurimùm valere consuevit, ea se ipsi tardari ac retrahi ajunt? † Ego verò, etiamsi præcepta virtutis quamlibet multis obstructa difficultatibus forent, laborandum tamen, & studendum, & nunquam nisi eis cognitis ac comprehensis conquiescendum putarem: nedum ea, quia, ut isti volunt, à quolibet non tardissimo atque inertissimo percipi possint, omittenda aut minoris faciunda censeam. An de rebus ad vitam nihil pertinentibus inter homines eruditissimos summa contentione disputabitur: in eisque quæ involuta & propè inenodabiles sunt, opera præclarè collocari videbitur: hæc, quæ vitam omnem continent, ut vimis obvia, & in medio posita, neglegentur? † Quamquam quid diutius ita disputamus,

Responsio ad 1. Simile

Syndeton

† majori ad minus.

correctio propositionis ostendens non esse ita facilem ut facilem intelligatur.

tamus, quasi eis concedamus, quod volunt, nihil his doceri, quod non aut etiam vulgo notum sit, aut quivis sine doctoris opera facilè consequi possit? Ergo ille omnium qui tunc erant, mortalium, ut creditum est, sapientissimus Socrates, qui nulla unquam alia dere, quam de virtutibus & vitiis disputavit, vulgaribus & satis per se notis in rebus spatium ætatis omne consumpsit? Quid Plato? quid Xenophon? quid Aristoteles? quid ceteri suæ quisque ætatis principes viri? Quid erat causæ, cur tam multa in hoc genere scripta posteritati relinquerent, si nihil egregium, nihil exquisitum, nihil excellens, sed ea tantum, quæ quilibet è populo satis per se intelligeret, litteris mandaturi erant? Videlicet, quia justitiam, fidem, temperantiam, liberalitatem omnes assiduè in ore habent, neque quisquam est, ne ex ima quidem fæce vulgi, quin se de ejusmodi rebus optimè judicare posse confidat, idcircò nullam magnam eruditionem in eis cognoscendis fitam esse arbitrantur. Quod tamen longè secus est, interestque nimium quantum inter eos, qui tantùm tenuia nomina, & eos, qui ex eruditorum hominum scriptis ac sermonibus de rebus ipsis verè judicare didicerunt. Plena est exemplorum vita communis, ex quibus facile intelligi licet quam sæpe vulgus hominum in judicandis virtutibus vitiisque fallatur. Quod ni ita est, cedo causam: cur qui mimis, lenonibus, parasitis, adulatoribus plurima largiuntur, & suo & multorum judicio sint liberales: cur multi tristitiæ, tenaces, sordidi, qui facilius patiantur sibi dentem unum ex

ore

ore excuti, quàm nummum unum ex arca moveri: parcimoniæ ac frugalitatis nomen ferant: cur tam multi ad audendum projecti & temerarij commendentur pro fortibus, tam multi timidi & ignavè pro cautis & consideratis prædicentur. † Quid? Iurisconsultorum vigiliæ in quo consumuntur: quid spectant eorum labores, qua in re eorum acutissima exercentur ingenia, nisi ut videre ac dijudicare possint, quid in quaque justum injustumvé sit? Non igitur, ut nimium facilè, despicienda est ars ea, quæ virtutum omnium vim naturamque pertractat, cùm in una virtute cognoscenda videamus tam diu, tanta diligentia, ab hominibus summo ingenio præditis laborari. † Informavit quidem natura & impressit in animis nostris adumbratas quasdam virtutum & vitiorum omnium notiones: sed illa tantam vim non habent, ut quisquam eis fretus confidere debeat: sæpe sine disciplina verè de rebus expetendis fugiendisque judicaturum. Quod si nos nihil aliud, nisi hæc tàm utilia, tamque salutaria quamlibet rudo & inornato dicendi genere traderemus, calumnari tamen nemo nos posset, nisi aliena nimis iniquus æstimator industriæ, ut in rebus nimium pervulgatis & facilibus occupatos. † Nunc cùm & ad salubres animorum epulas condimentum sermonis, quantum in nobis est, adhibeamus & res suapte sponte pulcherrimas, cùm præstantissimorum omnis ævi scriptorum testimoniis fulcire ac corroborare, tùm insatiabili quadam veterum exemplorum copia exornare atque illustrare studeamus: ta-

Confirmatio argumenti à turis consultorum vigiliis.

Accurit objectioni.

Refutatio

tamen ne inveniantur, qui elevare labores nostros audeant: quaque præstantur à nobis iis sudoribus, ac vigiliis, quarum ipsi nobis conscij sumus, ea quemlibet unumè multis ludibundum perficere posse contendant? Qui si periculum facerent ipsi quam non quarumlibet virium sit munus hoc, ita ut nos facimus, sustinere & exequi, fortassis, experientia edocti minus de se elatè ac magnificè sentirent, minus de aliis maledicè contumelioseque loquerentur. † Sed omittimus istos. Nescio enim, quo modo factum est, ut de re dicere ingressus, de me plura, quàm volueram, dixerim: quod ipsum ut facerem, quorundam me hominum, quos nominare nihil ne esse habeo, iniquitas coëgit. † Difficilior cum eis tractatio est, qui negant, sermonibus nostris quenquam ad virtutem incitari: idque ex eo colligunt, quod sæpissimè contingit, ut qui optimè loquuntur, pessimè vivant. Nos verò si diceremus, eam in disputationibus philosophicis inesse vim, ut ex audientium animis vitia radicitus evellere, virtutesque eisdem ingenerare possent, meritò ut vani atque ineptè gloriosi reprehenderemur. Multas magnasque mercedes, ut ait Theognis ferrent Philosophi si, quemadmodum Circe herbis & cantibus suis homines statim convertebat in ferus, ita ipsi suis sermonibus ex feris homines facerent, id est, homines ferarum simillimos ad virtutem à vitio, ad rationem à furore, ad humanitatem ab immanitate revocarent. Et tamen aliquid se aliquando ejusmodi effecisse Philosophia gloriari licet. † Producet enim Polemonem ab ebrii fami vita

correctio

Responsio ad 2.

Ab exemplo

mori-

moribusque perditissimis, ad bonam frugem & severitatem unica Xenocratis disputatione revocarum. † Sed ut non perequè in omnibus campis agricultura; ita non in omnibus animis Philosophia idem efficit. Illud quidem certè negari non potest, aut nullam omninò esse artem, quæ medeatur animis, quæ quanta sit in vitiis deformitas, quanta in virtute dignitas, doceat quæ abillis averrat, ad hanc incitet: aut eum honorem Philosophiæ potissimùm esse tribuendum. † Quod autem objiciunt, pleroſque Philosophorum factis dogmata sua evertere, neque ignem aquæ magis contrarium esse, quàm eorum mores orationi: ita enim loqui, ut vitio; ita vivere, ut virtuti bellum indixisse videantur: utinam tale esset, ut id nobis inficiari liceret. Est enim acerbissimum negare non posse, quod sit turpissimum confiteri. † Sed quoniam iis, quæ omnibus nota sunt, fidem abrogare velle dementiæ est: non negabimus verum esse, quod objicitur: tantum deprecabimur, ne propter hominum vitia res ipsa in invidiam vocetur, neve, quorum facta meritò aversamur, eorundem sermonem immeritò repudiemus. † Ut enim quorundam ex Epicureis dogmata reprehenditur: vita laudatur: sic horum vitam reprehendere, doctrinam amplexari debemus. † Polycletum insignem statuarum opificem, tradunt, librum de artificio suo edidisse, quem Canona, id est, Regulam inscripsit: quo libro omnia, quæ in statua hominis singulæ observari conveniret, quæ singularum partium, minimarum, maximarum figura esset, qui situs, quæ inter se pro-

A simily.

Nota obiectio.

Responsio ad deprecatione.

Simile

Nota obiectio pro vita.

proportio subtilissime & accuratissime persecutus est. Eodem autem tempore statuam à se factam publice proposuit, in qua ea omnia diligentissimè observata erant: ne quid præcipere aliis videretur, quod non ipse præstaret: quam statuam ipsam quoque Canona nominavit. Vellem eandem rationem Philosophi teneremus: neque tantum traderemus aliis præcepta, ad quæ vitam suam dirigerent, verùm etiam vitam nostram ad ea conformatam ostenderemus. Magna sine ulla dubitatione præceptis nostris ex eo accederet auctoritas. † Sed, quando id optandum potius, quàm sperandum videtur, quod in frugibus, in fœtibus arborum, in corporibus animantium, quibus vescimur, facimus, ut resectis & amputatis iis, quæ inutilia sunt, iis, quæ prodesse possunt, utamur; idem in hoc genere Philosophorum faciendum est, ut, rejecta eorum turpi flagitiosaque vita gravem severumque doctrinam non auribus tantùm, sed multò magis animis combibamus. Non enim, si qui ex medicis cibo se & potu aliquando ingurgitant, eò illis continentiam præcipientibus, qui sapiunt, minus parent: sed illi quidem quid agant, non laborant, artis autem ipsius placitis & decretis obtemperant. † Nam cùm alicujus mores & præcepta congruunt ac concinunt: tunc aut utraque laudanda sunt, aut utraque vituperanda: cùm discrepant & dissident: causa nulla dici potest, quin alterum retinendum sit, alterum rejiciendum, horum à dictis facta ita distare constat, ut non cœlum à terra longius distet: sunt autem facta turpissima: igitur sermo-

mones quibus ea ipsa facta damnantur, ac reprehenduntur, dignissimi qui audiantur. Atque, ut medici, quò majorem auctoritatem arti suæ concilient, solent interdum enumerare quoldam è præcipuis auctoribus disciplinæ suæ qui, quod ita se comparârunt, ut præcepta sua non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putarent, diutissimè saluberrimeq; vixerunt: ita nos nihil, si volumus, impedit, quamlibet multos Philosophos nominare qui, quòd decretis suis paruerint, quasq; leges aliis proponebant, ipsi servaverint, meritò sunt apud omnes populos nunquam intermoriturâm gloriam consecuti. Illi fortassis nominabunt Hippocratem, Asclepiadem, Galenum: quorum primus usq; ad annum centesimum quartum ætate provectus est, alter verò processit, artis suæ fiducia, ut ausus sit cum fortuna sponsionem facere, ne medicus haberetur, si ullo unquam morbo tentatus esset: & victor cùm ad extremam senectutem sine ullo morbo pervenisset, scalarum lapsu exanimatus est: tertius cum imbecilliori valetudine usus esset adolescens, ita eam arte correxit, ut ad septuagesimum annum pervenerit. Nos è Philosophiæ castris ad repellendos ipsius vituperatores primùm quidem in aciem educemus illud honestatis, illud modestiæ, frugalitatis, innocentiæ fortitudinis, omnis denique virtutis specimen & exemplar Socratem: qui ita locutus est, ut ex ejus sermonibus omnes, quæ postea consecutæ sunt Philosopherum disciplinæ fluxerint: ita vixit, ut hodie quoque nomen illius non hominis, sed integritatis & innocentiæ nomen putetur. Cui succedit par illud nobile in

Laus Xenocratis et Platonis

eodem institutum ludo Xenophon & Plato: quorum uterque summam in dissimili genere eloquentiæ laudem pari vitæ gravitate cumulavit. Proximè hos

Laus Xenocratis

Xenocrates: de cujus eloquentia dicit Polemon: de continentia Phryne: de frugalitate & contemptione pecuniæ Alexander: de fide & justitia universus populus Athenienſis, qui eum, dicto publicè testimonio,

» ad aras jurandi causa accedentem, una voce revocavit, ac jurare vetuit: parum sibi decorum ratus,

» tam spectatæ fidei viro, nisi jurato, non credidisse. In-

Virtutes.

de æternum Alexandri crimen Calliſthenes, unoque verbo tota vetus Academia, & Lyceum, & illa non tam Miconis & Polygnoti picturis, quàm Zenonis & Chryſippi disputationibus nobilitata porticus, quibus ex omnibus quasi virtutis & doctrinæ officinis innumerabiles viri incertum doctiores, an meliores prodierunt. Agmen claudant Epictetus, Plutarchus, Muſonius, cæteriq; illi ætati ſuppares, quos ita philoſophatos accepimus, ut iis, quibus cum vivebant, ad omnia recta & laudabilia non voce magis, quàm exemplo præirent. His copiis facilè speramus fore, ut eorum, qui Philoſophiam maledictis inceſſere audent, retundatur audacia. Qui ſi ita victi erunt, ut de-

Peroratio.

inceps in noſtrum ſe numerum aggregari velint, &

Metaphora

in ejus ipſius, quam oppugnabant, caſtriis ſtipendia facere incipiant, victoriam adepti erimus longè ei diſſimilem, quam veteres Cadmeam nominabant,

Contrapoſitio.

Illa enim & victori luctuoſa erat, & victo: hæc & victoribus erit lætitiæ, & victis ſaluti. Sin, cùm ſe fractos ac perculſos videant, permanebunt tamen in

ea-

eadem pravitate atque obstinatione animi: & , ut ignavi canes, Philosophiam, ad quam propius accedere non audent, eminus allatrabunt: † vos tamen, optimi adolescentes, quorum causa hic à me institutus est sermo, quibus mei labores serviunt, quorum ad utilitatem omnes mei conatus, omnes vigiliæ, omnia studia referuntur, urgete constanter propositum: neque patimini vos cujusquam sermonibus à suscepto studio abduci. In ea ætatis parte constituti estis, in qua & ingenium ad omnia percipienda docilius, & corpus ad tolerandos studiorum labores firmius esse consuevit. Videte, ut eam iis in studiis collocetis, quæ vobis olim maximo & usui & ornamento futura esse cognoscitis. Atque ut obtrectatoribus nostris eripiatis omnem ansam maledicentiæ, connitimini, quantum potestis, ut virtutis & officij præcepta, quæ ex me quotidie auditis, non tantum excipiatis animo, verùm etiam vita & moribus exprimatis. DIXI.

† Apostrophe ad juvenes.

De justitiæ laudibus.

ORATIO. IX.

HABITA ROMÆ POSTRIDIE Non. Mart. anno CIↃ. IↃ. LXV.

VOD principio me, cum hos libros explicare ingrederer, dicere meministis, accuratam eorum tractationem & intelligen-

ligentiam cùm ad omnes vitæ partes utilissimam, tùm sis, qui in jure civili excellere, locumque aliquem, non inter circumforaneos istos clamatores, sed inter veros, & graves, & veterum illorum similimos Iurisconsultos obtinere meditarentur, necessariam esse: id & aliqua jam ex parte, quàm verum sit, judicare potuistis, & ex iis præcipuè, de quibus in hoc libro disputabimus, intelligetis. Ingrediendum enim nobis est duce & quasi mystagogo Aristotele in augustissimum & religiosissimum justitiæ templum: lustranda oculis omnia illius adyta: contemplanda imprimis ipsius Deæ forma: & tum quæ quantaque vis illius potestasque sit; tum quibus ipsa se rebus, quibus ritibus coli gaudeat; cognoscendum est. Hæc illa est, auditores, omnium domina & regina virtutum: à qua in omne hominum genus leges & jura manârunt: quæ benefactis honores & præmia, malefactis ignominias & supplicia proponens studia bonorum excitat, malorum improbitatem coërcet: quæ sublata, non domus ulla, non civitas, non hominum inter se societas, non ipsa denique universitas rerum stare ac tuti se punctum temporis posset. Etenim, quoniam hodiernus dies cæteras disputationis prolusionem modò quandam habiturus est: date mihi hanc veniam, ut, paulò altius hujus sermonis principia repetens, percurram ea, quæ priscis temporibus, summa sapientia præditi homines de justitia tradiderunt. Justitiæ originem cœlo esse dicebant: illic eam & vigere, & ex omni æternitate viguisse: certo illic ordine atque immutabili

tabili quadam lege gubernari omnia: ideoque æterna atque immortalia esse. In iis autem, quæ sub orbem lunæ subjecta sunt, absolutam quidem illam & omni ex parte perfectam justitiam materiæ vitio cerni non posse: esse tamen aliquam cœlestis illius imaginem alibi expressiorem; alibi minus expressam: futurum enim aliàqui, ut permiscerentur ac corruerent omnia. Atque ut quæ res plura & certiora illius vestigia retineret, ita esse eam perfectiorem, stabiliorem, immortalitati viciniorem: ut pauciora minusque certa, ita minus perfectam, minusque constantem, pluribusque casibus atque interitui denique obnoxiam. † In elementis hoc primùm notari volebant: eaque dupliciter considerabant: quatenus unumquodque eorum totum quiddam atque integrum est: & quatenus ad compositionem quasique coagmentationem cæterorum corporum particulæ quædam illorum assiduè permiscentur ac temperantur. † Tota igitur elementa nisi sedes ac regiones sibi à natura datas, atque attributas obtineant, sed irruere in alienas & migrare conentur: si ignis proximè sibi suppositam animalem spirabilemque naturam depascat, & absumat: si aqua non contenta suis terminis, quos pepigit Deus, terram operiat & obruat: quis non intelligit, periturum fuisse omnia, & talem quandam confusionem qualem poëtæ ante orbem conditum fuisse fingunt, consecuturam? † Quid cum partes eorum copulari ac coalescere ad alia corpora progignenda & constituenda oportet, nonne justitia quadam temperationis illius mo-

deratrice opus est: ut tantum cujusque pro rata portione, quantum satis est, admisceatur? † In illa etiam quadripartita tempestatum varietate: quâ distinctus est annus, idem observari posse dicebant. Quæ cùm ita eunt, ut quadam ipsius naturæ quasi lege sancitum est † hoc est, cùm & tellus conceptis seminibus hiberno frigore adstringitur, & vernis modicis imbribus ac tepore laxatur: cùm & fruges fructusque arborum æstivis caloribus probè percoquuntur, & eodem sub autumnum remittente se paulatim ac frangente mitescunt: tum & saluberrimus annus est, & maxima rerum ad victum necessariarum uberitate ac copia insignis. Cùm contrà fit, tum & caritas existit annonæ, & variis morborum generibus omne genus animalium tentari solet. † Cumque unusquisque nostrûm duabus ex partibus conjunctus concretusque sit, corpore & animo: earum partium ex utraque, quæ justitiæ injustitiæque vis esset, liquidò perspici posse adseverabant. † Omnia enim mala, omnia damna, omnem perniciem & corporibus & animis ex injustitia evenire: justitia salutem, incolumitatem, bona denique omnia effici ac contineri. † Nam cùm in corporibus quatuor sint, quæ quatuor elementis proportione respondeant, igni flava bilis, animæ sanguis, aquæ pituita, bilis atra terræ: quamdiu hæc cum æquabilitate quadam inter se permista sunt, valemus ac vigemus: cùm eorum aliquod aut potentius, aut infirmius: aut plus aut minus justo est, aut se à communione cæterorum segregavit: conflictamur variis morbis, tandemque interimus. Qua

de

de re principis † medicorum Hippocratis in libello de natura hominis hæc verba sunt: Corpus hominis habet in se sanguinem, & pituitam, & bilem duorum generum, flavam & nigram: ex iis omnibus ipsius corporis natura est: eis fit, ut & doleat, & bene valeat. Bene igitur valet, cùm ea moderatè inter se affecta sunt & temperatione & potestate, & copia: maximeque permista sunt: dolet autem, cùm eorum aliquod aut plus aut minus est, aut in corpore secretum, neque cum cæteris omnibus temperatum. Hæc Hippocratis verba ipsa expressi: ex quibus intelligimus, in æquabilitate, cujus effectrix justitia est, sitam esse bonam corporis constitutionem. † Sed ne ali quidem corpus utiliter ac salutariter sine aliqua imagine justitiæ potest. Nisi enim vis aliqua sit, quæ & siccum & humidum alimentum, ubi jam coctum atque confectum & in succum ac sanguinem conversum est, æquabiliter distribuat ac dispertiat, atque id, quod cuique parti aptum & accommodatum est, & quantum opus est, tribuat, neque alias partes tumidas & redundantes, alias exhaustas & evectas esse patiatur: facile intelligimus, hæc tam admirabilis fabrica corporis nostri quantam deformitatem habitura & quàm citò ruitura sit. Atque hæc in corporibus. † Quid in animis? quantum bonorum à justitia, quantum malorum ab injustitia effici creditis? † In quibus cùm pars una sit, qua intelligimus, qua ratiocinamur, qua proximè ad divinam naturam accedimus: altera, quæ rationis ipsa quidem per se particeps non est, sed obtemperare tamen ra-

Confirmat ab justitiæ necessitate.

Ostendit eam necessariam corpori.

Sustentatio.

Divisio animi.

reoni potest: cùm quod fieri jus est, id fit, hoc est, cùm
Metaphora pars illa superior imperat, & †tanquam habenas te-
nens, currum regit: paret altera, & quò illa cumque
ducet, sequitur: tum omnis honestas, omnis dignitas,
omnis officij ac virtutis splendor elucet. At cùm ex-
cusso ac depulso rationis jugo, cupiditas quasi sedi-
tiosus aliquis ac turbulentus civis, fasces arripit, in
arcem invadit, mentem de sua sede contra jus fas-
Simile à que deturbat tum †ut navis discordibus actа ve-
nave tis; sic hominis vita contrariis & inter se pugnantibus
fœdissimarum libidinum flatibus agitata, in omnem
scelerum ac flagitiorum turpitudinem præceps ruit.
Conclusio argumenti Ipsis †igitur & animorum & corporum nostrorum
inter se partibus, ut utrisque benè ac beatè sit, justi-
tiam quandam intercedere necesse est. †Sed idem in so-
Alterum ar- cietatibus convictuque hominum multò evidentius,
gumentum multòque illustrius cernitur. †Quomodo enim pa-
Justitia patri familias ne- trifamilias cum uxore, cum liberis, cum servis, qua
cessaria. primæ conjunctiones sunt, convenire poterit: quæ ei
omnibus vita erit, nisi & ille justè imperet, & hi ju-
stè pareant? Si vir in uxorem injurius ac contu-
melios us esse velit, neque eam pro comite individuæ
vitæ, pro divinorum humanorumque omnium so-
cia, sed pro scorto aut pro ancilla habere: si uxor
sua domestica curatione non contenta, implicare se
aliis rebus & viri partes præripere conetur: neque
se ei morigeram præbeat: si uterq; liberos in servorum
servos in perpetuum loco ac numero habeat, & viriq;
eos quàm jus est imperio premat: si liberi parentum,
servi dominorum imperium detrectent, eisque ob-
rem-

temperare ac dicto audientes esse abnuant: quis non videt, nullam in domo ita instituta concordiam, nullam benevolentiam, nullam animorum voluntatumque consociationem, plena perpetuo omnia rixarum, discordiarum, querelarum: contentionum fore? Ut in qualibet solitudine, in quibuslibet vastis ac desertis, & ab omni hominum cultu ac consortio remotis locis suavior vita, quàm in ea domo, unde justitia exsulet, esse videatur. Ita omnem fructum, omnem dulcedinem, omnem amabilitatem vitæ, † vitam denique ipsam tollit è vita, qui justitiam tollit. Egrediamur, si videtur, domo: eo in forum ac publicum prodeamus. Quis est omnium, qui eum, quem injustum esse, opinetur, aditu, congressione, sermone dignum judicet? † quin eum, quasi malificum aliquod & noxium animal, refugiat, aversetur, odio habeat? quin ejus concursum durum sibi ac tetrum atque ominosum putet? Quamvis enim omnia vitia bonis viris odiosa atque invisa sunt: tamen injustitia præcipuè alienat ab iis, in quibus est, aliorum animos: omnium que sibi odia conflat, conciliat, colligit. † Cæteris vitiis affectos aliquo modo ferimus: quibusdam ignoscimus: quibusdam non nimis offendimur, quibusdam in hac vitæ ac morum corruptione etiam oblectamur: prodigos multi amant: avaros tolerant: multos aliena intemperantia non offendit: qui voluptates nimis refugiunt, etiam severitatis ac castimoniæ laudem ferunt: audacium in bello interdum aliquis usus est: timidis & nimis cupidis vitæ ignoscitur † injustus communi omnium mortalium judicio

† Asyndeton. odio flagrat: suis, alienis, civibus, peregrinis, notis, ignotis juxta omnibus invisus, exosus, intolerandus est. Itaque etsi illud omnibus à natura tributum est, ut raro sua vitia agnoscant, eaque modis omnibus tegere & occultare conentur, aut etiam eis virtutum nomina imponere: ut se prodigi pro liberalibus, avari pro parcis ac frugi, timidi pro cautis ac consideratis, audaces pro fortibus haberi & prædicari velint: facilius tamen reperias, qui se avarum, timidum, audacem, libidinosum, quàm qui injustum esse fateatur. † Quin etiam ceteris vitiis suis hanc aut defensionem aut excusationem prætendere ac prætexere consueverunt, se in neminem injurios esse. † Avarus sum fateor: sed ita, ut mea conservem, suo nemineni fraudem. Prodigus: sed cui, ut largiar, eripio? in quem contumelios sum? Indulgeo voluptati, libere vivo: quidquid animo meo collubitum est, facio: sed quid tum postea? meo libidines nemini nocent. Et ita ille apud Terentium homo impurissimus: Adelph: act: 2 sc. 1.

Leno, inquit, sum, fateor: pernicies communis adolescentium:

Perjurus, pestis, tamen tibi à me nulla est orta injuria.

Videte, quàm odiosa, quàmque abhorrens à natura sit injustitia: quàm turpe atque invidiosum injuriam facere: cùm qui negare non possunt alios se vitiis implicatos atque illaqueatos teneri, dum hoc careant, ferri se non posse tantum, sed propemodum etiam debere arbitrentur. † Civitates vero & regna & imperia,

† communium omnium persone. Avaro. Prodigo. Libidinoso. † Civitates & regna injustitia perire.

periâ, quæ res alia nisi justitia aut initiò fundare ac constituere, aut postea tam multa secula conservare ac propagare potuisset? Nam & convenerunt homines, & vitam unâ colere decreverunt, cùm se æquo jure usuros, & quod suo sibi labore peperissent, eo sine metu fruituros esse, neque mœnibus magis, quàm legibus à vi atque ab injuria tutos fore confiderent: & quamdiu id observatur, tamdiu amicè inter se ac concorditer vivunt: † simul atque ab æquitate discedituri, partes, factiones, secessiones, seditiones, & bella civilia exsistunt. † Præclarè, ut omnia, Euripides;

Custodia legum civitates continet.

Idemque alio loco ait, justitiæ neglectum plerisque civitatibus exitiosum esse. † Justitiâ civitates à parvis & humilibus profectæ principiis brevi tempore ad magnam potentiam pervenerunt: injustitia florentissimæ & opulentissimæ breviori tempore funditus conciderunt. Neque enim adamantinis illis vinculis, quæ Dionysius senior crebrò in ore habebat, vi atque metu, sed justitia & æquitate magna imperia retinentur. † Quare sapienter Persæ ei ex regiis liberis, qui natu maximus erat, quique in spem regni educabatur, cùm alios ad virtutem magistros dabant, tum unum inprimis, à quo justitiam doceretur. Pædalios etiam Indicam gentem literis proditum est in sacris publicis nihil aliud à Diis, quàm justitiam petere solitos esse: quod eam si consequerentur, affatim sibi bonorum omnium putarent fore. † Justitiam enim & perpetuas illius, ut poëtæ loquuntur, sive comites,

cageries.

probat Aristotele.

Contra polytium.

probat & complet Persas.

Pædalios Fabius probat.

quæ ipsis sine sorores.

tes, sive sorores, veritatem & fidem pax & amicitia & bonarum artium cultus, & omnium rerum expetendarum abundantia consequitur. † Eam si colerent omnes, nunquam tubæ, nunquam litui audirentur: arma aut exederentur rubigine, aut in ligones ac vomeres conflarentur: belli, dissensionis, inimicitiarum ne nomina quidem hominibus cognita essent. Quod scitè sanè, & ex patriæ suæ consuetudine Agesilaus expressit: ex quo cùm quæsitum esset, utra esset virtus præstantior, justitiáne an fortitudo: hæc inquit, sine illa tantùm ad perniciem valet: at illi si pareant omnes, hujus usus nullus futurus est.

Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit rura Ceres, almáque Faustitas:
Pacatum volitant per mare navitæ:
Culpari metuit fides,
Nullis polluitur casta domus stupris:
Mos, & lex maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerperæ:
Culpam pœna premit comes.

Quemadmodum suavissimè cecinit Horatius: ubicunque justitia dominatur, illinc fraudes, illinc dolus, illinc perjuria exulant: non adulteri, non raptores, non fures, non sicarii, non venefici, non latrones, non testamentorum subjectores, non obsessores itinerum reperiuntur: ea denique propemodum eveniunt, quæ aureæ ætati hominibus evenisse memorantur. Nam ne tum quidem aliam ob causam:

Ver erat æternum placidi, tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores:

Nec

Nec renovatus ager gravidis canebat aristis,
quàm quoniam hóminem,
Sponte sua sine lege fidem rectumq́ colebant.

†*Neque enim debemus illa poëtarum figmenta, tanquam inania modò quædam aurium oblectamenta accipere: sed ex eis discere, Deum ipsum vivere hominibus justis: eorum labores fortunare: eorum conatus ac consilia ad bonos exitus ducere. Nam neque dictu, neque cogitatu fas est, eum, quis summè justus est, aut ipsa potiùs justitia, non esse amicum, benevolum, propitium iis, qui ad justitiam omne suum studium conferunt, eamq́ue toto pectore sequuntur.* †*Itaque Hesiodus quoque, non tantùm aureus & adverbum edisendus poëta, verùm etiam Philosophus inprimis bonus multis versibus persequitur ac percenset ea bona, quæ à Deo tribuuntur cultoribus justitiæ, contraq́; eas, quæ ab injustitia civitatibus inferuntur calamitates.* †*Illorum enim urbes lætas florere populis, nunquam bello, nunquam fame, nunquam aliis ejusmodi pestibus conflictari: †hos & fame, & peste, & bello, & aliis innumerabilibus malis injustitiæ suæ pœnas dare. Recitarem versus ipsos: nisi Græca quidem huic sermoni admiscere nollem: Latinè autem me inaffectatam quandam illorum jucunditatem pari gravitate conjunctam assequi posse diffiderem. Quòd si hæc non essent, sicq́; injusti quidem abundarent omnibus copiis, in summa opum atque honorum affluentia viverent, fortunam sibi arbitrio suo fingerent ac temperarent: †justos autem odium, contemptus, egestas, exilia, orbitates, damna omnia*

Non contemnenda Poëtarum figmenta.

Laus floscul. 23.

Anaphora.

polysyndeton.

Distinctio.

omnia sequerentur: tenere tamen mordicus deberemus id, quod à Platone divinitùs & religioni nostræ convenienter traditum ac disputatum est, justos, etiamsi omnes fortunæ acerbitates excipiant, semper beatos; injustos etiam in maximis prosperitatibus secundissimisque rebus infelicissimos esse. † Dixi de justitia, non quæcunque poteram: neque enim id tempus tulisset: neque omnia in unum locum conferenda ac semel effundenda erant: sed ex infinita copia eorum, quæ dici possunt, quantum satis esse hodierno disputationi judicavi: quotidie autem, ut spero, plura & meliora dicentur. † Nunc, quod interdum disertos homines facere animadverti, ut cùm ad clausulam orationis ventum est, illa, de quibus egerunt, breviter ac summatim colligant, quo ea in uno conspectu posita altius in audientium animis ac memoria infigant: id ego quoque facere cupio: sed quia ejus artis magistri singularis cujusdem artificij eam rem indigere ajunt, quod mihi deest, ab alio mutuabor, recitaboque vobis verba quædam Poli Lucani nobilis Philosophi, unius ex illis veteribus Pythagoreis, qui tenuerunt eam partem Italiæ, quæ magna Græcia vocabatur. Quibus verbis summa eorum omnium, quæ à me hodie dicta sunt, continetur. † Justitia inquit, cæterarum omnium virtutum parens, & altrix vocanda mihi videtur: neque sine ea fieri posse, ut quisquam aut temperans sit, aut fortis, aut prudens. Est enim harmonia quædam & pax totius animi cum apto & composito motu. Illius autem quanta sit vis, magis è cæterorum

mus: neque nos corpora sumus: neque ego; tibi hæc dicens, corpori tuo dico. Cùm igitur, Nosce te, dicit, hoc dicit, Nosce animum tuum: nam corpus quidem quasi vas est aliquod animi aut receptaculum. †Duo sunt, quæ hactenus probare studuimus: eximium quoddam bonum esse cognitionem sui, & nosse se nihil esse aliud, quam nosse animum suum. Nunc antequam progrediamur ulterius, illud admonendi estis, unam eandemque rem non uno eodemque modo à diversis artificibus considerari. Angulum rectum, ajebat Aristoteles primo horum librorum, alia ratione considerat Geometres, aliæ Faber. Sic & hominem aliter medicus, aliter pictor; & animum hominis aliter Physicus considerat, aliter Politicus. Physici, quæ sit animorum natura, quærunt: simplex, an composita atque concreta: corporea, an expers corporis, mortalis & caduca; an immortalis & æterna: sitne totus animus in qualibet parte corporis, an unaquæque illius facultas suam in corpore sedem quasique domicilium habeat à cæteris secretum ac separatum. Nos quæcunque de iis & talibus ab eis, duntaxat religioni nostræ consentanea, traduntur, tanquam vera & indubitata ponentes, animum ea tantùm ratione consideramus, qua vel depravari & corrumpi vitiis, vel virtutibus perfici & ad Dei similitudinem, quantum natura patitur, perduci potest. Quare cùm hodie nobis illud propositum sit, ut ex Aristotelis in iis libris, qui ad moralem Philosophiam pertinent, sententia; de animi humani partibus, deq; uniuscujusq;

partitio

illarum perfectione verba faciamus, (hoc enim potissimùm modo præparandos esse vos duxi ad cognitionem & intelligentiam eorum, quæ in hujus sexti libri explicatione tradentur) certos quasi cancellos circundabimus orationi nostræ, eamq; suis regionibus ac terminis circumscribemus: ut ab ijs quæ Physicorum sunt abstinentes, ea tantùm quæ ad munus nostrum propriè pertinent, explicemus. Hoc loco propè supervacaneum esse judico, petere à vobis, ut me attentè audiatis. Certè enim ea vobis causa huc veniendi fuit. Et ut ridiculus fuerit balneator, si quos lavandi causa in balneas ingressos videt, ab eis multis precibus petat, ut lavent: ita ego mihi videor ridiculus fore, quod facturi huc convenistis, id si ut faciatis vos rogem. Oratorum iste mos est, qui, etiam cùm exploratum habent, se attentissimè auditum iri: tamen attentionem petunt: non quod opus esse eo putent, sed quoniam, si aliter fecerint, adversus artis suæ præcepta fecisse se putant. Meum est conari, ut auditu digna adferam; vestrum, ne ea prætervolare patiamini, sed singula diligenter expendentes, penitus demittatis in animos vestros. Mihi, ut ne ad id, quod mearum partium est, præstandum imparatus venirem, provisum est: vos quoque ad me qua soletis benignitate & attentione audiendum satis vestrapte sponte paratos esse confido. Animi nostri sive partium, sive facultatum bipartita divisio est. Partim enim ipsarum ratione præditæ sunt, partim rationis expertes. Ac ratione quidem præditas eas vocamus, quæ ex omni ani-

man-

mantium genere in solis hominibus; rationis autem expertes, quæ etiam in bestiis atque ex aliqua parte in stirpibus reperiuntur. Rationis expertes (ab eis enim exordiri & ab infimis quasi per gradus ad summa contendere decrevimus) duplicem ipsæ quoque habent varietatem. Aliæ enim sunt, quæ vitam continent; aliæ, quæ animal constituunt. Quæ vitam continent, tres sunt: quas illa & in rebus inveniendis acutissima, & in eisdem appellandis disertissima Græcorum natio vocat τὸ θρεπτικὸν, τὸ αὐξητικὸν, τὸ γονιμόν. Nos quia vetera quidem Romana vocabula, quibus hæc exprimamus, non habemus, iis autem, quæ postea cusa sunt, uti propter quandam, ut verum fatear, stultam & ineptam religionem non audemus, unum in plura spargere, ac deducere cogimur, dicimusq; vim nutriendi, vim augendi, & vim procreandi. Hæ omnes non in animalibus modò sunt, verùm etiam in stirpibus. Quæ autem constituunt animal, duorum ipsæ quoque generum sunt. Partim enim cognitione quadam & apprehensione, partim appetitione & declinatione cernuntur. Illas γνωστικὰς Græci, has ὀρεκτικὰς vocant. γνωστικαὶ in animalibus sunt duæ, sensus & phantasia: utendum enim est hoc, quando Latino caremus. Sensibus apprehenduntur singula tantùm, non etiam universa, nisi quatenus sunt in singulis. Non enim lapidem aut lignum propriè ac per se videmus, sed hunc lapidem & hoc lignum: aut potius neque hunc lapidem neque hoc lignum, sed hujus lapidis aut ligni colorem. Sensus enim non percipit essentiam, ut Ciceronem locu-

tum esse ajunt, sive, ut posteriores locuti sunt, substantiam: sed ea tantùm, quæ ei adjuncta sunt: neque rosam aut videmus, aut olfacimus, sed rosæ odorem olfacimus, colorem videmus. Sensus autem sunt, ut notum est, numero quinque: quorum tactus in omnibus est animalibus, cæterùm alij in aliis desiderantur. Phantasia rerum sensu perceptarum formas quasdam, &, ut Græci loquuntur, typos recondit ac continet: ac præterea judicat de quibusdam, de quibus sensus exteriores judicare non possunt: ut hoc flavum esse dulce: & hunc, qui accedit, esse Socratem. Sensus in eo, ad quod propriè percipiendum aptus est, nunquam fallitur: dum & intervallum moderatum sit, & instrumentum, & id, quod interjicitur, probè affectum. At phantasia sæpe fallitur: ut cùm in picturis eminere videntur, quæ plana sunt: ut cùm remus in aqua inflexus videtur: ut cùm cani Æsopeo imago carnis in aqua cara videbatur. Hanc inesse in bestiis vel ex eo cognoscimus, quod earum pleræque & meminerunt & somniant: ut equi, ut canes: quorum neutrum sine ea, de qua loquimur, facultate facere possent. Exeis nascuntur illæ, quas in persequendo fugiendoque cerni, & Græcis ὀρεκτικὰς vocari diximus. Nam cùm omnem sensum voluptas aut molestia comitetur: quarum altera natura consentanea & amica est, altera adversa & inimica: fit, ut nullum animal sit, in quo non insit naturalis & appetitio eorum, quæ jucunda, & fuga eorum quæ molesta esse videantur. ὀρεκτικὰς δυνάμεις: Aristotelis interpretes Hammonius, Eustratius, & alij vul-

vulgo, duas tantùm faciunt, ἐπιθυμίαν καὶ θυμόν. Sed intelligendum est, in omnibus animalibus existere & ex bono præsenti lætitiam, & ex eo, quod nondum adepta sunt cupiditatem, & ægritudinem ex præsenti malo & metum ac declinationem, si maliquid imminere videatur. Hæc Stoici, ut me tertio ab hinc anno ex hoc ipso loco dicere memini, propria hominis, non ei cum cæteris animalibus communia esse voluerunt. Neque enim metuere bestias, sed quasi metuere: nec cupere: sed quasi cupere: eodemque modo neque verâ ipsas lætitia, neque vera molestia affici, sed utriusque imaginem modò quandam ac similitudinem habere. Quam opinionem ut stultam & deliram exagitant Plutarchus, Galenus, Porphyrius, & alij. Sed Stoici, si dogmatum suorum constantiam ac convenientiam retinere ac conservare vellent, ita dicere necesse habebant. Hæc enim omnia ita definiebant, ut ex opinione nasci dicerent: ex opinione boni præsentis, lætitiam: ex opinione mali præsentis, molestiam: ex opinione boni imminentis, cupiditatem: ex opinione mali imminentis, metum. Cùm igitur opinio in solis sit hominibus, sequebatur, ut ea quoque hominum propria essent. Sed verius est hæc omnia convenire etiam in bestias: neque ex opinione tantùm consistere: sed etiam ex sensu aut phantasia boni malive aut præsentis aut imminentis. Omnes igitur illæ facultates, de quibus hactenus diximus, in mutis quidem animalibus ita sunt rationis expertes, nullam ut prorsus cum ratione habeant aut communionem, aut so-

societatem. In homine ea, quæ Græcorum lingua ὀρεκτικὰ nominantur, etsi ratione præditæ non sunt, rationem tamen audire, & ejus obtemperare imperio possunt. Quorum utrumque nobis paulò enucleatius explicandum videtur. In eis igitur non inesse rationem, ex eo quivis facilè intelligat, quod ratio ipsa secum pugnare non potest: at sæpenumero lætitiam, molestiam, cupiditatem, metum rationi adversari videmus. Rursus, esse iis omnibus aliquam cum ratione communionem, id indicio est, quod suscepti præter rationem animi motus, ratione adhibita, aut deponuntur, aut mitigantur. Itaque rectè ex Aristotelis sententia dicitur, τὸ τῆς ἀμετέρας ψυχῆς ἄλογον διττὸν εἶναι, τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς ἁπλῶς ἄλογον εἶναι καὶ παντάπασι πρόσω λόγου κεῖσθαι· τὸ δὲ ἄλογον μὲν εἶναι φύσει, μετέχει δέ τινι λογικοῦ. Hæc Latinè ita expeditè, & ut ita dixerim, rotundè explicari non possunt. Sed nihil difficile amanti.

Horat: Ep. 2. Libenter hoc & omne militabitur bellum in vestræ spem gratiæ. Conabor, si qua ratione possim, hæc ita Latinè eloqui, ut intelligantur. † Earum animi nostri facultatum, quæ ratione carere dicuntur, duplex ratio est. Quædam ita sunt rationis expertes, ut nulla prorsus eis intercedat cum ratione communio: Tales autem sunt quinque, vis alendi, vis augendi, vis generandi, sensus, & phantasia. Nam hæ omnes & communes nobis sunt cum mutis animantibus, & ratione nullo modo dirigi possunt. At eæ duæ, quarum in altera vis est concupiscendi bonum propositum, ejusque adeptione gau-

† Divisio facultatum animi rationem ea ratione.

1.

2.

gaudendi, in altera declinandi malum imminens, & eo cùm jam urget, dolendi, suapte quidem natura rationis expertes sunt, sed quodam modo tamen rationis participes dici queunt. Quibus eas argumentis rationis expertes esse cognoscimus? †Primùm, quòd his omnibus modis afficiuntur etiam bestiæ. Nam & concupiscunt, & lætantur, & metuunt, & dolent. †Deinde quòd sæpenumerò cum ratione pugnant: ut cùm incontinentem aliò ratio, aliò cupiditas trahit. Qualis est Ovidij Medea, quæ se ait videre quidem & probare meliora; deteriora autem sequi. Nullo autem modo fieri potest, ut eadem animi pars eodem tempore in contrarias partes trahat. Quare cùm aliò ratio, aliò cupiditas trahit, facilè intelligitur, aliam à ratione esse cupiditatem. †Vnde igitur colligimus, eas esse tamen in homine rationis quodammodo participes? quoniam eas rationis audire imperium, eique parere interdum videmus. †Agamemnoni apud Homerum irascitur Achilles: multa iratus dicit, quæ neque eum, cui dicuntur, neque eum, à quo dicuntur, decent. Hinc cognoscas licet, iram à ratione alienam esse. Cùm jam eò processisset, ut stricto gladio impetum in Agamemnonem facere pararet, prohibet ratio: †quam enim aliam accipiamus Pallada? Atque ibi Achilles divinam illam & nunquam delendam ex animis hominum sententiam profert:

Χερσὶν μὲν σφωΐτερόν γε δαΐκταδος ἐκφυγέειν. κεχολωμένος ὧδε περ ὄμμω
κρατερώτερος ἔσσεαι· εἰ γὰρ ἐμεῖο μάλιστα.

Homini quantumlibet irato, rationem tamen audiendam, ejusque obsequendum imperio dicit: id enim fortius esse.

Katio 1.
2.
Subjectio.
Abscon. ita.
Pallas ratio fingitur.
Homer: Iliad: α. vers: 216 et 217.

esse. Potest igitur iræ furentis impetus ratione cohiberi: verèque dictum est ab antiquo poëta, morbis hominum rationem mederi. Sic qui gaudent dolentve quibus non oportet, aut plus minusve, quàm oportet: eodemq; modo qui aut cupidi sunt, aut timidi, aut contrariis vitiis laborant, rationis imperium accipere & conformare se ad illius præcepta possunt. † Atque hoc est, quod Aristoteles primo horum librorum dicebat, illam animi partem ratione quidem carere; sed tamen quodammodò participem esse rationis. In ea igitur sunt omnes eæ virtutes, de quibus in superioribus libris disputatum est: quæ usitato iam & recepto vocabulo morales nominantur. Sequitur nunc, ut eam animi partem consideremus, quæ suapte natura ratione prædita & hominum propria est: † cujus etiam ipsius vires ac potestates antiqui duorum generum esse dixerunt: Appetitionis duas, voluntatem & προαίρεσιν, quam vulgo electionem vocant: quarum voluntas semper tendit ad bonum, προαίρεσις variat & modò bona malis, interdum etiam mala bonis anteponit. Sed hæc dere & diximus multa, cùm librum tertium explicaremus, & in librum septimum, ubi de continentia incontinentiaq; disputabitur, plura dicenda erunt. Tres cognitionis, διάνοια id est, opinionem: διάνοιαν, quam mentis agitationem, Cicerone, nisi fallor, auctore vocare instituí: & νοῦν, quem aut mentem, aut intelligentiam vocemus licet. † Mentis cum sensu ac præcipuè cum sensu oculorum magna quædam similitudo est: unde & sæpe Aristoteles oculum mentis vocat: & dictum

Etum est id esse mentem in animo, quod oculum in corpore: & ut suo loco ostendimus, sensum ac mentem interdum confundit. Ut enim sensus, ita mens quoque extremorum est: sed sensus eorum quæ sunt inferiora demonstratione, mens eorum quæ supra omnem demonstrationem. † Mente apprehenditur Deus: apprehenduntur mentes illæ ab omni contagione materiæ separatæ: apprehenduntur mundi, & eorum, quæ illius ambitu continentur, primordia, cæteraq; ejusmodi, quæ multis magnisq; obscuritatibus involuta & in intimis rerum omnium parentis naturæ recessibus abdita & retrusa, iis demùm perfectè patent, qui puro & ab omnibus libero cupiditatibus animo, cœlestem quandam in terris vitam agunt. Ad illud mentis lumen cùm se applicuit & admovit διάνοια, in qua inest vis ratiocinandi & ex aliis alia colligendi, ex eorum complexu ac conjunctione exsistit, & exoritur illa omnium virtutum suprema, quam magnificentissimo vocabulo σοφίαν Græci, Latini Sapientiam, nominárunt. Ea perfecta cadere in hominem non potest: rectèque judicavit sive Thales Milesius, sive quis alius (non enim inter omnes convenit) solum Deum esse sapientem. Sed tamen priscis temporibus, qui de DEO rebusque divinis, qui de mundi origine, qui de abditis rerum causis disserebant, earumque rerum cognitione cæteris excellere videbantur, eos sapientes vocabant. † Sapientiam autem esse dicebant cognitionem divinarum humanarumque rerum, & causarum quibus eæ continentur. † Primus Pythagoræ arrogantiam

Sensus et mens diff:

Repetitio.

Sensus et διάνοια et σοφία.

Sapientia

solus Deus sapiens.

qui antiq. sapientiæ dicti

Definitio sapientiæ

Pythagoras primus philosophum dicit.

verbi

verbi fugiens non sophon se, id est, sapientem sed Philosophum, id est, sapientiæ amantem esse professus est: ab eoque deinceps qui se iisdem, quibus ille studiis dediderunt, Philosophorum appellationem retinuerunt. At mente in rebus tam sublimibus, tamque arduis uti, paucissimis hominibus datum est. Pleraque pars in fœdissimo eodemque tenacissimo corporearum cupiditatum cœno hærentes, & †quasi clavis quibusdam, ut Plato loquitur, terræ affixi, ad divina & cœlestia ne aspicare quidem possumus. Quod cùm ita sit, in omnibus tamen hominibus lucent quasi scintillæ quædam illius luminis: quibus fit, ut principia disciplinarum, & communes illas sententias, quas ἀξιώματα aut κοινὰς ἐννοίας vocant, ita videamus, quasi ea quæ cernuntur oculis, eisque sine causa firmiùs etiam ac certiùs quàm iis, quorum causam tenemus, assentiamur. Ad quas cùm se admovit ἡ διάνοια, & ex illis alia quædam necessariò collegit, †efficitur ἐπιστήμη, id est, scientia, quam esse aiunt cognitionem rei per primam, propriam & necessariam causam. Quid mens propriè, quidque διάνοια sit, diximus, simulque paucis tum sapientiæ tum scientiæ originem ostendimus. Quarum utraque ad eam vim mentis pertinet, quam Græci ducto à contemplatione vocabulo τὸν θεωρητικὸν vocant. Est enim & altera quæ ab eis dicitur ὁ πρακτικὸς νοῦς, aut latiori nomine & aptiori ad omnia complectenda, ὁ νοῦς ὁ ἐνεργός, quasi tu dicas mentem, quæ non simplicem, ut illa, veritatem sibi propositam habeat, in eaque acquiescat, sed referatur præterea aliò, ut ad actio-

Metaphora

Definitio scientiæ

ctionem, aut ad operis alicujus molitionem & effectionem. Hac aut videmus duce natura, aut certè facilè percipimus communes quasdam sententias de rebus bonis & malis, expetendis & fugiendis: cujusmodi sunt, tuendam esse hominum inter ipsos societatem: colendam esse justitiam: ab injuria abstinendum: vim vi repellere jus fasque esse: itemque alias, quæ quasi principia sunt ac semina artium ad vitam necessariarum. Ad hæc principia cùm accessit primùm διάνοια, quæ, ut dixi, alia cum aliis comparans, alia ex aliis, nectens progreditur ac provehitur paulatim longiùs: deinde diuturnus usus & experientia cum accurata & diligenti animadversione ac notatione eorum quæ eveniunt in vita, † exsistit illa magistra vitæ, omnium bonorum consiliorum præceptrix, omnium honestarum actionum moderatrix, omnium moralium virtutum dux gubernatrixq; prudentia; eademque illa vi excogitatæ, auctæ, & ad summum perductæ sunt artes illæ, quibus aut nullo modo, aut certè non satis commodè carere poteramus. † Reliqua est opinio, varium & multiforme monstrum quoque non Proteus aut Vertumnus plures induerit species. Quanquam enim in rebus incertis & fortuitis proprium illius munus est: non tamen eis se finibus continet: sed indomita quadam & effrenata licentia per omne genus rerum temere ruens, omnia permiscet atque perturbat. † Interdum etiam sese pro sapientia, pro scientia, pro prudentia venditans, homines nimium fidentes sibi in gravissimos ac perniciosissimos inducit errores. Huic igitur, quoniam fallax,

† Descriptio prudentiæ.

† Quid opinio.

† Descriptio opinionis.

incerta, & instabilis est, nullius virtutis origo tribuitur: † nisi quod bona opinio de iis, quæ sciri possunt preparatio quædam est ad scientiam: bona opinio de rebus agendis, utiliter ad comparandam prudentiam antecedit. Immò verò, ut in disciplinis quædam ponuntur, quibus sine ulla dubitatione credendum est: ita ait Aristotelès opinionibus ac sententiis senum, & eorum quos longa & multiplex rerum experientia cautos ac provisos effecit, in consilio capiendo & in instituenda vita maximam fidem habendam esse: eas enim eandem vim ac prudentiam, quam illa principia ad scientiam obtinere. † Dixi breviter, ut proposueram, de omnibus humani animi facultatibus: & quanquam hanc totam disputationem quotidianis verbis & inornato dicendi genere contexui; tamen confido, eam vobis non minus gratam fuisse, quàm si omnes undique flosculos colligens omnes dicendi lepores ac festivitates aucupans, concinno quodam ac modulato verborum sono aures vestras demulcere studuissem. Potestis autem facilè perspicere ex iis, quæ dicta sunt, quibus de rebus in hoc sexto libro explicando disputaturi simus. Nam cùm in superioribus libris, earum virtutum, quæ sunt in illa parte animi, quam per se ratione carere, sed rationi tamen parere posse diximus, natura pertractata: sit in hoc de virtutibus illius superioris ac divinioris partis: hoc est, de intelligentia, sapientia, scientia, arte, prudentia, sed potissimum de prudentia disseremus. † Quid igitur? finémne statim faciam, (id enim à me jam expectari video) an priusquam desino,

desimo, ad hæc toto pectore amplectenda paucis vos cohortabor? Ego verò ita faciam, neq; committam, ut aut ad ineundam, aut ad persequendam pulcherrimam & fructuosissimam studiorum viam, ullo aut loco aut tempore, mea vobis cohortatio defuisse videatur. † Dubitaris igitur, adolescentes, quin ad harum rerum cognitionem adipiscendam omnis vobis diligentia suscipienda, omnis labor perferendus, omnis corporis voluptas negligenda, omnis aliarum rerum cura ex animo ejicienda sit? † Vbi, quæso, istam egregiam indolem, quam in plerisque vestrûm videmus, ubi istud ingenium ad omnia summa natum, ubi istam partem ætatis, ad concipienda doctrinæ virtutisq; semina omnium aptissimam, aut honestius, aut suavius, aut fructuosius collocare poteritis? † Quid enim est, quo quisquam oblectari, quo ad discendum invitari atque allici possit, cujus non in hisce quotidianis disputationibus nostris copiam reperire aliquam liceat? † Est quem arduarum rerum & remotarum à cognitione vulgi accurata tractatio capiat? Talia nobis plurima in animi partibus excutiendis, in principiis humanarum actionum evolvendis, in parefacienda sapientiæ scientiæq; naturâ necessariò tractanda erunt. Est quem non tam ardua & sublimia, quàm in quotidiano usu posita, & ad instituendam vitam accommodata, delectent? Vtilissimis ad vitam præceptis aures eorum, qui me audient quotidie personabunt. † Est cui antiquitatis cognitio & veteris historiæ commemoratio jucunda sit? At nos quidem scitis vix ullum præceptum tradere solitos

Hortatur juventutem ad utilia.

Anaphora

A jucundo.

Subjectio cum amplexione.

A varietate

solitos esse, quin ei illustrando repetitam ex Græca Romanaq; historia, exemplorum lucem adhibeamus. Poëtarum alius amœnitate ducitur? Nos verò ex optimis utriusq; linguæ poëtis pulcherrima queq; libantes, perpetuò disputationes nostras ejus quasi lalis adspersione condimus. Græcam linguam amat aliquis? Aristotelem bis quotidie Græcè loquentem audiet: qui ea lingua dicitur esse aureum orationis flumen fundere. Latinam anteponit alius? Dabimus nos quidem operam, ut ex optimis Græcis, non pessima Latina faciamus: neu quis à nobis audiendis, tanquam in latinè loquendo non satis diligentibus, absterreatur. Omninoq; quicunq; tantam huc animorum alacritatem tantamq; discendi cupiditatem adferent, quantam ego rerum optimarum varietatem, & quantum perspicuè docendi studium adferam, faxo, nunquam eis veniat in mentem, quod docenti mihi assiduam operam dederint pœnitere. DIXI.

Pro

Pro Alfonso II. Duce Ferrariæ, &c. ad Pium IV. Pont. Max.

ORATIO. XI.

NON EST HABITA.

Si quis est, qui scire cupiat, Beatissime Pater, quanto gaudio perfusus sit Alfonsus II. Ferrariæ Dux, posteaquam te in summum istum & cœlo proximum dignitatis atque amplitudinis gradum communi patrum omnium voluntate ac judicio sublatum esse cognovit: is, si orationem meam cogitationem suam subsequi, quasque ille gaudendi causas habuit, earum unaquæque quantum ponderis ac momenti habeat, diligenter expendere voluerit, simul & id, quod cupit, intelliget, & mihi si forte illius gaudij magnitudinem verbis exæquare non potuero, ignoscendum potius, quàm succensendum putabit. Nam cùm ea dicendo tractanda sunt, quæ nullo verborum genere satis exprimi possunt, acris & intelligentis æstimatoris est, non dicendi imbecillitatem accusare, sed eo ipso potius argumento uti, ut id quod agitur singulare quiddam & eximium esse judicet, quod ad id exprimendum nulla potuerit satis vehemens atque illustris oratio reperiri. Alfonsus autem secundus, ut insignem quandam lætitiam perciperet ex eo, quod sapientiæ tuæ summa totius Ecclesiæ gubernatio delata esset, cum iisdem

illis caussis adductus est, quæ cæteros quoque principes Christianos admirabili ob eam rem voluptate cumulârunt, tum aliis etiam quibusdam ad se propriè pertinentibus, quæ in communi omnium gaudio gaudium ipsius majus, & insignius reddunt. Ac primùm quidem gratissimum ei, atque optatissimum accidit, illi potissimùm summam rerum concreditam esse, qui per omne anteactæ vitæ spatium talem se præstitisset, ut tanquam perfectum & absolutum antiquæ illius innocentiæ, & integritatis exemplum omnium prædicatione commendaretur. Quis enim per illum, cujus locum in terris obtines, rerum omnium præpotentem Deum, multos jam annos ad istam sanctissimam sedem provectus est, te uno iis omnibus virtutibus, quas bonum; & omni ex parte absolutum principem habere decet, ornatior? † Qui cùm intelligeres, animum humanum duabus præcipue rebus perfici, & ad illud, ex quo ductus est, divinitatis exemplar proxime accedere, cognitione primùm & intelligentia earum rerum, quæ dignæ sunt, in quibus studium collocetur: deinde procurandis hominum commodis, iisque actionibus suscipiendis, ex quibus quàm maximus fructus ad quàm plurimos perveniret: jam inde à principio ita vitam instituisti tuam, ut perpetuò ad eos, quos dixi fines, omnia retulisse, neque unquam ullum temporis punctum, mentis aciem ab eis deflexisse videaris. † Itaque totum illud adolescentiæ tempus, cui & communi hominum consuetudine, & quadam prope ipsius naturæ tacita lege major quædam licentia

tri-

tribui nec permitti solet, ate, non in remissionibus animi, neque in eis voluptatibus, quibus etas illa plerunq; etiam sine reprehensione capitur positum, sed in assidua præstantium doctrina virorum consuetudine, diligentissimaq; cùm omnium honestarum artium, tùm earum præcipuè; quæ populorum rectoribus necessariæ sunt, pervestigatione consumptum est. Neque verò te ab eo, quod tibi proposueras, curriculo, aut deterrere postea laboris asperitas, aut avocare voluptatum blandimenta potuerunt. Qui semel ad solidam & immortalem gloriam recto itinere contendere penitus imbibisses, omnia tibi, dum eò, quò instituteras, pervenires, contemnenda, & pro nihilo putanda esse duxisti. Nimirum illam tu virtutis pulchritudinem, quam Plato, si cerneretur, mirabiles sui amoris excitaturam esse dicebat, non corporeis sub quos illa non cadit, sed iis, qui, si nulla cupiditatum nubes opposita est, multò perspicatiùs & acutiùs cernunt, animi oculis videras: ejusque desiderio incensus, nisi adepta ea, vitam ipsam tibi acerbam, atque insuavem fore statuebas. Igitur cùm Patavij primùm, deinde Bononiæ, defixus in præstantissimarum artium studio, primam ætatis partem exegisses, iisque adolescens egregiè navata in studiis operæ; insignibus atque ornamentis affectus esses, quæ amplissima in eis civitatibus tribui solent: judicâsti tibi jam esse ex domestico illo, & umbratili vitæ genere, quod ad illud usque tempus flagrantissimam illam cognitionis & doctrinæ suæ explere cupiens, necessariè coluerat in solo, quod dicitur, & in pul-

pulverem prodeundum: tempus esse, ut præclara illa semina, quæ diligenter subacto ac præparato animo coluerus, omni ratione foveras, alueras, auxeras, efferrent tandem ipsa se, & fructus exspectatione dignos hominum generi afferrent. Nec enim te fugiebat, omnem cognitionem, quam nulla consequeretur actio, mancam quodammodo & inchoatam esse: qui se ita studiis abdidissent, ut nihil ex eis ad utilitatem publicam protulissent, eo nunquam magnoperè commendatos, sæpe etiam reprehensos ac vituperatos fuisse. † Quapropter in patriam reversus, ut, quæ te prima urbs nascentem gremio, & sinu suo excepe-
rat, eadem quoque primos perciperet industriæ tuæ fructus, non tantum magnas controversias inter principes civitatis ortas, cùm illi te communi consensu judicem sumpsissent, sapientissimè diremisti, verùm etiam sedatis gravibus illis inter Franciscum Sfortiam Mediolani Ducem, & Ioannem Iacobum Medicem fratrem tuum discordiis † pacem pacem inquam, qua nihil optabilius est, nihil salutarius, civibus tuis inspe rantibus reddidisti † O felix, & auspicatum principium. O præclarè positum rudimentum. Quid non bonorum ab eo sperare poterant cives, qui primum virtutis suæ specimen pace, & privatim, & publicè componenda dedisset? Sed videlicet illa tanta virtus majorem aliquem campum, in quo excurreret, majus theatrum, in quo spectaretur, requirebat. † Roma te, Roma urbium princeps jam tunc ad se vocabat, & sub cujus olim imperio beata futura erat, ejus præsentis virtutem tanto an-

te

ètè gustare, ac cognoscere cupiebat. Romam igitur venisti, ubi virtutis tuæ tam multa, tamque luculenta testimonia, & pace, & bello dedisti: ut Paulus III. P. M. quem & omnes consitentur & res ipsa loquitur, cùm in cæteris rebus rara quadam & exquisita prudentia, tum miro in pernoscendis hominum ingeniis acumine, & acerrimo in ponderandis cuiusque meritis judicio præditum fuisse, cùm in plurimis maximi momenti negotiis prudentiam, fidem, magnitudinem animi tuam expertus esset, primùm quidem te Epidaurio Archiepiscopatu cohonestaverit: deinde verò absentem Reipublicæ causa in augustissimum & sanctissimum Cardinalium Collegium adsciverit. Hic ego, si, quod poëtæ solent, idem nobis quoque facere liceret; Nestoreum mihi aliquod, aut Ulixeum eloquentiæ flumen optarem: ut quemadmodum unà cum honoris amplificatione, tua semper virtus accrevit, ita mea quoque in explicatione laudum tuarum, quasi per gradus attolleretur, & seipsa grandior, ac sublimior fieret oratio. Vix enim fas videtur de rariis inusitatisque rebus dicentem, usitato, & quotidiano genere sermonis uti. Sed in hac conscientia tenuitatis meæ una me cogitatio sublevat, quod apud eos me dicere intelligo, qui rerum à te divinitus gestarum non testes modò ac spectatores, sed existimatores etiam & exornatores fuerunt. Nam quo die tot amplissimi & illustrissimi Cardinales, non inconsulto, aliquo & subito animorum impetu sed post accuratam in Conclavi aliquot mensium deliberationem, ad deferendam tibi summam in-

Ecclesia potestatem consenserunt, eodem die apertissimum judicium de perspecta sibi & explorata tua omnis generis praestanti & eximia virtute fecerunt. Quare non est mirandum, si, te tali Pontifice creato, Alfonsus Secundus Ferrariae Dux, qui studium quoddam incredibile erga hanc sacrosanctam Sedem à majoribus suis quasi hereditarium accepit, tanto ea ex re gaudio affectus est, quantum neque mea, neque cujusquam oratione exprimi potest. † Nam ad eas laetitiae causas, quae communes ipsi sunt cum ceteris omnibus Christianis Principibus, non parvi quoque ponderis aliae accedunt. † Primùm quod, Ecclesiae cliens cùm sit, omnes opes ac facultates suas hujus sacrosanctae Sedis auctoritate nixas & fundatas esse nõ ignorat: ut etiam hoc nomine impendio magis omnibus, quae ad ejus dignitatem pertinent, affici debere videatur. † Deinde, qui & patrem habuerit amplitudinis tuae studiosissimum, & ipse non parterni magis imperij, quàm illius in te observantiae hereditatem creverit, sciatq; praeterea è suis omnibus neminem esse cujuscunq; ordinis, qui non eodem planè animo sit semperq; fuerit, quiq; honori tuo ex animo, atq; ex illa summa voluntate non faverit, cui dubium est, quin is, facta ad gloriam tuam ea, quae maxima fieri potuit accessione, incredibilem quandam ex eo hauseris voluptatem? † Postremò, qui sese haud ita pridem cum illustrissimo Principe Cosmo Florentinorum & Senensium Duce gentili tuo, ducta in matrimonium illius filia, affinitate devinxerit, cur non immortaliter gaudeat, qua ex gente ipse uxorem acceperit, ex eadem

dem, qui universam Ecclesiam cum summo imperio regeret exstitisse? Ille verò statim accepto nuncio sese in viam dedisset, neque ullam moram interponendam putâsset, quin præsens tibi gratularetur, pedibusq; tuis suppliciter advolutus in tua potestate esse se ac semper fore ostenderet, nisi prius perculsis & afflictis, nec opinata patris sui optimi ac præstantissimi principis morte, suorum animis aliquid consolationis adhibendum esse duxisset. Quam quidem excusationem partim inevitabili necessitate, partim naturali pietate subnixam, à te, Beatissime Pater, æquo animo acceptum iri confidit: quodq; multò antea, si licuisset, facturus erat, ad pedes tuos prostratus, te patrem ac dominum agnoscit, tibi se suaq; omnia in fidem & clientelam tradit: & ut unà cum sententia, verborum quoque formulam apud majores hac in re usitatam retineamus, DEBITAM TIBI OBEDIENTIAM PRÆSTAT; segq; semper non ad fortunas modò suas, verùm ad sanguinem quoque & vitam pro hujus sanctissimæ Sedis dignitate profundendam paratissimum fore, omni asseveratione confirmat.

Pro Alfonso II. Duce Ferrariæ, &c. ad Pium V. Pont. Max.

ORATIO XII.

HABITA ROMÆ XV. KALEND. Quinct. anno cIↃ. IↃ. LXVI.

IN COMMVNI omnium Christianorum Principum gaudio, quo eos optatissima summi honoris ad te concordibus horum amplissimorum Patrum suffragiis delati fama cumulavit, PIE V. Pontifex Maxime, si præcipuam quandam ac prope singularem Alfonsi II. Ferrariæ Ducis lætitiam exstitisse dixero, vereor ne quis id magis ex veteri, & quotidiana omnium consuetudine, quam quod ipsi præter cæteros gratum id ac jucundum acciderit, à me dictum arbitretur. Ita enim jam usitatum est, ut omnibus Pontificibus, omnium Principum nomine eadem illa dicantur, ut & eos, qui audiunt verisimile sit ea modò sibi videri audire, qui cuilibet alij eundem adepto honorem dicerentur; & ij qui dicunt non tam ex suo sensu orationem depromere, quàm ex vetere aliquo libro solennem & certis conceptam verbis gratulandi summis Pontificibus formulam recitare videantur. Neque verò dubitari potest, quin æquissimum atq; honestissimum sit, quemcumq; hic plenissimus ordo ad Ecclesiæ

siæ gubernacula admoverit, quod totum illud negotium non humanis consiliis, sed divini spiritus instinctu, atque afflatu administrari certissimum est, ejus ut cæteri quoque Principes lubentissimis animis imperium accipiant, auctoritatem agnoscant, leges observent, se suaque omnia ejus potestati tradant ac permittant: eum denique, qui Deo maximè placuit, sibi quoque gratissimum acceptissimumque esse profiteantur. Sed tamen & longè alia illa est animorum alacritas, cùm homines eum, quicunque sibi rector divinitùs datus est, libenter accipiunt: alia cum quem semper ipsi eo munere dignissimum judicârunt, quemque semper toto pectore optaverant, eum divino quoque judicio probatum vident: & quanquam omnium publicè interest, qualis sit Pontifex, non est tamen obscurum, esse quosdam populos, quosdamque Principes, quorum id privatim multis de causis maximè interfit. Ex quibus ut unum esse Alfonsum secundum Ferrariæ Ducem omnes homines intelligant: neque vulgarem illam, aut mediocrem lætitiam fuisse, qua ipse accepto Pontificatus tui nuncio perfusus est, idque eò dici, non quòd ita dici soleat, sed quod verissimum sit: constitui si per te liceat, Beatissime Pater, primùm quidem breviter exponere, cur tibi potissimùm boni omnes communibus votis istum honorem mandari & optaverint, & optare debuerint, deinde verò, quas privatim causas Alfonsus habuerit, propter quas eximiam quandam ex eo perceperit voluptatem. Sed quoniam prior orationis meæ pars explicari aliter non potest, quin

quin de tuis laudibus nonnulla dicantur, idque cum aliqua tua molestia fieri necesse est: propterea quòd, ut quisque laude dignissimus est, ita minimè libenter laudes suas audire consuevit, supplex à te etiam atque etiam peto hanc veniam, Pater optime ac sanctissime, ut quæ de virtutibus tuis toto orbe jam pridem sparsa ac disseminata sunt, ea me strictim ac modicè attingere ac delibare patiaris. Vos autem, patres amplissimi, oro atque obtestor, ut si me sublimia humiliter, ampla tenuiter, illustria inornatè tractantem, & ex innumerabilibus, quæ ad dicendum suppetunt, plurima prætermittentem, pauca proponentem, veriùs, quàm exponentem audietis: cogitetis cum animis vestris, neque posse quempiam in tam ubere materia omnia persequi, neque ea, quæ satis per se splendida & magnifica sunt, ornatu verborum indigere, & mihi eam imprimis cautionem adhibendam fuisse, ne sanctissimi ejusdemque modestissimi Principis patrisque nostri aures, quanquam verissimis, & omnium sermone celebratissimis, inusitatis tamen, & longè multumque supra exempla vulgaria positis laudibus suis offenderentur: Atque equidem, Beatissime Pater, ut mea tibi quantum in me situm est, minimè molesta sit oratio, abducam, & avocabo eam à persona tua & de te reticens rem tantùm ipsam excutiendam considerandamque proponam. † Si quis igitur reperiretur, qui ab ipso ineuntis ætatis principio illud arduum ac cum labore ad virtutem directum iter ingressus, hoc robore animi, atque hac indole continentiæ esset, ut om-

omnia blandimenta voluptatum respuens, & aspernans, nihil in vita expetendum, aut magnifaciendum putaret, † nisi quod esset cum laude & cum dignitate conjunctum, sequè jam tum à corpore quàm maximè abstrahens ad divinarum rerum cognitionem cura omni studioque raperetur; quis non facilè augurari etur ex illa herbescentis adhuc, seque paulatim exserentis ingenij teneritate magnas aliquando virtutis ac sapientiæ fruges exstituras? † Quod si idem, cùm se paulùm jam corroborâsset, ut planè liber ab omnibus impedimentis iter sibi destinatum expeditius conficeret, secederet, segregaretque se à commercio vulgi, & solitariam vitam amplexus, nomen daret in eam sodalitatem, quæ, ex quo primùm instituta est, perpetuum quoddam inexhaustæ facunditatis seminarium hominum & doctrina & virtute præstantium fuit, quis non in ea spe, quam jam antea concepisset, magis ac magis confirmaretur? † Iam verò si multos annos in eodem ordine ita vixisset, ut non æqualibus modò suis, aut minoribus natu, sed ipsis senioribus exemplum innocentiæ, & integritatis esset, nullam unquam ullius turpitudinis aut flagitij, ne tenuissimam quidem suspicionem dedisset, neque in castigandis aliorum delictis remissus esset; & tamen aliis omnibus facilius ignosceret, quàm sibi: † pium ac jucundum bellum indixisset cùm omnibus vitiis, tùm præcipuè pravis, & veræ ac Catholicæ religioni contrariis opinionibus, multos mortales, aut errore lapsos, aut ab aliis in fraudem inductos revocásset in viam; obstinatos, &

& pertinaces, ne eorum contagio bonis obesset, repressisset legum habenis, & omnes vires suas ad eos exterminandos contulisset, † ejusque rei causa nullam offensionem, nullam simultatem, nullum odium, nullam denique capitis dimicationem sibi unquam defugiendam putasset; nemo, ut opinor, inveniretur, qui non tantum illud virtutis & constantiæ lumen in excelso aliquo & illustri loco collocandum arbitraretur. † Ad hæc omnia, si judicium & auctoritas acris alicujus, ac severi Pontificis accederet, qui nulla prorsus alia re, quàm illa præstanti virtute commotus, eum virum, de quo loquimur, nihil tale ambientem ac ne cogitantem quidem, † in sacrosanctum Cardinalium Collegium adscisceret, isque se in illo dignitatis gradu constitutus, eundem toto decennio præstaret, quem in aliis vitæ partibus præstitisset, quis non ei bonus Pontificatum maximum spe & votis omnibus destinaret? † Quis non omnes Christiani nominis & animi provincias gaudio triumphaturas, florentesque beatas futuras, tali sibi dato gubernatore consideret? Si hæc in extremis Galliæ aut Hispaniæ, aut etiam remotioris alicujus provinciæ finibus diceremus, pro certo tamen haberem cognitum iri ab omnibus te, Pie Quinte, eum esse, quem nos jam dudum notaret ac designaret oratio. † Nam quæ tandem vitæ tuæ pars non ejusmodi fuit, ut in ea cum semper reperirent boni, quod imitarentur, nihil reperire possent improbi, quod calumniarentur? Majori tu & tranquilliori animo paupertatem tulisti, quàm ceteri divitias ferunt. Nunquam

quam † tu honores secutus es: sed recto semper itinere gradientem, & de sola virtute sollicitum, de aliis rebus non laborantem, ipsi te ultro sunt honores consecuti. Nihil te Cardinalatus dignitas immutavit; nisi quod ut tua virtus à pluribus cognosceretur, effecit: eandem, quam privatus, comitatem, atque affabilitatem, eundem cultum, eandem vitæ ac disciplinæ severitatem retinuisti. † Una erat omnium vox, neminem esse, qui majore libertate sententiam diceret, qui minùs ad gratiam loqueretur, qui quæ vera rectáque erant constantiùs, aut animosiùs tueretur. Itaque non in sermone tantùm, sed in vultu ipso ac nutu tuo magna inesse putabatur auctoritas. Tanto igitur, & tam repentino omnium consensu Pontifex renunciatus, ut si cui fortè adhuc dubium fuerat, hominúmne judicio, an divino numine summi Pontifices crearentur, quod tamen nemini unquam bono dubium fuit, ea tota dubitatio proximis comitiis sublata esse videatur. Non enim fumosæ majorum imagines, non invidiosa divitiarum magnitudo, non blanditæ principum commendationes viam tibi ad Pontificatum munierunt: eadem illa virtus, quæ te ab ipsis incunabulis susceptum perpetuo comitata erat, serius omninò & votis nostris, & meritis tuis; sed tamen in isto te tandem celsissimo dignitatis inter homines Deo proxime solio, suis ipsamet manibus collocavit. Et hæc quidem omnino omnibus Christianis & principibus & populis ingentem lætitiam attulerunt. † Quas autem causas habuerit Alfonsus II. cur ex eo præcipuum quoddam

dam gaudium caperet, sequitur ut exponam. † Non
1. est dubium, quin totius Christianæ Reipublicæ interfit, quàm optimos Pontifices creari; sed tamen id magis quodammodo pertinet ad eos populos, qui reguntur abipso Pontifice, quàm ad illos, qui procul positi, etiamsi in iis, quæ ad religionem pertinent, Pontificis imperio parent, in cæteris tamen à regibus aliisue principibus gubernantur: itidemque inter principes: magis ad eos, qui sunt in fide ac clientela Ecclesiæ, quàm ad eos, quibus nulla talis intercedit cum hac sancta, & Apostolica Sede conjunctio. Cùm igitur antiquissima, & nobilissima principum Estensium familia & antiquitus à Pontificibus Romanis Ferrariam acceperit, & ab eisdem ducali nomine atque auctoritate decorata fuerit, semperque ex eo in hujus sanctæ Sedis patrocinio permanserit: constat, cujusmodi Pontifices sint, quàm amantes religionis ac justitiæ, eorum magis, quàm multorum aliorum
2. principum, interesse. † Deinde cùm ex aliis multis & præcipue ex illustrissimo Cardinali Ferrariensi patruo suo Alfonsio II. de tua præstanti virtute cognôsset: neque nescius esset, quanto opere & is, & frater suus illustrissimus Cardinalis Estensis dignitati tuæ verè atque ex animo faverent, fieri nullo modo poterat, ut non & idem evenire cuperet, quod & patruum, quem semper meritissimò plurimi fecit, & fratrem, quem æquè amat ac seipsum, tanto studio
3. procurare intelligebat. † Postremò, cum ita natura comparatum sit, ut eos quisque ornatissimos ac florentissimos esse cupiat, quorum causa plurimùm labo-

laboravit, in plurimaque se ac maxima pericula exposuit, necesse est insigniter caram esse Alfonso Ferrariæ Duci huius sanctæ Sedis dignitatem, pro quâ majores ipsius tot labores susceperunt, tot discrimina adierunt, toties de vita fortunisque omnibus dimicârunt. † Nihil augendi aut amplificandi causa loquar, Pater Beatissime: sed id tantùm optima fide testabor, quod, si opus sit, certissimis ac locupletissimis auctoribus probare nullo negotio possum: si ea minutatim persequi velim, quæ à principibus Estensibus pro Apostolicæ Sedis auctoritate, ac totius Italiæ salute fortiter facta sunt, non dies modò me, sed vox ipsa viresque deficient: † Sed, ut omittam ea, quæ nimis antiqua videri possunt (siquidem mille jam anni, & eo amplius sunt, cùm hæc nobilissima familia floret, aliosque assiduè ex aliis Principes perpetuâ quadam serie propagat) illud certè prætermitti non potest, † quod cùm Fridericus Ahenobarbus à Gregorio Nono damnatus atque hostis judicatus, ob idque implacabili adversus Ecclesiam Romanam odio flagrans, per Italiam immanissimi latronis more baccharetur, vastaret agros, oppida diriperet, depopularetur, interficeret, non sexui, non ordini, non ætati ulli parceret, cæde ac sanguine compleret omnia, administrumque ac satellitem crudelitatis suæ haberet Eccelinum, quem non tam inter sceleratos tyrannos, quàm inter tetras, & immanes belluas numerare meritò possumus, utriusque copias non tam numeroso, quàm valido exercitu fudit, ac fugavit Azo Nonus Marchio Estensis. Quin etiam

cùm

cùm Salinguerra Taurellus, qui Eccelini sororem in matrimonio habebat, eique in omni scelere geminus erat, Ferrariam vi & armis occupatam & oppressam teneret, miserorumque civium cervicibus praedo crudelissimus incubaret, eiusdem Azonis virtute, & armis Ferraria ab illius tyrannide vindicata est. † Cujus rei causa primùm quidem universus populus Ferrariensis Azonem ipsum dominum, ac principem suum consaluravit, deinde verò Pontifices, habita ratione & sumptuum, quos ipse in liberanda Ferraria fecerat, & beneficij, quod ab eo Apostolica Sedes acceperat, eandem illam urbem ei posterisque eiusdem habendam ac regendam concesserunt. Neque unquam, quoties aliqua sese obtulit occasio, recusarunt principes Estenses, dum pro Ecclesia propugnarent, se suaque omnia prompto animo in discrimen opponere. Quae omnia aliaq; ejusdem generis plurima non Ferrariensium tantùm annalibus, quorum hac in parte fides alicui fortassis suspecta esse possit, sed optimi cujusque illorum temporum aut etiam inferiorum scriptoris monumentis prolata, & testata sunt. † His virtutibus domus Estensis ad tantam gloriam jam pridem pervenit, ut summi Pontifices, ut Imperatores, ut Hungariae, ut Galliae Reges, aliique potentissimi Principes pulchram sibi ac decoram illius affinitatem judicârint. † Hae causae sunt, Beatissime Pater, cur Alfonsus II. qui neque pietate in Deum, neque observantia erga Sedem Apostolicam, neque ulla denique virtute cuiquam ex majoribus suis cedere meditatur, te Pontifice declarato, incre-

incredibile quoddam ex ea re gaudium cœperis. Neque quidquam libentiùs fecisset, quàm ut ad te primo quoque tempore veniret, & sanctissimis pedibus tuis advolutus quantoperè tibi, & huic sanctæ Sedi devotus addictusque sit, modis omnibus declararet, nisi id temporum ratio prohibuisset. Sed cùm ita evenisset, ut felicissimi Pontificatus tui principium in id tempus incidisset, quo ipse uxorem domum duxerat: judicavit te pro tua singulari clementia non iniquo animo laturum, si priùs cœpta nuptiarum solennia celebraret, ac cum uxore unum, aut alterum mensem commoraretur: deinde ad debitum officium tibi præstandum veniret. Nunc autem aliud interea multò gravius objectum est impedimentum. Nam cùm sceleratissimus ille religionis nostræ hostis Turcarum tyrannus numerosissimo exercitu Hungariæ immineat, generosissimus Princeps, qui admirabili studio ardeat incedendi assiduè per vestigia majorum suorum, Maximiliano Imperatori uxoris suæ fratri, sponte se in belli ac discriminis societatem obtulit, eique pollicitus est, simul atque accersitus esset, se ad eum nulla interjecta mora cum quantis posset copiis esse venturum. † O vis virtutis, quid non in pectoribus heroïs vere generosis efficis? Non dulcedine patriæ, quam abitu suo mœstam & paventem relinquit, non nuper ductæ uxoris caritate, quæ sibi eo discedente à visceribus suis distrahi ac divelli videtur, non hostis feritate, non periculi magnitudine retineri fortissimus Princeps potest. † Valeant, inquit, valeant alia omnia, ubi Christianæ Reipublicæ defensio agitur, indignus

Fein sarema dintaude Alposs i.

Prosopopœia.

dignus sim maioribus meis, si quidquam ei antepo-
nendum putem. Verebatur autem, si hue iter cœpis-
set, ne interea accideret aliquid, ut statim regredi,
atq; in Hungariam proficisci necesse haberet: neque
dubitabat fore, ut hæc excusatio sua à te quoq;, Bea-
tissime Pater, non modò acciperetur, verùm etiam
commendaretur. Sed quod ipse si licuisset præsens fa-
cturus erat, idem nunc per hunc illustrissimum Prin-
cipem ac Marckionem Franciscum Estensem patru-
um suum facit: quo deligere neminem poterat in
quo plus inesset vel fidei vel auctoritatis. Per eum
igitur, Beatissime Pater, Alfonsus II. Ferrariæ Dux
eam, quam debet TIBI, ET SANCTÆ SEDI
APOSTOLICÆ OBEDIENTIAM PRÆ-
STAT, SE SVAQVE OMNIA TIBI
TRADIT AC CONSECRAT, SEMPER-
QVE SE IN TVA ATQVE HVIVS
SANCTÆ SEDIS potestate fore sanctissimè pol-
licetur. Tu eum vicissim, Beatissime Pater, ut ipse te
sine ulla dubitatione facturum esse confidit, paterna
benevolentia complectere: & quemadmodum ipse
semper omnes vires suas ad defendendam tuam, &
Apostolicæ Sedis dignitatem studiosissimè contu-
ret: ita tu eum totamq; unà familiam Estensem, eximium
nobilitatis Italicæ florem, non tuendam modò tibi, ac
conservandam, sed amplificandam etiam indies
ac cohonestandam judicato.

DIXI.

(o)

Pro

Pro Carolo IX. Rege Christianissimo ad Pium V. Pont. Max.

ORATIO XIII.

HABITA ROMÆ ANNO cIↃ. IↃ. LXVI.

SI eorum, quæ oratione tractantur, magnitudo & præstantia non aliunde, quam ex ejus, qui de eis disserit, ingenio & dicendi copia penderetur: magnoperè mihi verendum esset, Beatissime Pater, ne hodierno die, in hoc augustissimo & ad dicendum amplissimo orbis terrarum loco, splendor, ac dignitas maximarum pulcherrimarumque rerum, quarum explicandarum munus mihi mandatum est, ingenij mei tenuitate & orationis inopia imminueretur. Dicturus enim, hujus clarissimi viri Oratoris ad te regij jussu, quantum gaudium Rex Carolus IX. te Pontifice declarato, perceperit, intelligo mihi faciendum esse, ut veteri atque usitato, eorum qui ante me idem munus obierunt, instituto, de singulari atque eximia pietate, qua Reges nostri, multis ab hinc seculis præ cæteris omnibus, perpetuò floruerunt, breviter differam: & non omnia quidem, quod infinitum esset, sed aliqua tamen eorum, quæ illi tum pro religione, tum pro hujus sanctæ Sedis defensione piè fortè

fortiterque gesserunt, commemorem: ostendam deinde, quanto studio atque ardore animi, Rex noster jam nunc in hoc incuntis adolescentiæ flore, per illorum vestigia gradiatur: quamque sibi hujus præcipuè laudis principatum appetat ac concupiscat: quibus expositis, illud quoque facilè intelligetur, quantæ ipsi curæ esse debeat Ecclesiæ status: qui cùm, secundum Deum, ex Pontifice potissimùm pendeat: quantopere te tali viro his turbulentissimis temporibus divinitùs Pontifice creato sibi præter cæteros gaudendum arbitretur. † Quæ omnia si quis ita se tractare posse confidat, ut rerum magnitudini orationis pulchritudo respondeat: eum oportet aut ita exercitatum esse in dicendo, ut facultate sua fretus, nihil sibi difficile atq; arduum putet; aut ita inexercitatum, ut errore ductus, rerum pondera & momenta satis acutè atque intelligenter perspicere ac dijudicare non possit. † Neque mihi nunc alia ulla res perfusum ac debilitatum hac cogitatione animum erigit ac confirmat, quàm quod apud te dicendum est, Beatissime Pater, qui & ea sapientia es, ut, quanti quæque res sit, ex natura ipsius, non ex iis, quæ de ea dicuntur, ponderes; & ea lenitate ac mansuetudine, ut eis, qui potiùs, quàm officium deserant, ejus onere opprimi malunt facilè ac lubenter ignoscas. † Mihi verò memoria vetera repetenti, & mentis oculos per antiqua Regum nostrorum decora circumferenti, non unde incipere, sed ubi desinere debeam, statuere difficile videtur. Tanta est enim rerum ab eis gestarum magnitudo, tanta copia, ut neque possit quis-

quam

quam, ne sinentiri quidem velit, majora confingere; neque vera consectans, omnia tam brevi temporis spatio persequi: sed aut ab ipso multa, aut ipsum à tempore deseri necesse sit. † Nam quæ tandem gens in toto orbe terrarum nominari potest, quæ semel susceptam IESV CHRISTI Salvatoris nostri religionem majore constantia puram incorruptamque servaverit? Quæ plures atrociores ve illius hostes aut exstinxerit, aut bellica virtute domitos errorem suum deponere, seque ad Ecclesiæ societatem recipere coëgerit? quæ Apostolicæ Sedi laboranti tam sæpè subvenerit, eamque Tyrannorum iniquitate & injuria oppressam non in pristinam modò dignitatem restituerit; sed tam multis ornamentis affecerit, tam firmis præsidiis muniverit? † Omnia, quæ ab aliis regibus, aut gentibus in hoc genere gesta sunt, si unum in locum collata cum iis, quæ nostri gesserunt, comparentur, & numero eorum & magnitudine obruentur. † Mille jam anni sunt, & aliquanto amplius cùm Hlodoveus, qui postea Hludovicus vocatus est, primus Regum nostrorum, salutari aqua ablutus, nomen in Christi militiam dedit. † Neque diu cunctatus, suscepto bello in Visigothos, pertinacissimos hæreseos Arianæ defensores, eos commisso in Pictonibus prælio vicit, regemque eorum Alaricum manu sua interfecit. Neque multò post haud procul Burdigala reliquias eorum confecit in campo, qui ex eo etiam hoc die Campus Arianus vocatur. † Itaque ob id factum Anastasius Imperator, honoris causa, tunicam ei purpuream, sive, ut tum loquebatur, blatteam misit,

Narratio una causa fecit Francos à religione.

Exaggeratio loci.

probat & explo.

Hlodoveus

Visigothos vincit,

Hludovicus

Imperator bona mittit.

sit, simulque coronam auream magni ponderis, admirabili opere perfectam, multis ingentis pretij gemmis unionibusque collucentem: atque eum per legatos non consulem modò ac patricium, sed defensorem Christiani nominis, sed liberatorem imperij, sed generis humani patrem vocavit: felicem prædicans, cujus potissimùm manu divina providentia illos urbis Romæ eversores, provinciarum vastatores, Dei hominumque hostes cadere voluisset. † Ille, ut principem verè magnanimum decuit, munera quidem Imperatoris non repudiavit: sed illam, quam dixi, coronam augustius quiddam & magnificentius esse duxit, quàm ut cuiquam mortalium conveniret: dignam rem sacrario, dignam, quæ non humano usui, sed divino cultui adiceretur: Itaque eam summa cum veneratione, in templum Lateranense missam D. Petro Apostolorum principi consecravit. Nimirum ut belli principia ex solo divini cultus studio exstiterant, ita victoriæ insignia non alibi, quàm in celeberrimo aliquo templo, collocari par fuit: ut omnibus seculis in illo nobili numere, non tam illa clarissimarum gemmarum multitudo, quàm Hlodovei regis pietas religioque fulgeret. † Neque se tanto patre parum dignum præstitit Childebertus: qui Almaricum Alarici filium, cui etiam sanciendi fœderis causa sororem Hlotildem in matrimonium dederat, cùm in paterna impietate perstare, ideòque in uxorem, quam abducere à Catholica religione non poterat, injurium ac contumeliosum esse cognosset: bello eum persequi non prius destitit: quàm &

Tyran-

Tyrannum ipsum obtruncavit, & populos, qui ei paruerant, ab Arianæ opinionis pravitate revocavit. †*O sancta bella, quæ non ad unius hominis ambitionem, aut avaritiam explendam, sed ad veram & Catholicam religionem latiùs spargendam suscipiebantur. O felices victorias, quæ & victoribus immortalem gloriam, & victis æternam salutem afferebant.* † *Sed ita magna & memorabilia sunt, quæ mihi se ad dicendum offerunt, ut, cùm singula intueor, nihil eorum sine flagitio prætermitti posse existimem: ita multa rursus, ut, cùm universa contemplor, plurima mihi necessariò omittenda esse cognoscam.* †*Dagoberti tamen primi singularem eximiamque pietatem tacitus præterire non possum: qui, & edicto proposito, omnes, qui fidem Catholicam non amplecterentur, intra certam diem, aut Galliæ finibus excedere, aut capitis supplicio affici jussit: & in reliquis vitæ partibus ita se gessit, ut, qui honores more nostro relatis in divos haberi solent; eos illi post mortem Ecclesia decreverit.* †*De Carolo autem Martello quid primum, quid postremum eloquar?* †*Ille Saracenos, ferocissimam, & Christiano nomini inimicissimam gentem profligavit, quorum infinitam quandam multitudinem uno ad Ligerim prælio cecidisse, cùm è nostris paucissimi desiderati sint, historicorum monumenta testantur.* *Ille Frisios, impia falsorum Deorum cultui deditos, & à Christiana religione abhorrentes; repudiata superstitione, Christo initiari coëgit. Ille Visigothos & Saracenos conjunctis copiis bellum renovare & Narbonensem provinciam*

Exclamatio

Loco commodo laudatum pro Rei merito.

Editum Dagoberti de sua sanctitate edictum et pagina.

Dubitatio

Caroli Martelli victoriæ commemorantur per Anaphoram

ciam occupare ausos aggressus, agros eorum cadaveribus stravit, fluvios eorum sanguine infecit. Ille, cùm Gregorius III. Pontifex maximus, rebus suis diffidens, opem ejus implorâsset, Luitprandum, Longobardorum Regem, ab hac urbe obsidenda, sola nominis sui auctoritate deterruit. Sed non omnia persequenda sunt. Vocat enim nos ad se Pipinus, neque me diutius de rebus suis tacere patitur. Hic ille est Pipinus, Beatissime Pater, ille, inquam, Pipinus, Patres amplissimi, à quo est Pontificum maximorum auctoritas à contemptu vindicata, opes auctæ, potentia stabilita. Etenim, ut ab optimis auctoribus memoriæ proditum est, cùm Aistulphus Rex Longobardorum universam Italiam sub imperium subjungere meditaretur, jamque Ravennam, & magnam præterea Flaminiæ partem occupâsset, Stephanus Secundus Pontifex, cùm prius opem ab imperatore Constantino petîsset: atque ab eo neglectus esset, consilium capit eundi in Galliam ad Pipinum: illum unum & ea pietate esse, ut auxilium sibi libentissimè laturus esset; iis viribus, uti facilè posset. Neque eum sua frustrata est opinio. Nam Pipinus & illum excepit iis omnibus honoribus, qui maximi poterant excogitari, usque eò ut ei obviam profectus, tria millia passuum pedibus confecerit, manu sua frenum equi, quo ille vehebatur, tenens; & cùm Alpes incredibili celeritate superâsset, transportato in Italiam exercitu, tantum terrorem intulit Aistulpho, ut, collatis signis depugnare non ausus, Ticini se mœnibus tueretur. Vbi tam diu obsessus est, dùm se omnia, quæ abstulerat, restitu-

tu-

turum, neque unquam Pontifici molestiam exhibiturum, interposito etiam jurejurando, fidem daret. Qua postea neglecta, cùm, longè latéque omnia populatus, postremò hanc ipsam urbem obsidione cinxisset; Pipinus, qui tanquam re confecta, in Galliam redierat, in Italiam denuò reversus, virtute & armis perfecit, ut Aistulphus supplex easdem conditiones denuò acciperet; neque prius pedem ex Italia movit, quàm præfectura Ravennatium, finibus longè maximis, utpotè quibus & Flaminia & Æmilia tota contineretur, Pontifici restituta est. Exstat adhuc tabula marmorea in ea turri, cui Borgiæ nomen est, in qua hæc omnia olim honoris ergò incisa & perscripta fuisse constat. Ita enim in ea adhuc legitur. PIPINUS PIUS PRIMUS AMPLIFICANDÆ ECCLESIÆ VIAM APERVIT ET EXARCHATUM RAVENNÆ CVM AMPLISSIMIS. Pars tabulæ, in qua reliqua scriptæ erant, aut casu aliquo, aut temporum, aut hominum injuria confracta est. At ænea quidem & marmorea monumenta conficere ac consumere longinquitas temporis potuit. Pipini certè gloriam nulla unquam delebit vetustas, nulla unobscurabit oblivio. Sentio tantas res multò brevius multoque exilius à me tractari, quàm dignitati atque amplitudini ipsarum conveniret. Sed quis modus futurus erat, si quæ sic quoque vix à me percursa sunt, ea in singulis immorari, atque insistere voluissem? Nunc quoque si de Caroli Magni laudibus disserere vellem, quantus se mihi campus aperiret? Dicerem Aquitaniam, in qua hæ-

reses denuò efferre se & subcrescere cœperant, ab adolescentulo perpurgatam. Dicerem immanissimam Saxonum gentem, semper victam, semper rebellantem, cùm inter se constantia Caroli, & illorum pervicacia certarent, vix tandem continuo triginta trium annorum bello perdomitam, & abjecto idolorum cultu CHRISTI leges accipere coactam. Dicerem Italiam vincendo peragratam, dignitatem Hadriani Pontificis vindicatam. Desiderium Aistulphi successorem, cùm eadem, quæ ille moliretur, oppressum: additam ditioni Pontificiæ Corsicam, additos ducatus Spoletanum & Beneventanum, additum quidquid Lucam & Parmam interjacet. Neque præterirem reditum in Italiam, & Leonem III. Hadriani successorem in sedem, & fractis & obtritis hostium Ecclesiæ viribus, restitutum. Illa verò quanto pleniore ore laudarem: relicto amplissimo & florentissimo regno, susceptum iter impeditissimum, & difficultatis ac periculi plenum, & ducto per tam varias gentes validissimo exercitu terrã illam, quæ vagitus IESV CHRISTI nascentis excepit, quæ eum concionantem audiit, admirandis operibus certissima divinitatis suæ signa dantem obstupuit, spectavit sublatum in crucem, & suo sanguine peccata nostra expiantem, ex impiorum manibus ereptam & recuperatam? Talia quamlibet multa dicerem, multa tamen necessariò præterirem, summa omnia, & illo nobili Magni cognomine majora. Quod si vellem ulteriùs progredi, & tum quæ priscis temporibus Hludovicus Pius, Philippus primus, Hludovicus Crassus, Philippus Augustus, Divus Hludovi-

dovicus, alij reges, tum recenti memoria Franciscus primus, Henricus secundus, Franciscus secundus religionis & sedis Apostolicæ causa fecerunt, exponere: commemorarem, quàm multi ex eis ad eam defendendam in Italiam cum exercitu venerint: quàm multi Pontifices laborantibus rebus suis in Galliam confugerint: quàm multa Concilia, cùm alibi nusquam possent, in Gallia tutò ac liberè celebraverint: multorum dierum multorumq; voluminum, non unius horæ & unius orationis negotium esset. †Ob quæ omnia semper summi Pontifices & quoscunq; potuerunt honores habuerunt regibus nostris, & ex omni antiquitate in scriptis suis omnibus exquisitissimis laudibus extulerunt. Exstat epistola D. Gregorij ad CHILDEBERTVM regem, cujus hoc principium est: QVANTO CÆTEROS HOMINES REGIA DIGNITAS ANTECELLIT, TANTO CÆTERARUM GENTIUM REGNA REGNI VESTRI CULMEN EXCELLIT. Innocentius III. REGES GALLORUM, PRÆ CÆTERIS TOTIUS ORBIS REGIBUS, ait SEMPER APOSTOLICÆ SEDI, ut ipsius verba ponam, OBSEQVIOSOS, ET DEVOTOS EXTITISSE. Honorius III. eosdem OPPOSVISSE SE TANQVAM MURUM INEXPUGNABILEM PRO POPULO CHRISTIANO. Gregorius IX. REGNUM GALLIÆ, ait, ESSE QUASI PHARETRAM, QUAM CHRISTUS SIBI CIRCA FEMUR ACCINXIT, EX QUA SAGITTAS

Honorius à Pontificibus Pontifices Regibus Galliæ.

Encomia Pontificum Regibus Galliæ tributa.

1. Gregorij.

2. Innocentij 3.

3. Honorij 3.

4. Gregorij 9.

TAS ELECTAS EXTRAHENS, IPSAS, VT SIBI GENTES, ET REGNA SVBICIAT, INARCV, *ita enim loquitur*, BRACHII POTENTIS EMITTIT. REGEM GALLIÆ *Gregorius I.* REGEM CATHOLICVM, ET PRÆCELLENTISSIMVM FILIVM SVVM; *Gregorius IX.* CHRISTIANISSIMVM INTER OMNES CHRISTIANOS; *Innocentius IV.* CATHOLICVM PRINCIPEM ET CHRISTIANISSIMVM REGEM; *Vrbanus IV.* PRINCIPEM INCLITA DEVOTIONE PRÆCLARVM, PRINCIPEM CHRISTIANISSIMVM PRÆCELLENTIVMMERITORVM, ATHLETAM CHRISTI STRENVVM, ET SOLICITVM FIDEI CHRISTIANÆ DEFENSOREM VOCAT. *Quæ omnia honoris & dignitatis plenissima nomina, & illum, quem tot seculis obtinuerunt, atque obtinent, inter omnes Reges principem locum, Reges nostri, non aut ambitione sua, aut aliena assentatione consecuti sunt: sed ipsi suis laboribus, suis periculis, suo sudore ac sanguine comparârunt. Ab iis igitur majoribus ortus Carolus IX. nihil aliud sibi studio habet, nihil aliud dies noctesque curat ac cogitat, quàm quomodo possit eorum quàm simillimus evadere, & quam nobilitatem à majoribus accepit, eandem tradere posteris suis insigni aliqua accessione cumulatam. Quam ad rem divinus adolescens & ipse per se maximo quodam impetu animi fertur, & assiduis Catharinæ matris, omnium, quas hodie sol ad-*

spicit, sapientissimæ, ac præstantissimæ mulieris vo-
cibus incitatur. Itaque in ijs acerbitatibus, quas su-
perioribus annis pertulit Gallia, habuit tamen ali-
quod solatium ex pulcerrimo spectaculo, matris omnia
recta & salutaria suadentis, & filij omnibus mater-
nis consiliis libentissimè obsequentis. † Quàm multa Fœminarum indoles.
ex eo adhuc puerulo auditæ sunt voces, erumpente
foras, sequè jam tum patefaciente natura, quæ & ex-
cellens acumen ingenij, & indolem virtutis omnia
mox egregia exempla editura indicarent? Quorum
ego si nonnullas proferre instituam, facilè convin-
cam, neque Cyri illius veteris, neque Alexandri Ma-
ni dicta quædam in pueritia, quæ in admiratione
sunt, ullo modo esse cum Caroli dictis comparanda.
Sed nihil dictis opus est, ubi facta ipsa loqui quodam-
modo videntur. Quis est enim hodie in terris locus,
qui non audierit, quibus haudita pridem Gallia pro-
cellis, ac tempestatibus agitata sit? Nam cum inaudi-
ta quadam ante hoc tempus calamitate, multorum
ex nostris hominibus animos nefaria quædam & ex-
secranda opiniones occupâssent, atque in eis insedis-
sent, ut ipsi nihil sibi non tentandum putarent, quo
nobilissimum regnum ab Ecclesiæ communione, & ab
hujus sanctæ Sedis obedientia abducerent. † Tanta ex Malagueta
eo consecuta est rerum omnium perturbatio, ut toti Franciæ
Galliæ ultimum, quod impiorum potius capiti sit,
venisse exitium videretur. Videre erat eadem in
domo filios à patribus, fratres à fratribus, viros ab
uxoribus propter hanc de religione dissensionem, ca-
pitali odio dissidentes. Neq; se privatis parietibus con-
tinuit

tinuit mali vis. Inita occulta primùm, mox etiam aperta adversus Deum, adversus Regem, & Reginam, adversus omnes rectè sentientes scelerata consilia. Perditi quidam ac nefarij homines, quos illa furens turba, quasi nuper cœlo delapsos novi Evangelij doctores, sequebatur, convocatos suos, nocturnis concionibus ad contemnendos magistratus, ad regium imperium tollendum, ad occupanda oppida, ad cædem & sanguinem, ad rapinas & ad prædas incitabant. Horum vocibus, quasi quibusdam furiarum facibus, cùm accensa impiorum pectora essent, itum est ad arma: occupatæ improvisò opulentissimæ ac munitissimæ urbes: intercepta regiæ pecuniæ: direpta bonorum fortunæ, ipsi aut expulsi, aut occisi: antiquissima & religiosissima templa partim spoliata, partim inflammata: partim diruta & solo æquata: quæ dejecta non sunt, in iis ea patrata, quæ commemorari sine horrore non possunt. O illorum temporum vel memoriam ipsam acerbam ac luctuosam: cum de legum auctoritate sceleratorum audacia triumphabat: cùm prostratæ religioni victrix insultabat impietas: cùm tremefactis omnibus bonis & optimo quoque pessima omnia metuente, & volitantium huc illuc, & in publicis ruinis bacchantium improborum voces undique audiebantur. In his tantis malis ac difficultatibus Carolus Rex plura se & difficiliora; propagandæ religionis causa, fecisse ac præstitisse, quã quenquam alium ex omni memoria principem, verè ac meritò gloriare potest. Omnes enim alij in externos bella gesserunt; hic suis bellum inferre coactus est.

Alij

Alij & à suis & ab alienis adjuvabantur, hunc & sui, & alieni oppugnârunt. Aliis si vincerent, proposita erat, præter gloriam, imperij ac potentiæ suæ amplificatio: sin vincerentur, erat, quò se reciperent: Huic, sive vinceret, spectanda magna strages suorum, cum insigni virium suarum imminutione; sive casu aliquo vinceretur, regno fortassis carendum fuit. Et hæc tamen omnia eum non deterruerunt, quo minus urbes suas obsideret, earum mœnia tormentis bellicis quateret, agros popularetur, obsessos commeatibus intercluderet, prælia, in quibus multi fortissimè imperatores militesque cecidérunt, committeret: omnia denique in solo suo faceret, quæ in hostili fieri solent. Neque ut opinor, aliud bellum ætate nostra gestum est, in quo, quidquid ex utraque parte periret, uni periret. †Quamquam autem messes se suas, ut dicitur, urere intelligebat: tamen, quoniam integritas religionis aliter conservari non poterat, omnia sibi perferenda esse statuebat. Reginæ autem in illis tumultibus quod studium, quæ sollicitudo, quæ concursationes fuerunt? Quid non illa tentavit, quid non molita est, ut omnia quàm minimo damno componerentur: ut & conservaretur Catholica religio, quod semper ei præcipuum fuit, & quàm minimum sanguinis funderetur? In quo fecit rem gentis suæ nomini mirificè congruentem. Medicata enim est consilio ac prudentia sua communibus totius Galliæ malis, & eam se difficillimis temporibus præstitit, ut non jam verius mater Regis, quàm mater regni nominari meritissimò possit. Ejus enim præcipuè,

bellum

bellum civile

Metonymia

cura

& aliorum regni sui procerum, consiliis, & virtute fortissimorum imperatorum, ac militum suorum, quorum alij occubuerunt, alij adhuc superstites sunt, Carolus Rex Galliam ex atrocissima tempestate servavit, & in eum, in quo nunc est, statum redegit. Quod si nondum omnia, quò vellemus plane perducta sunt, cogitare debemus: bene agi cum iis, qui tam graviter ægrotârunt, cùm etiamsi nondum recuperârunt pristinam firmitatem, salus tamen eorum in tuto est. Etiam prudentes Medici solent ex malè affectis corporibus vitiosos humores paulatim educere: ne, si semel universos exhaurire voluerint, quos sanare conantur, occidant. Non est verendum, ne faciliora non perficiat is, qui jam difficiliora perfecit. Idem tandem erit exitus horum tumultuum, qui fuit eorum, quos olim Albingenses D. Hludovici temporibus concitârunt. † Duodecim annos natus erat D. Hludovicus, cum ad regnum vocatus est. Carolum, aliquanto etiam minorem natu, fratris mors in regio solio collocavit. Tum Blanca Regis mater, & filium sanctissimè educabat, & propter teneram illius ætatem, ipsa Galliam administrabat. Horum munerum utroque ita Catharina perfuncta est, ut omnes nihil perfectius fieri potuisse fateantur. Tum Albigenses, puritiam Regis, occasionem suam rati, omnia in Gallia permiscere tentârunt. Albigensibus multò tetriores nostrorum temporum hæretici, eadem spe delusi, Regem regno, regnum religione spoliare studuerunt. Illi cùm sæpè victi, neque quiescere, neque ad sanitatem redire vellent, exstincti tandem delentque sunt.

Similia a Medicis.

† Comparat D. Ludovico.

sunt. Non alia hos quoque fortuna, nisi resipiscant, consequetur. † Ad errores Albigensium confutandos, & ad multorum animos eis liberandos, D. Dominici conciones & vitæ sanctitas incredibiliter profuerunt. Non minus te, Beatissime Pater, qui & in D. Dominici familia educatus es, & illum moribus refers, & singulari in nos Dei beneficio summam in terris auctoritatem obtines, Carolus Rex ad hos exitiosos errores tollendos profuturum esse confidit. † Novit enim eximiam integritatem vitæ tuæ: novit perpetuum purgandæ Ecclesiæ studium: novit labores in exstirpandis hæresibus ab ineunte ætate susceptos: novit animum nihil nisi de Deo & de utilitate publica cogitantem. Neq; nostris ignota sunt, quæ tu ad mores hominum corrigendos, & ad auferendam improbis omnem maledicendi occasionem, & jam fecisti, & quotidie facis. Refrenatas libidines, repressam & cohibitam luxuriam, expulsa nequitiæ instrumenta, sublatam penitus omnem Ecclesiasticarum rerum vendinationem, compositos, & jussu, & exemplo tuo aliorum mores, mutatam in melius urbis faciem, nos vidimus, illi audierunt. † His omnibus ex rebus Carolus Rex incredibile gaudium cepit: & ut quod facis, quam diutissime facere possis, à Deo optimo maximo votis omnibus petit. Quem animum suum ut tibi patefaceret, legavit huc clarissimum & nobilissimum virum Iustum Turnonium, Comitem Russilionis, magni illius Francisci Cardinalis Turnonij, cujus memoriam & tibi, Beatissime Pater, & vobis omnibus, Patres Amplissimi, gratam esse ac jucundam

Ad pietatis rebus orationem conversæ.

Epanaphora.

Comendatio à laude legati.

scio, fratris nepotem, hominem, ut omnia uno verbo complectar, suo genere dignissimum: cujus egregiam virtutem & sepe aliâs, & proximè in illo memorabili adversus hæreticos prælio spectatam, Rex ipse amplis & honorificis præmiis prosecutus est, cooptato eo in equites ordinis sui & quinquaginta cataphractis equitibus præesse jusso. Per eum Carolus Rex, Beatissime Pater, sibi, & toti Ecclesiæ de tuo Pontificatu gratulatur: te verum IESU CHRISTI vicarium, verum Petri successorem, non dubitanter agnoscit: tibi, & huic sanctæ Sedi verè atq; ex animo quam debet obedientiam præstat ac defert: & ut certò sperat, se, in omnibus, quæ à te præstari poterunt, à te adjutum, atque ornatum iri: ita se omnes vires suas ad Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ defensionem semper promptissimo animo collecturum, neque hac in re cuiquam mortalium concessurum pollicetur

DIXI.

Pro

Pro Sigismundo Augusto Rege Poloniæ ad Pium V. Pont. Max.

ORATIO. XIV.

HABITA ROMÆ XIIX. KALEND. Febr. anno cIↃ. IↃ. LXVII.

QVANTO opere gavisus sit universus orbis Christianus, posteaquam auditum est, summum honorem, jampridem summis virtutibus tuis debitum, tandem aliquando tibi divinitus delatum esse, PIE Quinte Pontifex maxime, vel ex hoc intelligi potest, quod concepti ex ea regaudij vis non vicinarum se regionum, ac provinciarum finibus continuit, sed solis instar, omnia, simul ut exortus est sua luce complentis, ad remotissimas gentes, & posita in ipsis Christiana ditionis finibus regna, admirabili celeritate penetravit. Neque verò ei contigit, quod ventis solet, qui cum unde oriuntur, ibi vehementissimi sint, ad longinqua fracti ferè, debilitatique perveniunt; sed quod ingentibus, vastisque fluminibus: quæ cum, ab ortu ipso magna sint, perpetuo tamen aucta, & tumefacta progressu, eò majores undas volvunt, eò amplioribus, ac capacioribus feruntur alveis, quò à fontibus ac capitibus suis longiùs recesserunt. Vt cùm aliis permultis nominibus beatissimum te omnium mortalium prædicare liceat, tùm hoc non minimũ sit,

quod ex honore tibi habito, & ad illos, qui eum tibi decreverunt, immortalis gloria, & ad omnes bonos, qui eum tibi delatum audierunt, incredibilis lætitia redundarit. Ac cæteri quidem viciniores principes, ac populi quanta omnes animorum alacritate recentem Pontificatus tui nuncium acceperint, ex legatis, quos ad te, gratulandi causa, suo quisque tempore miserunt, cognoscere potuisti, hodierno autem die intelliges, etiam in illis regionibus, quibus Christianorum imperium terminatur, quanto gaudio pij omnes exsultaverint, quas inter se gratulationes fecerint, quanto consensu meliora & prosperiora omnia sperare cœperint, cùm, quò jam pridem sanctitatis tuæ fama pervenerat, eodem te in istam celsissimam dignitatis, atque honoris sedem adscendisse, perlatum est. Potentissimus enim, idemque religiosissimus Princeps, Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, quàm jucundus & exoptatus sibi suisque populis ejus rei nuncius occiderit, testari cupiens, ea de causa legavit hunc illustrem virum Petrum Barzium, Senatorem Regni, ex quo hæc omnia nunc minùs certo cognoscere, quàm si Regis ipsius nostri modò intueri, & sermonem audire, verùm etiam penitus perspicere intimos sensus animi posses. Is cùm mihi mandaverit, ut hodie apud te, in hoc dignitatis majestatisque plenissimo cœtu, & de regni antiquitate, atque amplitudine, & de rebus, quas multis ab hinc seculis, Polonorum Reges ad Christiani imperij fines tùm tuendos, tùm propagandos, sine ulla propemodum intermissione gesserunt, &

Propositio et partitio.

de

de ipsius Sigismundi Augusti Regis pietate, animi magnitudine, fortitudine ac constantia, deq; quotidianis pro Christiana Republica laboribus ac periculis dicerem: † quaeso obtestorque te, Beatissime Pater, tribue mihi hoc beneficium, ut, dum haec summatim persequor, orationis meae cursus aura lenitatis ac facilitatis tuae adjuvetur † Maximas res, memoratuque ac cognitu dignissimas afferam, & quanquam notas atque illustres, tum suopte splendore ac magnitudine, tum propter regiae fortunae sublimitatem, quae magnorum & potentum Regum actiones obscuras esse non patitur: tamen eò minus pervulgatas, quod Polonorum gens semper in praeclaris rebus gerendis, quàm in iis, quae gessisset, memoriae prodendis, occupatior fuit: semperq; majorum suorum virtutem imitari, quàm celebrare, glorioſius duxit. † Atque ut, unde proposui, exordiar, & Poloniae Res quàm longè lateq; dominetur, expediam: tota illa Germaniae pars orienti soli propior, quae est inter fluvios Guttalum, quem hodie Odram vocant, & Vistulam qui antiquis temporibus Germaniam à Sarmatia dividebat, & Sarmatiae quantum est à Vistula ad Borysthenem, & à ponto Euxino usque ad sinum Venedicum, inter quos plus mille Italica passuum millia interjecta sunt, illius imperio continetur. † Regio prope tota aequa & plana, multis magnisq; fluminibus & ad fertilitatem & ad mercaturas, commodissimis irrigua, rebus ad vitam necessariis usque ad abundantiam dives. † Habitatorum autem ea multitudo, ut, cùm equitatus regius ex solis nobilibus

Benevolentia et attentio.

à rerum magnitudine.

Laus et Polonorum magnitudine.

à fertilitate &c

ad incolas

bilibus constet, centum quadraginta equitum millia armare, & in aciem secum, si res ferat, educere Rex Poloniæ possit. † Homines natura fortes & animosi, quique non facilè aut voluptatibus molliantur, aut periculis terreantur. Mortem per decus obitam immortalitatis instar; vitam per dedecus retentam, quavis morte pejorem putant. Ignominiam, ut fugiant, nihil non fecerint; ut mortem, nihil. Hæc hominum, hæc locorum ingenia. Cinguntur autem omni propemodum ex parte ferocissimis gentibus, & partim ab Ecclesiæ communione dissociatis ac diremptis, partim apertis & capitalibus, Christiani nominis hostibus, ut in illo confinio, tanquam in communi quadam arce ac propugnaculo, fortissimi viri ad sustinendam & propulsandam barbarorum immanitatem, & ad agendas perpetuas pro Christianis omnibus excubias divino consilio constituti ac collocati esse videantur: quò essent cæteri Polonorum virtute tecti, Polonorum laboribus quieti, Polonorum periculis tuti. Neque mihi videor quidquam à suscepto munere facturus alienum, si breviter exposuero, quemadmodum illos Deus, ante sexcentos ab hinc annos, discussis errorum, quibus involuti erant, tenebris, ad Evangelij lucem perduxerit. † Quod dum facere ingredior, adeste quæso animis, quicunque corporibus adestis, & in re maximi momenti divinæ bonitatis ac sapientiæ magnitudinem considerate. Omnes ferè magnæ & memorabiles in rebus humanis mutationes aliquanto antea aut uno, aut pluribus illustribus ac notabilibus

signis

signis divinitus portendi ac præsignificari solent.
† Cùm igitur tempus illud appropinquaret, quo se Deus Polonis patefacere, eosque impia superstitione purgatos cœlesti doctrina imbuere statuerat: adventantis jam, & instantis salutaris illius mutationis hanc, quam mox audietis, significationem dedit. Imperabat Polonis Ziemomistus Lesci filius, Princeps (quatenus hæc convenire in hominem non Christianum queunt) & justitiæ, & clementiæ, & beneficentiæ, & aliarum virtutum laude cumulatus: & in quo nihil præter Christi cognitionem desiderares. † Huic, cùm multos annos sine liberis esset, graviterque ea re angeretur, tandem natus est filius, sed oculis captus: ita ut non facilè dijudicari posset, majorémne dolorem percepisset ex orbitate, an perciperet ex unici filij cœcitate. Omnia remedia, omnes medicorum conatus mali pertinacia elusit. Iam ad septimum annum pervenerat puer, eique patrio quodam ritu primam comam tonderi, nomenque imponi oportebat: † cùm præter omnium spem subitò oculis uti cœpit. Incredibili lætitia perfusus pater convocatos ad se hariolos consulit, quid ex tam admirabili successu filio suo, quid toti Poloniæ portenderetur. Respondent, eo imperante, Poloniam mirabiliter illustratum iri. Ex ea spe atque omine puero nomen inditum Miecislao, quod gentis lingua significabat eum, qui sibi gloriam gladio pariturus esset. Nullo enim alio modo illustrari posse Poloniam, quàm bello, & armis cogitabant. † Iam adoleverat Miecislaus: jam ad virilem ætatem pervenerat: jam

Ziemomistus quando Polon. Da fidem cùm. & converst.

Nascitur Regi filius cæcus.

Poloni 7 ann. ætatis nomen imponunt filio.

Visum recipit.

Regnat loco Patris.

mortuo patre rerum potiebatur: & cæteris quidem virtutibus patri non absimilis, nihil cæteroqui bello egregium aut memorabile gerebat: ita ut tota Polonia, & se credulitatis, & vanitatis vatum suorum responsa damnaret. Sed majus quiddam, quam quod illi suspicati erant, parabat Deus. Miecislaus, ductis barbarico more septem uxoribus, nullos tamen ex ulla earum liberos procreare poterat. Interea fundente se, ac spargente quotidie latius Christiana religione, pervenerant & in Poloniam sancti quidam viri, qui aut solitariæ vitæ, ut quietioris, & ad res divinas sine ullo impedimento contemplandas aptioris, studio ducti, aut periculorum metu, in abditis & remotis sylvarum recessibus delitescentes, Christo, ut poterant, serviebant. Horum quibusdam in animum immittit Deus, ut ad Principem adeant, eique polliceantur & liberos, & alia multò majora, si, repudiato falsorum numinum cultu, Christum verum Deum agnoscere, & traditam ab eo doctrinam suscipere vellet. Ipse quoque divini spiritus repentino tactus afflatu, promptum se, ac facilem salutaribus illorum monitis præbuit. Neque longius res ducta est, quàm dum prima ac præcipua religionis nostræ capita edoceretur. † Quæ ut percepit, magna pompa, ac celebritate publicè baptizatus, brevi tempore totam Poloniam ad Christianam pietatem & exemplo suo incitavit, & cohortationibus ac præmiis allexit: & minis ac suppliciis adversus pervicaces propositis perpulit. † Tum demum cognitum est, quod Miecislaus totus septem annos cœcus fuisse

fuisset, significatam esse hoc modo diuturnam Polonæ gentis cœcitatem: quod, omnibus humanis auxiliis frustrà tentatis, tandem divino beneficio lucem aspexisset, fore ut populi quoque cœcitas nulla humana ope sanabilis divinitus depelleretur. Neque vana fuit hariolorum prædictio: Eo enim rerum potiente, Polonia splendore divini luminis illustrata est. Notum est autem, interdum fieri, ut etiam superstitiosi, & impii homines, Deo permittente, vera vaticinentur. Neque temerè inditum nomen. Gladio enim sibi & suis gloriam peperit, non quidem ferreo, aut ulla ex alia materia confecto, sed gladio illo utrinque acuto gladio spiritus, quod, ut ait Paulus, est verbum Dei. † Ut autem ab ea Ecclesia, quæ cæterarum omnium mater ac magistra est, Christianè vivendi leges acciperent, & ex eo fonte hauirent, unde nihil non purum & incorruptum hauriri potest, legatos miserunt ad Ioannem Pontificem ejus nominis tertium decimum, per quos & eum, ut communem totius Ecclesiæ pastorem, venerarentur, & ab eo sibi peterent Episcopos mitti, à quibus regi, & quæ sibi credenda, quæque facienda essent, cognoscere accuratiùs possent. Misit ille Italorum hominum spectatæ probitatis & eruditionis idoneum numerum: † qui primi novellas illas ac teneras nuper in horto CHRISTI depactas ac consitas plantas, copiosis sanctorum præceptorum imbribus irrigârunt. † Hujus Miecislai soror Adleida cum Geisæ Vngarorum Principi nupta esset, cohortationibus suis perfecit, ut ipse quoq; cùm tota Vngaria Christi

Reginaldo Ord. Præd. Pœnitentiario.

Metaphora.

Vngaria Christi fuit ampleta-tur.

Sacramento adigeretur. Neque verò ejus filius Boleslaus primus Poloniæ Rex, aut majoribus suis laude bellica, aut patri propagandæ religionis studio cessit. Qui suscepto adversus Saxonas bello, & ea, quæ illi dudum Polonis ademerant, recuperavit, & cùm universam illam oram ad Albim & Salam fluvios, & Chersonesum Cimbricam, quæ hodie Dania vocatur, sub imperium suum subjunxisset, ut ostenderet, eam se victoriam Christo quæsisse, non sibi, nihil in victos acerbè, aut crudeliter statuit: sed cùm eos ad accipiendum Christi doctrinam compulisset, fixis memoriæ causa in Salæ ripa tribus ferreis columnis, in Poloniam se recepit. Nunquid igitur ea laude contentus, otio se postea tradidit? Imò verò declaravit, nunquam desidem atque ignavam esse virtutem: nullas ei esse à præclaris actionibus ferias: fortes & constantes viros honestorum laborum, ac munerum perfunctione, non ad quietem invitari, sed ad alia ex aliis assiduè suscipienda incitari. Nam cùm Prussi aliquot antè annis divum ADALBERTUM interfecissent: ejusque corpus quidem ipse æquo auri pondere à barbaris redemisset, (mirum hoc quoque pietatis argumentum: sed in tanta temporis angustia multa necessariò prætermittenda sunt) cædis autem ultionem in aliud tempus distulisset: tum demum ratus adveniſse tempus illud, cùm & puniendæ eorum audacia, & armis frangenda pertinacia esset, bellum eis intulit, neque magno negotio victor non aliam eis pœnam imposuit, quàm ut erroribus suis depositis CHRISTO initiarentur.

H.e

†Hîc mihi, Beatissime Pater, venit in mentem, quod olim à quodam Græco Imperatore dictum est, qui à suis in exilium pulsus, cùm apud hostes, ad quos confugerat, multò lautius ac magnificentius haberetur, quàm apud suos; Perieramus, inquit, nisi periissemus. Ita enim & qui ab illo principe vincebantur, dicere poterant, se, nisi ab eo victi essent, perituros fuisse. †Quid ego jam, ut Pomerani à Boleslao tertio, Prussi à Boleslao quarto ad Christum, à quo defecerant, revocati sint, persequar? Rerum me copia, Beatissime Pater, inopem consilij reddit. †Quod si in me ulla dicendi vis ac facultas esset, optarem equidem aliquam mihi non tam uberem ac copiosam ad dicendum materiam dari: ut in singulis ejus partibus accuratè percensendis, copiosè exornandis, artificiosè exaggerandis, jactare atque ostentare me possem. Nunc enim, ut pictor, cui in exigua tabella †Simile ingens aliqua multitudo hominum exprimenda est, nonnullorum vultus tantùm atque ora, multorum summa modò capita ostendit, totum reliquum corpus abscondit, ita me, cui innumerabilia Polonorum regum ac populorum æternis dignissima laudibus facta, in angustum unius brevissimè orationis curriculum concludenda sunt, multa, quæ si pandi explicarique possent, quasique spectanda proponi, incredibilium admirationem excitarent sui, delibare modò, & attingere, multa etiam significare potius, quàm ostendere, necesse est. †Ideoque ne de bello quidem, quod Boleslaus Quintus cognomento Pudicus adversus Iazigas, qui hodie partim Valachi, partim Ungari

à simili.

præteritis.

Boleslaus quintus.

gari sunt, gessit, copiosius dicam: tantum quasi praeteriens admonebo, eum, cum gentem illam ferocissimam devicisset, illos omnes, quorum virtuti ut ait vetus poëta, fortuna belli pepercerat, quasi opima quaedam spolia Christo consecrâsse, neque aliud eis, quàm ut Christiani fierent: imperâsse. Ad Iagellonem enim Sigismundi Augusti proavum festinat animus, cujus admirabili inusitatae virtuti minam par à me adferri posset orationis genus. Sed ita prorsus existimo: omnes qui ubique sunt eloquentissimos homines, si communi studio ad eum celebrandum quidquid habent in dicendo virium conferant, omnia tamen illius dignitate inferiora dicturos. † Id ita se habere eos, qui me attentè audire non gravabuntur, facilè cognituros esse confido. † Lituania, Beatissime Pater, amplissima, & fortium virorum feracissima regio, caeteris finitimis populis ad religionem Christianam adductis, in veteri superstitione perstabat. Colebant autem ejus provinciae homines ignem pro Deo, ei aras, ei templa ponebant, eum summa diligentia in celeberrimis quibusque oppidis perpetuum asservabant. Fulmini quoque divinitatem quandam inesse credebant, idque sua lingua Deum Perkunum nominabant. Sed & lucos & selectas quasdam in sylvis eximiae proceritatis arbores venerabantur ut Deos. Viperis quoque & aliis serpentibus eundem tribuebant honorem. Quicquid horum violâsset, inexpiabile ab eo scelus conceptum putabant. Cùm hoc per se miserabile erat, talem tantamque provinciam tanto tempore in tanta erro-

Res magnas
† Attentè
† Lituania.
1. Ignem.
2. Fulmina
3. Lucos
4. Arbores
5. Serpentes.

errorum fœditate versari, tum illud accedebat incommodi, quòd gens bellicosa, & ferox finitimos sibi Christianos quotidianis incursionibus lacessens, nunquam quiescere patiebatur. Ei genti annos ab hinc amplius ducentos viginti imperabat Iagello, idemque præterea & Samogitiam & magnam Russiæ partem obtinebat, fortis & strenuus Princeps, & quanquam religionis nostræ mysteriis nondum initiatus, tamen, ut qui Christiana matre genitus esset, animo ab ea non prorsus alieno. Cùm igitur per id tempus mortuo Ludovico Vngariæ & Poloniæ rege: regni proceres de Hedvigi ejus filia, ad quam regnum delatum erat, in matrimonium collocanda deliberarent, fecce ab Iagellone legati, qui renunciarent, eum cum omnibus suis velle Christianum fieri, petere, ut sibi Hedvigis uxor daretur: hoc si fieret, paratum esse omnes ditionis suæ provincias cum Poloniæ regno ea lege conjungere, ut nunquam divellerentur. Quam lubentibus animis Poloniæ proceres eam legationem audierint, nihil opus est dicere. Sustulerunt manus ad cœlum, & gratias egerunt omnium bonorum auctori Deo, qui tandem illorum populorum misertus, eam mentem immisisset Iagellonì. Ipsa tamen Hedvigis, in qua eximiam formæ pulchritudinem singularis modestia æquabat, nihil de matrimonio suo sine matris auctoritate statuere voluit: totamque rem ad illius voluntatem rejecit. Missi ad eam oratores in Vngariam, quò se mortuo viro contulerat, quibus illa responsum dedit pietatis & prudentiæ plenum. Longè à se abesse eam meu-

Quomodo Ditionem ad fidem con versi.

mentem, ut quidquam impedire vellet, quod & ad amplificandum regnum Poloniæ, & ad religionem latiùs spargendam pertineret. Cogitarent Poloni, & in commune consulerent, neque maturè deliberata id facerent, quod & DEO acceptissimum, & regno utilissimum putarent fore. De procerum igitur sententia, constituto ad nuptias celebrandas die, Cracoviam magno septus comitatu venit Iagello: & quia fortassis à matre puer acceperat, sanctos illos Reges, quorum memoriam nuper Ecclesia recolebat, ad adorandum Christum recens natum non sine muneribus venisse, ne ipse quidem immunis ad Christum venire voluit, eique pro munere non thus, non aurum, non myrrham, sed fratres suos, quos secum baptizari voluit, sed Lituaniam, sed Samogitiam, sed Russiam, sed omnes uno verbo quos in potestate habebat, populos obtulit. † Quàm jucundum illud non hominibus modò, sed angelis ipsis fuisse spectaculum credimus, eùm vir fortissimus ad sacros fontes incredibili alacritate properaret: cùm se in vas ad eam rem præparatum cupidissimè immergeret, cum magna & clara voce Deum & homines testaretur, ut in se aqua illa spargeretur, ita se pro Christo sanguinem suum, ubi res ferret, spargurum esse. Baptizatus igitur & novo nomine Vladislaus Iagello dictus, postridie Idus Februarias, eodem die reginam in matrimonium duxit, neq; multò post consecratus & inunctus, ac coronatus Rex Poloniæ, totum eum annum in pacando regno consumpsit. Eo autem anno, qui proxime secutus est, cùm ei nihil lon-

longius videretur, quàm dum populos suos in Christianorum numerum aggregatos videret, comitatus uxore & multis principibus viris, multis item Episcopis ac sacerdotibus in Lituaniam profectus, quàm multis, quàm certis, quàm inusitatis documentis pietatis suæ magnitudinem testatus est? Nam cùm populum ægrè ab inveterata superstitione avelli videret, ipse omnibus inspectantibus, manu sua illis, quas aliquando coluerat, arboribus magna vi secures impingens, easque ab radicibus deturbans, tum ingentem vim aquæ profundens in illos tamdiu adoratos ignes; Non est, clamabat, non est Deus, quod exscindi ac deiici, non quod exstingui potest. O mirificos Deos, quorum alter alteri pro pabulo est, alter alterum absumit. In venenatis autem & mortiferis animalibus, quæ potest esse divinitatis similitudo? Agnoscite, agnoscite miseri errorem vestrum, & resipiscite, & tandem aliquando mentis oculos ad Deum omnium rerum effectorem convertite; ne dum æternum (ut falsò putatis) ignem colitis, in alium ignem verè æternum incidatis. Simul hæc, simul eis religionis nostræ principia, ut poterat, edisserebat, ut eodem tempore & vetus ille ignis pro Deo habitus, exstingueretur, & novus ignis divini amoris in eorum pectoribus accenderetur. Cumque neque sacerdotes, quos secum adduxerat, Lituanicam linguam, neque Lituani ullam aliam intelligerent, ipsemet eos summam fidei nostræ ab Apostolis traditam, quam symbolum vocamus, ipse formulam precandi à CHRISTO IESU institutam, ipse cæteraque

quæ discere solent ij, quos Catechumenos vocamus, in Lituanicum sermonem convertens, neque ullum in ea re laborem subterfugiens, docebat. † O regem rari & singularis exempli. O ardorem animi commemorabilem. O pietatem omnibus seculis prædicandam. Ita igitur inflammavit Lituanorum animos, ut ad danda Christo nomina, & ad sacrosanctam illam aquæ aspersionem simul omnes facto agmine concurrerent, neq; longiorem moram pati non posse clamarent. Ideóque solis nobilibus singulatim baptizatis, cætera multitudo idem sacramentum catervatim distributa suscepit. † Quid ego nunc exstructarum ab eo sacrarum ædium multitudinem, quid divitiarum Ecclesiastici ordinis hominibus attributarum magnitudinem exponam? Quid susceptos in Samogitia ad Christum traducenda labores, & obita eadem illa munera, quæ in Lituania obierat? Illud verò minime prætereundum est, quod ne regnandi quidem suavitas, maxima illecebra pectendi, quæ sæpenumerò multos adversus alia omnia satis firmos abstulit, ullam vim habuit, ad Vuladislai fidem ac constantiam labefactandam. Nam cùm Bohemi, quorum animis, paulò ante Ioannes Huss & Hieronymus Tragensis pestiferum opinionum suarum virus afflaverant, mortuo Vencislao rege suo, legatos ad eum misissent, per quos ei regnum deferebant, multisque precibus obsecrabant, ut id aut ipse, aut Vitoudus frater ipsius patruelis susciperet, maximo utrumque animo eorum preces repudiavit, addita illa nobili, & nunquam satis celebrata voce:

Re-

Religionem sibi esse, hæreticis imperare. † Non patitur temporis brevitas, ut aut plura de hoc dicam, aut de ejus filio VVladislao tertio Poloniæ & Ungariæ Rege, qui, ut Pontificis maximi auctoritati pareret, cum Turcis, quos diu vexaverat, multisq; prœliis fuderat, fregerat, afflixerat, redintegrato adversus pactas cum eis indutias bello, tum quoq; magna eorum edita strage, in ipsa tandem acie fortissimè dimicans interfectus est. Eademq; me causa cogit, tum alios aliquot reges silentio involuere, tum in Sigismundo primo Sigismundi Augusti patre laudando esse breviorem. Cujus pietatem quidem ac religionem magnificentissima templa partim instaurata, & refecta, partim ditata, partim etiam à fundamentis excitata, & perpetuum prohibendarum à regno suo novarum opinionum studium; bellicam verò fortitudinem tam multæ, tamq; memorabiles de Moscis, Valachis, de Tartaris, de Turcis victoriæ, & (ut cætera taceam) octoginta Tartarorum millia uno ad Borysthenem prœlio profligata testantur. Qui cum octoginta duos vixisset annos, carus suis, metuendus hostibus, virisq; venerandus, satur vitæ, satur gloriæ, moriens, Sigismundum Augustum non regni magis quàm virtutum suarum hæredem reliquit. Hic si præsens adesset, Beatissime Pater, sanctissimos pedes tuos deosculatus, hac ad te oratione uteretur: † Magno gaudio affectus sum, Pater sanctissime, cùm te ad Ecclesiæ gubernacula admotum, & in isto celsissimo inter mortales solio collocatum esse cognovi, Qualem enim jam dudum certa & constanti

stanti fama esse te acceperam, tali gubernatore navim Ecclesiæ in his turbulentissimis tempestatibus egere intelligebam. Quem in locum Christiana Respublica deducta sit, etsi dubitandum non est, quin tu ex ista edita ac præcelsa specula optimè videas; nos tamen qui ab hostibus undique circumsessi sumus, certè propius intuemur. Et ab hoste immanissimo ac potentissimo invadimur, & domesticis seditionibus laboramus. Neq; ulla res majores ei animos facit, quàm quòd intelligit graviori, & implacabiliori odio Christianos à Christianis, quàm Christianos à Turcis dissidere. Ita qui conjuncti ac conspirantes terrori essemus, divisi ac dissentientes ludibrio & despectui sumus. Iamq; mali vis, invitissimis, & nequaquam renitentibus nobis, non obscurè per partes undique adhuc integras serpit. Et alia hoc regna nuper magno bonorum omnium mœrore senserunt, & nos, quanquam omnia prohibendi causa facimus, pervincere tamen non possumus, ut nihil populis nostris vicinitate ac contagione noceatur. Hem, nunquámne his tot, tam gravibus, tam diuturnis calamitatibus remedium aliquod reperietur? At tu, Beatissime Pater, cuius & apud Deum preces propter sanctitatem, & apud homines jussa, propter auctoritatem plurimum valent, per illam qua genus humanum complecteris charitatem, per illam curam quam Christianis omnibus & debes & præstas, per illum ipsum, cuius in terris vice fungeris, IESUM CHRISTUM, succurre ac subveni communibus malis, & omnes cogitationes, omnia consilia, omnem auctoritatem ac poten-

Deprecatio

rentiam tuam confer ad Christianos populos & purgandos ab erroribus, & firmâ ac stabili concordia inter se devinciendos. Quod igitur rex ipse per se facere propter locorum distantiam non potest, id per hunc clarissimum virum oratorem ad te suum facit: per eum tibi gratulatur, per eum ad te omnes vires ac copias suas defert: per eum tibi & huic sanctæ Sedi obedientiam præstat, quamq; laudem à majoribus suis hæreditariam accepit excubandi assiduè pro Christianis, & quicunque hostes Christi atque Ecclesiæ fuerint, eosdem habendi pro suis, eam se diligentissimè, ut semper fecit, conservaturum, neque unquam ab eorum virtute degeneraturum esse promittit. Tibi autem, Beatissime Pater, cum omnia fausta & prospera precatur, tum quo faciliùs ea quæ à te exspectantur perficere possis, illud à Deo votis omnibus petit, ut publico Ecclesiæ bono non minus diu Pontifex vivas, quàm te Pontificatu dignum vixisse, omnes, qui verè & incorrupte judicant, confitentur.

DIXI.

De toto studiorum suorum cursu, deq; Eloquentia ac cæteris disciplinis cum Jurisprudentia conjungendis.

ORATIO XV.

HABITA ROMÆ ANNO cIↃ. IↃ. LXVII.

Dritum ab omni ratione quæ artis potorant ad Oratorem obtinendum dicendum

NOn eram nescius, cùm hanc Pandectarum interpretandarum provinciam susciperem, fore, ut multis sermonem darem: quibus mirum ac novum videretur, me, qui tot annos in hoc docendi munere ita consumpsissem, ut eòs modò libros attingerem, qui, aut ad eloquentiam, aut ad Philosophiam pertinerent, mutata subitò voluntate, ad tractationem juris civilis tam longo intervallo redire: à quo me plenque jampridem animum omninò avocâsse, & ad meliora studia, tanquam ad Sirenum scopulos, adhæsisse, aut quasi loti cujusdam Homerica, ita illorum dulcedine, ac suavitate captum, hujus jam ne per somnum quidem meminisse arbitrarentur. Quibus ut satisfaciam, simulq; vobis omnibus hujus consilii atque instituti mei rationem reddam: etsi non libenter facio, ut de me loquar, tamen antequam progrediar longius, pauca quædam de toto studiorum meorum cursu breviter commemorare constitui; quæ si audi-

Homer. Odyss. 9. Virgil. loco citato. Ovid. de Ponto lib. 2. Epist. 7. Lucret. lib. 3. Propertius.

audire ac cognoscere grave non erit, spero fore, ut gravissimi quidem & eruditissimi homines, quos hîc adesse video, factum meum non improbent: vos autem optimi & studiosissimi adolescentes, etiam fructum aliquem ex hac narratione capiatis. Cùm enim, quæ præcipuè res progressus meos retardaverit, méque decurso jam spatio à calce ad carceres, ut dicitur, revocaverit, cognoscetis: forsitan, exemplo meo edocti, melius ipsi vestris rationibus consuletis. Ego igitur, ut primùm puer Grammaticorum & Rhetorum præceptis usus sum utcumque imbutus esse, leviter gustatis dialecticæ principiis; cæteris autem Philosophiæ partibus ne à limine quidem salutatis, nulla Græcæ linguæ intelligentia, nullo rerum usu, nulla antiquitatis cognitione instructus, admodum ad jus civile appuli; & iis doctoribus, qui tum illis in locis optimi putabantur, annos aliquot operam dedi. Jamq; eò processeram, ut, quæ tum præcipuæ laudes habebantur, & in argumentando satis acutus & in respondendo nõ incautius, & quacunq; de re ageretur, abundè loquax essem: & quod multis palmariũ videbatur, multarum legum non intellectarum principia uno spiritu citare, multorum interpretum nomina recensere, multos versus, multas paginas, multas columnas, porticus etiam, ut opinor, peristylia & intercolumnia, nullo negotio, numerare quamlibet multa possem. Cùm ipse me eo nomine circumspiciebam, meq́ue pulchrum, ac beatum putabam, tum uno ore omnes, ut ait comicus, omnia bona dicere, & laudare fortunas meas qui tan-

ula ætate tantum mihi, ut ipsi putabant, sapientiæ; ut res ipsa docuit, stultitiæ & inanium supellectilem, comparâssem. † Iam omnes me mei foro & cancellis & subsellis destinabant: magnamq; in spem venerant fabulam me aliquem non in postremis fore, confidentem, acrem, contentiosum; præsertim, cùm & natura essem firmis lateribus, & voce magna, & (quod caput est) illi me quos dixi magistri, si non multum sapere; at certè, quod apud eos pro eodem erat, multum audere, multumque clamare docuissent. Quid verbis opus est? Imbibjam erat, ut illud vitæ genus ingrederer, cùm Deus (Deus enim fuit: neque hoc mihi ex animo excuti potest) Deus igitur effecit † ut quædam Budæi & Alciati & aliorum eiusdem notæ hominum scripta, quæ nunquam ante illud tempus adspexeram, in manus meas venirent. Quæ cùm evolvere cœpissem, passimque in eis multa reperirem, quæ de magistris meis nunquam audissem: multas sententias, quas illi me ratas ac firmas esse docuissent, gravissimis argumentis convulsas ac labefactatas, multa ex Græcis scriptoribus deprompta, multa ex antiquitate repetita, quibus in omnibus mihi tenebræ essent: nolite quærere, quid mihi animi fuerit. Visus mihi sum de cœlo decidisse: Aut in alium quendam orbem delatus esse: † neque aliter affectus sum, quàm egeni & inopes homines interdum solent, qui cum totam noctem somniârunt se divites repentè factos esse, ubi diu gemmas, aurum, purpuram dormientes contrectârunt, experrecti, omnia domi suæ obventa telis aranea-

Metonymia.

Budæi et Alciati scripta nonnulla vidit.

NB. Simile.

nearum vident. Quid facerem? ego ille paulò antè turnidus & ferox, cùm mihi de repente vultus, animus, verba cecidissent: jamque suffusus pudore, verecundarer inter eos versari, qui de me ita magnificè senserant: †subduxi me clanculum ex illis, in quibus diu mercueram, castris, & in Graciam navigavi: id est †ad Græcarum literarum & disciplinarum magistros me contuli: eademque opera perlustravi etiam vetus illud Latium: id est, omnes ad unum veteres lingua Latinæ scriptores diligenter & accuratè pervolutavi, sedulò undecunque omnia colligens, quibus mihi juriprudentia instructior, & ornatior fieri posse videretur. Atque in hac peregrinatione, tum in Lycæi ambulationibus, tum in Academiæ spatiis, sæpe me exercui: neque aut illius è Gargetio delicati atque otiosi senis hortos invisos prætereii, quanquam venenorum quàm salubrium herbarum feraciores, neque disiectas veteris illius Pœciles, non tam Polygnoti manu, quàm Zenonis ingenio nobilitatæ, reliquias neglexi: †Et ut magnum voluptatem capiunt, qui ad magnorum ac nobilium fluminum, Euphratis puta, aut Nili, fontes ac capita ipsa venerunt: juvit me incredibiliter, cùm apud illos sapientissimos senes cernerem, quibus ex fontibus manâssent amplissima illa juris civilis flumina, per quæ toto orbe sparsa atque diffusa, tam multi assiduè summo homines ingenio navigarent. Interea †ut paterfamilias, qui mercaturæ caussa in longinquas terrarum oras profectus, dulcem eximiéque animo caram domi uxorem reliquit, sæpe de ea cogitans,

si cubi aut gemmam aliquam, aut scitè tornatum annulum, aut monile baccatum, aut segmentatam, vestem, aut talia mundi muliebris ornamenta conspexit: studiosè omnia comparat ac seponit, quibus eam domum reversus, muneretur: sic me per omne scriptorum genus vagantem nunquam ea cura ac cogitatio deserebat, ecquid decerpere ac delibare ex eorum unoquoque possem, quod cùm ad jurisprudentiam reverterer, ad eam expoliendam & exornandam accommodatum esset. Sciebam enim quàm turpe haberetur, & diu manere, & inanem redire. Quod autem Homerus ait; Ulixem in illo diuturno errore crebrò spectare solitum Ithacam versus: itidem ego ad jurisprudentiam identidem reflectebam oculos: & ab ea tam diu abesse me, vix satis æquo animo ferebam. Quin etiam, ne me amœniores illæ disciplinæ usu quodammodo suum facerent, multa sæpenumero faciebam usucapionis interrumpendæ gratia: quod & mea qualiacunque scripta declarant, crebris jurisconsultorum adsperſa sententiis, & quotidianæ disputationes, quibus, quoties erat occasio, aliquid ex hac disciplina petitum intexebatur, non obscurè indicabant. †Nunc, cùm mihi videar non ea quidem omnia, quæ animo conceperam, perfeciſſe, sed usque eò tamen progressus esse, ut iis, qui juris civilis cognitionem ex ipsis fontibus haurire cupiunt, opis aliquid adferre possim: putavi tempus jam ipsum postulare, ut prodirem, & navare in hoc genere studiorum operæ, specimen aliquod darem. Cur autem Pandectas potissimùm extra ordi-

ordinem interpretari voluerim, causa hæc fuit. Videbam eruditissimos in schola viros, quibus docendi juris munus mandatum est, ita se in eo gerere, ut, ipsa si loqui posset jurisprudentia, non certius, aut copiosius, aut majori cum dignitate videatur explicatura sensus suos, quàm ab illis quotidie explicantur. Omnia ex eorum ore prosiliunt, quæ in hac arte, aut cogitari prudenter, aut disputari acutè, aut certò definiri astatui possunt. Itaque cùm in omnibus hæc beam quod admirer, in nullo habeo quod desiderem. Sed illi tamen, quod dignitati suæ, eique, quam meritissimò obtinent, auctoritati consentaneum sit, intelligent.s, perpetuò in gravium & arduarum quæstionum tractatione versantur: exquisitam singularum vocum explicationem, ut humile quiddam, neque satis dignum, in quo tempus conterant, aut prætermittunt, aut modicè attingunt. Planeque si ad eos audiendos ij tantùm accederent, quos oporteret, id est, qui prius in Grammaticorum, Rhetorum, Philosophorum scholis diu multumque exercitati essent: nihil amplius, quàm quod ipsi cumulatissimè præstant, requireretur. Nunc, quod ego me principiò fecisse dixi, ut ad jus audiendum aliarum omnium artium rudis accederem, in eo vereor ne etiam hodie à plerisque peccetur. Cogitavi igitur, si pro mea virili parte huic incommodo mederi studerem, neque invidiosum id mihi, neque inutile aliis fore. †Nam neque invidiam habet ullam, quod ab aliis neglectum jaceat, id sumere: & in exercitu non tantùm imperatorum & tribunorum ac centurionum,

Sed & aregariorum militum, & calonum quoque ac lixarum aliquis usus est. Neque si gubernatorum in navi regenda præcipuum est munus, non ii quoque utiles sunt, quorum in sentina exhaurienda omnis consumitur labor. Quanquam si id quod res est fateri, si recta & vera speciosis, ac fucatis anteponere, si quanti res quæque sit, non quanti vulgo fiat, spectare volumus: multò plus est in hac pura & simplici verborum explicatione momenti, quàm plerique fortasse suspicarentur. Nam cùm verba, ut ait Aristoteles, sint, eorum, quæ animo concepimus, notæ: fieri nullo modo potest, ut, qui vim verborum non percipit, eam sententiam, quæ illis verbis expressa est, assequatur. Itaque & idem Aristoteles alibi ait, eos, qui, quid quoque verbo propriè indicetur, non satis intelligunt, in rebus judicandis sæpe numerò falli: & apud Platonem Cratylus ex verborum intelligentia cognitionem rerum pendere dicit. Et quis tandem est, qui nesciat, patrum avorumque nostrorum memoria, cùm perversa quædam ac pestifera opinio invaluisset, nihil cultum orationis, nihil historiæ veteris notitiam, ad eos, qui graves ac serias disciplinas tractarent, pertinere; Græcas verò literas etiam impedimento esse, quanta & quàm densa caligo universum prope terrarum orbem obtexerit? quantáque verborum neglectum, rerum ignorantia consecuta sit? Sed quid necesse est huic rei aliunde exempla petere? Illi ipsi, quorum libros quotidie terimus, veteres jurisconsulti in explicandis legibus, senatusconsultis, edictis prætorum aut ædilium, constitutionibus, decretis,

pretis, epistolis principum, quam, quæso viam rationemq; tenuerunt? Nempe in patefaciendâ singularum vocum vi ac proprietate tã multi tamq; assidui sunt, ut magnam industriæ suæ partem in eo consumere videantur. Quod prolatis ac productis ipsorum locis probarem, si quàm facile, tam necessarium esset. Antistium Labeonem jurisconsultum nobilissimum cùm alicubi valde commendasset Gellius, ad postremum addit: Latinarum vocum origines rationesq; percalluerat: eaq; præcipuè scientia ad enodandos juris laqueos utebatur. Hos me sequentem duces, nemo, ut opinor, meritò culpaverit. † Quam igitur interpretandi viam nobis Ulpianus, Paulus, Gaius, Marcellus, cæterique juris antistites præiverunt, eam sequemur, & eorum vestigus, quantum vires nostræ ferent, insistentes, summa ope conabimur efficere, ut neq; prætermittamus necessaria, neq; inutilia consectemur: & quotidie tamen aliquid minimè vulgare minimeq; contritum adferamus. Quod ut jam nunc perspicere possitis, dum ad titulum de justitia & jure interpretandum accedo: quæso, diligenter attendite.

DIXI.

† Conclusio

Cur

Cur ad munus docendi, quò se sponte abdicaverat, revotus sit.

ORATIO XVI.

HABITA ROMÆ PRID. KALEND. Mart. ANNO CIↃ. IↃ. LXIX.

Tritum ab omni vetustate sermonibus falsum sæpe

QUOD antiquitus à sapientissimis viris dictum est, non licere cuiquam mortalium, quid facturus, aut non facturus sit, certò pronunciare: quòd in vita multa eveniunt; tum ut ea ne facias, quæ facere decreveris: tum ea ut facias, quæ nunquam facere constituerit: id ego & sæpe ante hac in aliis, & in meipso nuper verissimum esse cognovi. Nam in hoc publicè docendi munere quinquennium jam cum aliqua hominum approbatione versatus, eo me, ut scitis, superioribus mensibus sponte abdicaveram: idq; eo animo, ut, quod ex me sæpe auditum est, nunquam me postea eandem provinciam suscepturum, nunquam eosdem labores denuò subiturum putarem. † Cogitabam, satius esse desinere quàm deficere: me, sive placuissem, satis jam spectatum esse: sive displicuissem, plus satis: satius esse cum desiderio, quam cum satietate discedere: utcunque esset, tradendum quasi cursu alijs lampada, qui & laboris patientiores & doctrinæ copia instructiores, institutam hîc & inchoatam à nobis

Cupio ad quæ destinaveram accedere

Lampada alteri tradere, elegans est prolimpo per portas currentes successione in alium transferre.

bis majore animo, quam viribus jurisprudentiæ cum eloquentia & cum antiquitatis cognitione conjunctionem ex ædificarent, ad summumque per ducerent. Mihi, ad nominis mei commendationem abundè videbatur tanti ac tam præclari operis, aliqua saltem fundamenta jecisse, & præstando, quod possem, alios qui plus possent, ut experiri vellent, exemplo meo excitasse. † Iamque totus in eo eram, non ut me languori quidem ac desidiæ dederem: qui semper ignavorum vitam mortemque juxta æstimassem: sed ad eas artes mecum incolendas ac celebrandas referrem, quibus usque à puero deditus fui: & ad mandandas literis cogitationes quasdam meas, quibus efficerem, conarer quidem certè, ut quod mihi otium Hippoliti Cardinalis Ferrariensis studiorum ac fortunarum mearum patroni summa liberalitate conceditur, ejus aliquis fructus non ad præsentes modò & eos qui nunc sunt, sed & nunc ad exteros, & olim ad posteros perveniret. † In hac me cogitatione defixum, & tanquam in portu, complicatis velis, cæterisque armamentis omnibus compositis quiescentem, vestra, Cardinales amplissimi, auctoritas expergisci denuò, & sucductam jam navim mutato consilio, deducere, & vela ventis pandere coëgit. Quæ mihi res eo mirabilior visa est, quòd non de erant homines & ingenioſi, & eruditi, & exercitati: qui vobis ad hoc munus obeundum ultrò studium atque operam profiterentur suam, quorum etiam unum à me ipso verè atque ex animo commendatum esse memini. † Itaque, ut in historiis est, eos, qui

M. Ca-

M. CATONEM in præturæ petitione superârunt, ipsosmet mirari solitos, quòd se tali viro populus Romanus prætulisset: sic faceor, mihi mirum visum esse, quid ita vobis potius libuerit, me alia jam omnia cogitantem, etiam cum aliquo ad vetus honorarium accessione revocare: quam in locum meum aliquem ex iis sufficere ac substituere, qui id in beneficii loco perebant. Quod ego neque ita me ignoro, ut mihi tribuam, ac non vestræ potius humanitati, quam ulli merito meo acceptum feram; correctis tamen non debeo esse, aut adversus dignitatem meam, aut adversus vestra judicia improbe curiosus. Nam, sive aliquid esse in me, cur hic honos mihi habendus esset, judicâstis, potius enitiar ac contendere debeo, ut vestram de me opinionem rebus confirmem, quam ut verbis reflam: sive, quod magis credo: vestra tantùm in eò humanitas & quædam erga me voluntatis propensio valuit, non minus optabile, aut honorificum duco; à vobis amari, quàm magna aliqua sive eruditione, sive eloquentia præditum judicari. Illud quidem neq; reticere, neq; dissimulare possum, recentem istam vestræ erga me voluntatis significationem magnum mihi onus imposuisse, magnam curam & sollicitudinem, magnam vigilandi, laborandi, contendendi omnes industriæ meæ nervos necessitatem attulisse. Non enim mihi tantùm elaborandum erit, ut, si quam mihi existimationem superiorum annorum labores vigiliæque pepererunt, eam conservem ac tuear: sed multò magis, ut vestra de me judicia sustineam, & aliqua saltem ex parte respondeam

Excerem laborum-orum.

deam illi exspectationi, quam de me, verisimile est, in multorum animis pondus auctoritatis vestræ concitavit. Quod quidem me studiosissimè constantissimèque facturum vobis omni adseveratione confirmo, daturumq; operam, ut hæc, qua nunc cincti ac circumfusi estis, studiosorum adolescentium multitudo, si nulla alia re, at certè industria & assiduitate vix alium quemquam à vobis ad rationes suas accommodatiorem huic muneri præfici potuisse fateatur. † Sed jam tempus esse videtur, ut specimen vobis aliquod exhibeam eius rationis ac viæ, quàm & usque adhuc in docendo tenui, & nisi vos aliud jubeatis, deinceps perpetuò tenere decrevi. Quod dum facio, date mihi, obsecro, hanc veniam, ut avertam à vobis orationem, atq; ita differam, quasi ii tantùm adessent, quorum caussa me rudem jam, ut arbitrabar, donatum, in hanc aream denuò revocandum censuistis.

DIXI.

De

De Doctoris officio, deque modo Jurisprudentiam docendi.

ORATIO XVII.

HABITA ROMÆ PRID. NON. Novemb. anno cIↃ. IↃ. LXIX.

Exordium ab instituto docendi munere.

MAIOREM indies fructum capio ex hoc consilio atque instituto meo, exornandi Iuris civilis, neque lautius modò ac nitidius, sed distinctius etiam & ad rudiorum captum accommodatius, quàm plerique vulgò solent, explicandi. Nam etsi satis intelligo, non tantùm mihi esse vel virium vel auctoritatis, quantum ad hoc, quod animo concepi, quodque omnibus votis expeto; plane perficiendum requireretur: juvat tamen, tanti ac tam præclari oporis qualiacunque fundamenta jacere experiri si fortè alios rebus omnibus instructiores commovere & ad eandem cogitationem suscipiendam excitare possim: efficere denique ut quicunq; olim do hoc meo conatu verè judicare & poterunt & valent, quidnis mihi potius, quàm aut indeligenda rectè docendi ratione ac via judicium, aut in eadem aliis commonstranda voluntatẽ defuisse fateantur. Quibus enim rebus ejus, qui quamcunq; artem docere instituit, officium contineri arbitror, eas ut præstarẽ, & alias semper & præcipuè ex quo libros Pandectarum explicare ingressus sum, magno mihi studio elaboratũ est. Ac ne quis fortè quærat, quæ ea demilla sint in quibus & multũ operæ posuisse

fuisse me dico, & multum ponendum esse omnibus, qui docendi munus, ita ut oportet obire ac sustinere meditantur: exponam ea, ut potero, breviter, vobisq; potestatem faciam, ex iis quæ hodierno die de doctoris officio dicam, existimandi quid à me in posterum non exspectare tantùm, sed etiam exigere debeatis. † Existimo igitur duabus verbis comprehendi posse munus ejus qui docet: videndum enim ei esse, quid doceat, & quomodo † Prius illud eam vim habet: curandum esse ei, primùm ut vera doceat; tum ut propria ejus artis, in qua versatur, aut certè cum eo quod agitur conjuncta & coherentia. † Modus autem docendi is est, ut perspicuè doceat: quod duabus rebus conficitur, ordine, & genere sermonis ad res enodandas & enucleandas accommodato † Hæc omnia qui præstet, ut in docendo & vera tradat, & pertinentia ad eam artem quam docet, & ea ita distinguat, ut suo quidque loco digerat ac collocet, & verbis propriis, significantibus, ab eorum qui purè ac nitidè loquuntur consuetudine non aliorrentibus efferat, atq; eloquatur, ei ego nihil omnino ad summi ac perfecti doctoris laudē deesse statuo: qui autem cum ea plenè quidem & absolutè præstare non posse se agnoscat, eò tamē quidquid habet virium confert, ut ad eas laudes quàm potest proximè accedat, dignissimum esse, cujus honestissimos conatus, & industriam ad præclara tendentem bonorum omnium perpetuus applausus approbatioque comitetur. In his omnibus variè peccatum esse video à multis eorum, qui quadringentos ferè ab hinc annos jus civile tractarunt; quorum etiam nonnulli tanto

apud multos in pretio sunt, ut, quasi Atlantis humeris cœlum, ita eorum auctoritate hujus artis dignitas sustineri putetur. Nam & multa sepe pro veris falsa docuerunt: & referserunt libros suos alienissimis quæstionibus: & sine ullo ordine omnia tradiderunt: & cùm Latinè loqui nescirent, novum quoddam & monstrosum sibi confixerunt loquendi genus, ut si veteres illi Pauli, & Ulpiani, & Papiniani & ceteri juris antistites reviviscant, multis interpretibus eis opus futurum sit, ad eos qui scripta sua interpretati sunt intelligendos. † At cur falsa quidem pro veris tradiderint, non negaverim alias quoque fuisse causas: duas tamen præcipuas fuisse arbitrior: ignorationem antiquitatis, & perversum quoddam studium contradicendi. Etenim cum tota Reipublicæ atque imperii Romani facies ita versa atque immutata esset, ut nullum retineret veteris formæ vestigium, aliæ consuetudines essent, aliæ leges, alia religio, alii magistratus, alia judicia: † exstincto autem lumine Latinarum & Græcarum literarum, omnia densissimis ignorantiæ tenebris sepulta atque obruta tenerentur, fieri nullo modo potuit, quin homines eius Reipublicæ ignari, cuius leges & jura tractabant, tanquam in illumi nocte sine lumine errantes, sæpè offenderent, sæpe laberentur, sæpe quovis potius, quàm quo instituerunt, pervenirent. Ad quod incommodum cùm alius accessisset ex prava quadam ambitione, quæ multorum ex illis animos occupârat, ut indecorem putarent, cuiquam assentiri, acrum demum sibi pulchri ac beati viderentur, si superiorum placita labefactare ac sub-

subvertere: ipsi autem aliquid, quod ante se nemo dixisset, adferre potuissent? quasi clavum clavo, sic opinionem opinione trudentes, eò tandem rem perduxerunt, ut, cùm receptum sit, in rebus judicandis communem interpretum sententiam sequendam esse, sæpenumero, quæ in plures probata sit, in tanta discrepantia ac varietate dubitetur. † Scitum autem est quod ait Plato, semper inter se consentire eos qui aliquid sciunt. Nam neque sciri potest nisi quod verum est: neque in quaque re verum esse amplius uno potest. Iam, quod secundo loco posui, multas sæpe ab eis inculcatas quæstiones, neque juris civilis proprias, neque ad id quod in manibus erat, ullo modo pertinentes, id quin verum sit, dubium nemini unquam futurum est, qui eorum scripta vel per transennam, ut dici solet, adspexerit. Nisi forte quærere, quæ sit potestas, ablativi, ut loquuntur, absoluti, aut genuvdii, aut relativi, QUI, QUÆ, QUOD, & similia, quæ vel referre piget, Grammaticorum non est potiùs quàm Iurisconsultorum: aut quæ sit ratio definiendi, quid interfit inter definitionem & notationem vocabuli, quando liceat argumentari ab enumeratione partium, non Dialectici potiùs, quàm juris civilis professores, docere debent: aut denique innumerabilia, quæ eorum commentarios legentibus passim occurrunt, non melius & verius ab iis artificibus quorum propria sunt explicantur. †Nam de ordine quid dicam? quem semper sapientissimus quisque plurimi fecit: cui tantum tribuerunt quidam ex veteribus Philosophis, ut summum ac

supremum huius universitatis parentem atque opificem Deum dicerent in orbe condendo nihil aliud praestitisse, quàm quod confusas & permistas inter se rudis materiæ partes discreuisset, certóque ordine suis quamque in sedibus collocâsset. Impia opinio, fateor. Omnia enim non tantùm digessit ac disposuit, sed ex nihilo effecit ac procreavit Deus. Sed tamen ex eo intelligi potest, quæ illorum de ordine opinio fuerit, quantamq; vim in eo inesse crediderint: cùm à quo nihil amplius quàm confusas mundi partes in ordinem adductas esse dicebant, eum tamen ipsi quoq; cum cæteris verissimo nomine parentem ac conditorem omnium rerum vocarent. † Exstat præclara sententia apud Xenophontem in Oeconomico, nihil esse aut pulchrius, aut ad usum commodius quàm ordinem: nihil contrà aut adspectu fœdius ac deformius, aut quod plura omnibus rebus incommoda adferat quàm confusionem ac perturbationem. † At nostri illi cùm dialecticen aut non didicissent, aut ita didicissent, ut non didicisse præstaret: quibus, quæso, modis omnia miscuerunt? qualem nobis cujusque generis præceptorum farraginem reliquerunt? Ut si quis rusticus hordeum, triticum, viciam, legumina in unum acervum conferat, non illius acervum horum commentariis existimem perturbatiorem fore. Mihi quidem, cùm in eos inspicio, sæpissimè Ovidiana illa de Chaos in mentem veniunt.

Quæq; erat & tellus, illic & pontus & aër.

Non aliter enim apud hos, ubi verbi caussa, de auctoritate magistratuum agitur, dicetur etiam aliquid de

de testamentis, ubi de emptione & venditione disseritur, aliquid de pœnis, aut de auctoritate tutorum inseretur: nihil est denique quod certam sedem ac domicilium habeat; nihil quod non alienissimo eque facile ac suo loco pertractatum reperiatur. Inde illæ crebræ ex uno in alium locum rejectiones: cùm re, quod hic agendum ac tractandum erat, id jubent ex alio petere in quo tale quidquam agi, nunquam, nisi admonitus, divinare potuisses. †Prorsus ut si quis pa- †similia.
terfamilias vestem non in vestiario, sed in arca panaria conderet: panem ex puteo hauriret, pisces in nemore, lepores in piscina inclusos haberet. Apud Aristotelem primo Physicorum recensetur opinio veterum quorundam, in quibus fuit & Anaxagoras, qui quidlibet in quolibet inesse dicebant: idq; exprimebant hemistichio quodam, ut opinor, Empedoclis, πάντα ἐν παντὶ μέμιγται. Hoc an in Physicis verè dicatur, viderint, qui illa tractant: in talium certè interpretum commentariis verissimè dici potest. Atque hoc sunt etiam, qui eos de industria fecisse dicant, ut artem juris obscuriorem, ac difficiliorem cognitu redderent, & ad cæteros labores illum quoque adderent, †quo excarnificarent discentium ingenia, per- †translatio
volutandi sæpe illas ingentes librorum moles, & omnia alieno loco potius quærendi quàm suo. Quod si verum est, (nam ego quidem aliam potius fuisse causam suspicor, neque ita de eis malè sentio, ut, cùm melius possent, noluisse credam) sed tamen si ita est, non obscurum est, quam eis pro tam sancto atque honesto proposito gratiam debeamus. †Ultimus locus erat †partis de
Cornelii
Ciceronis

de genere dicendi, quo dixi eos, quidquid docent, uti debere nitido, perspicuo, usitato, tali denique ut sine ullis salebris, sive ulla asperitate influat in aures animosque discentium, eisque se non adscita fuciisque ac pigmentis quaesita, sed naturali pulchritudine ac suavitate commendet. A quo ut quos dico quàm longe omnes abfuerint, quis non videt? Et sunt tamen qui eos defendant: ut nulla sit tam mala causa quae patronos non inveniat: dicuntque eloquentiam in eo qui jus docet non requiri, satis esse si artem suam teneat: eius praecepta dum tradat, quibus ea verba pronunciet, nihil interesse. Citant etiam in eam rem verba quaedam Ciceronis, quibus ait, se in Philosopho eloquentiam, si adferat, non aspernari: si careat, non admodum requirere. Nimium delicatos esse, qui in tanta praeclarissimarum rerum copia etiam verborum concinnitatem requirant: & perinde facere ac si optimos & saluberrimos cibos fastidirent, nisi in auro aut in gemmis apponerentur. Tum praeterea facilius intelligi ac percipi quae qualibuscunque verbis sine delectu effremuntur, quàm si quis in eisdem pura ac Latina oratione exprimendis elaboraret. Postremo, usu hoc jam & experientia compertum esse, quibus verborum cura est, eos exsuccos fere, & aridos, & exsangues, & grammaticos potius aut ludimagistros, quam veros & solidos jurisconsultos evadere: cùm contra, qui magno & forti animo contempserunt sermonis delicias, & illud horridum, incomptum, agreste, rusticanum, dicendi genus adamarunt, ii demum juris ac legum cogni-

Diligentia Eubranza & versatio-rum.

1.

2.

3.

4.

cognitione impleant pectus; in consultationibus, in foris, in subsellis regnent, in omnium majoris momenti controversiarum disceptatione ac dijudicatione dominentur. † Quibus ut respondeam, primùm dico, non existimare me eloquentiam, neque ad jus neque ad ullam omninò artem tractandam, necessariò requiri: ne ad illam quidem ipsam, qua fieri eloquentes putantur. Multos enim accepimus, cùm ipsi eloquentes non essent, optimos tamen alios ad eloquentiam duces ac magistros fuisse: † qualem in Gracia Hermogenem, in hac urbe Quintilianum fuisse ajunt. Et aristoteles, si se ad dicendum contulisset, fortasse multos habuisset superiores, quo tamen eloquentiæ præcepta nemo unquam melius, aut perfectius tradidit. Mundiniam quidem sermonis non in artibus modo docendis, sed etiam in congressibus & in familiari colloquio ab omnibus ingenuis & paulò liberalius institutis hominibus requirendam puto. Non gemmas, non aurum, non emblemata requiro. Fictilibus æquo animo cœnare possum: præsertim si epulæ sint, ut ais, exquisitæ: sed illa ipsa fictilia tersa sint, niteant, appetentiam potiùs quam vomitum concitent. An tu convivatorem feres, qui quamlibet lautos cibos in vasis cœno ac luto conspurcatis apponat? Nam quod ajunt facilius intelligi quæ ita dicuntur: credo equidem hoc inter ipsos verum esse. Balbi enim balbos, ut est in proverbio, melius intelligunt. Ingenui quidem adolescentes in Ciceronis, Cæsaris, Plauti, Terentii & similium libris exercitati: & Latinæ linguæ intelligentes, † no-

Argumen. resp. ad.

Eloquentia ad nullam artem necessario requisita

sententia exemplis confirmat.

Mundiniæ sermonis in artibus et facultatibus requisiti

† ironia

vos sibi de verborum significatione commentarios conquirant oportet: cùm accessuri sunt ad illas mixobarbaras cantiones. Neque enim una saltem lingua barbara est qua loquuntur: sed deterrimus quidam cinnus ex fœdissima barbararum, peregrinarum, inauditarum vocum colluvione, olens, ut scurra ille Plautinus ait, allium hircum, baram, suem, canem, capram commistam: ut quemadmodum odor, qui ex Averno afflabatur, supervolantes aves necare solitus dicitur, ita illud pus, illa sanies, illud virus optimos quosque ingenia examinet. Ego quidem certè multos novi optimos adolescentes & acutissimo ingenio præditos, qui cum in aliis disciplinis exercitati, ad artem se juris accingerent, talium magistrorum incondita voce perterrefacti, refugerunt, retulerunt pedem:

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepiduspue repente refugit.

† Quod autem quasi firmamentum defensionis suæ ponunt, non posse quemquam magnum jurisconsultum evadere, cui ulla faciendæ ac poliendæ orationis cura sit: † prò Deum immortalem, etiámne hoc tam erudito seculo, in hac tanta luce ac splendore disciplinarum omnium cuiquam se persuasuros putant? Quemquam ne ex illo suo grege inquinatè ac contaminatè balbutientium potius, quàm loquentium proferent, quem cum Alciato, cum Duareno, cum Connano comparare audeant? Sed hoc omitto: ad id, quod † instueram redeo, † Dixi quatuor esse, quæ, qui jus docendi, præstare debeant, ut vera doceant, ut ad rem per-

Lingua Barbara

Asyndeton. Barbaries comparatur odori ex Averno afflato.

Præmunit. alterius obrectationi.

Perstrictio.

Præmunitio cum enumeratione.

pertinentia, ut ordine, ut genere dicendi apto ad docendum. Id qui non præstarent, culpavi. Dicet aliquis: Quid? tu teigitur ea præstaturum esse profiteris? Non ausim tantùm de me, aut mihi, aut vobis polliceri. Illud quidem non dubitanter adfirmo, neque planè imparatum esse me ab iis, quæ ad id efficiendum necessaria sunt, & ut aliquid olim præstitisse dicar, summam diligentiam adhibiturum. Sed, ut diei tempus est, diutius detinendi non estis. Die crastino conabor viam vobis munire ad titulum de Pactis minore negotio intelligendum. Dicam cur de pactis agatur hoc loco: tum quid sit pactum, quæ pactorũ divisiones: qui quibus paciscí possint: quíq; sint pactorum effectus. Hæc crastinæ disputationis capita futura sunt. Inde ad ea jurisconsultorum veterum fragmenta, quæ in hunc titulum relata sunt sigillatim interpretanda veniemus. DIXI.

De auctoritate & officio Judicum.

ORATIO XVIII.

HABITA ROMÆ POSTRIDIE Novemb. anno cIↃ. IↃ. LXXI.

CONSTITUERAM hodie, nulla, ut Gajus noster loquitur, præfatione facta ad tractationem earum rerum, quas hoc anno docere instituí accedere: idquis

vobis utilius, & mihi conuenientibus fore arbitrabar, nisi me amici quidam, quorum & iudicio, & auctoritati plurimum tribuo, defixa iam statuáque sententia deductum, sibi potiùs quàm mihi, hac in re morem gerere coëgissent, Neq; tamen eis planè adsensus sum: sed, ut Homericus Iuppiter, partem eius quod petebant concessi, partem negaui. Nam quod contendebant, ne statim in ea qua huius artis propria sunt ingrederer, sed anniuersarii laboris quasi vestibulum populari aliqua & magis ad omnium sensus accommodata disputatiane exornarem, in eo non grauatè ipsorum voluntati acquieui: quod auctores erant, ut aliquod mihi undecunque argumentum sumerem, quamlibet remotum & alienum ab eo quôd ageretur, populare modò, & plausibile, & in quo ostentare vim ac copiam dicendi liberet, id ut ipsos à me obtinere sinerem, ipse à me non potui obtinere. Vix ista faciebam adolescens, cùm & omnes vias perueniendi ad aliquam eloquentiæ famam studiosè conquirerem, & iis in artibus exexcerer, quas qui tractant, in eis hæc non ferri modo, sed & requiri solent. Hac verò ætate, & hac qualicunque hominum opinione de me, & suscepto munere, quod ab omni vanitate longissimè abesse debet: si puerorum aut sophistarum in morem de commendo ac pingenda oratione solicitus sim, & sine ulla necessitate eas mihi ad dicendum materias deligam, in quibus bellè ac commodè aliquid dicere posse videar, ineptis fortasse gratum faciam; quos semper fucata & inania omnia, magis quam vera & sa-

& solida delectant: gravium certè ac cordatorum hominum non effugiam justam ac meritam reprehensionem. Obsequamur igitur amicorum petitioni: sed ita, ut ne oblivisc amur, quid deceat. Explicaturus sum eam partem Digestorum, in qua de judiciis disseritur. † Sed prius dicam nonnulla de ipso munere judicandi, quantum in eo sit auctoritatis, quantum ponderis & momenti ad totius Reipublicæ felicitatem: tum, qualem esse eum oporteat, qui ei muneri rectè & pro dignitate præfuturus sit: quæ in judicando servanda, quæque fugienda videantur: quæ omnia à nostris quidem partim modicè attinguntur, partim ut certa & indubitata ponuntur: à Philosophis autem unde nostra fluxerunt, accuratè ac copiosè pertractari solent. † Dicam autem non oratorio more, sed hoc nostro scholastico, & umbratili, & sedato, non ad permovendos animos, sed ad docendos, non ad faciendos clamores, sed ad silentium potiùs & attentionem obtinendam idoneo. Ita me duas res consecuturum esse confido, ut & amicorum petitioni, si minus plenè, at certè aliqua ex parte satisfiat: & hoc quamvis ex alia arte accersitum disputationum meorum caput cum cætero corpore satis aptè ac concinnè cohærere videatur. † Tanta igitur est, ut hinc potissimùm exordiar, in omni civitate eorum qui judiciis præsunt auctoritas, ut ex eis potissimùm Reipublicæ felicitas aut infelicitas pendeat. Etenim verè dixerunt veteres, legem esse animam civitatis, & perinde felicem, aut infelicem † evadere unam-

quam-

quamque civitatem, ut bonis malisvè legibus temperata est. Utor hic legis nomine magis ad populi consuetudinem, quàm ad veritatem: scio enim, si qua mala lex sit, eam ne legis quidem nomine dignam esse. Sed si tantùm positum est in legibus: legum autem ipsarum nullus est usus, nisi sint qui eas consequantur ac custodiant: & legum ministri ac custodes magistratus, unde eos nomophylacas Plato vocat: magistratuum porrò præcipua vis in exercendis judiciis cernitur. constare opinor, qualia in civitate judicia sint, talem esse totius civitatis statum. † Imò verò ea prima fuit antiquissimis temporibus caussa congregandarum civitatum: ut essent, qui vim coërcerent, tenuiores à potentiorum injuriis defenderent, suum cuique tribuerent, juris æquabilitatem inter omnes proportione tuerentur † Hanc originem creandorum regum fuisse; quod vetustissimum in terris imperij nomen est, Herodotus, & ab eo mutuatus Cicero tradunt. † Itaque reges ipsi antiquitus judicabant, ut Minos, cujus singularis justitia judicem cum veterum opinione, etiam apud inferos fecit: ut Tenes cultus apud Tenedios pro Deo: quem cum securi insulam ex se dictam obambulare solitum tradunt: eaque percutere, quos caussa discussa, injuriam fecisse cognôsset: Ut Philippus Macedo, quem etiam patienter tulisse accepimus; objurgatum ab aniculâ: cui audiendæ sibi esse otium negaverat: cum illa retulisset, ne regnarer igitur, si audiendis ac dijudicandis caussis vocare nollet. † Et per diu, qui Hebræorum populo summo cum imperio præerant, non reges,

reges, sed judices vocabantur: ut intelligamus nihil esse tàm regium quàm judicare. Sive enim privata judicia inspiciamus, verè ait Cicero, omnes omnium pecunias positas esse in potestate eorum qui judicant: sive publica, omnium civium non fortunæ modò sed dignitas, existimatio, salus, eorum, qui judicia publica exercent, fidei, religioni que commissa est. Sapientissimus homo Democritus duabus rebus Rempublicam contineri dicebat, pœna & præmio: earum autem rerum utraque in eorum manu est, qui munus sustinent judicandi. Magna igitur adhibenda cautio est in judicibus deligendis: eorumque & singularis quædam prudentia, & spectata probitas esse debet, ne si, aut errore ducti, aut cupiditate abrepti, permissa sibi potestate secus quàm decet utantur, ipsa civitatis fundamenta subvertant. Ac veteres quidem illi paucissimis verbis judicis officium concludebant: cùm ita dicerent, legem esse mutum judicem, judicem autem legem loquentem. A bono enim judice ita prorsus omnia judicari oportet, ut lex ipsa, si loqui posset, judicaret: atque ita legem & judicem inter se conspirare, ut sit lex quasi anima judicis; judex, quasi vox legis. Et, quemadmodum Aristoteles ait, legem esse mentem cupiditatis expertem, ita optandum esset, ut ejusmodi judices reperirentur, qui, omni cupiditate spoliati, mente tantùm ac ratione disceptandis controversiis uterentur. Sed talia optare licet, sperare non licet. Nimis enim verum est, quod in quodam carmine posuit SIMONIDES, per difficile reperiri hominem

Quadrangulum sive Vituperio

nem τετράγωνον ἄνευ λόγου. Huic incommodo sapientissimi quique veterum quæcunque potuerunt remedia comparârunt. Inter quos Aristoteles censuit, in bene instituta civitate, omnia, quoad eius fieri posset, legibus comprehendenda: quàm paucissima autem in potestate atque arbitrio judicum relinquenda. Cujus rei tres ab eo sanè graves causæ adferuntur. Una, quòd multò major numerus necessarius est judicum, quàm eorum qui leges ferant. Facilius autem est paucos bonos & prudentes viros reperire, quàm multos. Altera, quòd longius tempus datur legem aliquam laturis, quàm de certo aliquo negotio ac controversia cognituris. In majori autem temporis diuturnitate major est penitus pervidendi veri facultas. Tertia, quæ omnium potentissima est, quòd leges & in futurum prospiciunt, & universè ac generatim feruntur, ut neque gratiæ, neque odio locus esse possit. At judicia & de præsentibus negotiis, & de certis personis exercentur: ut & gratia, & odio, & invidiæ, & miseratione, & ratione proprii alicuius commodi, aut incommodi, facillimè abduci à vero judicis animus queat. In judicibus autem deligendis illud præcipuè observandum est, ut boni viri eligantur; in quo veteres ita diligentes fuerunt, ut sæpe in libris nostris viri boni nomine non alius quàm judex intelligatur. Et Horatius narrat patrem suum, cùm sibi virtutis & officii præcepta traderet, laudandarum actionum exempla ex judicibus potissimùm sumere solitum esse. Sic me, inquit:

Forma-

Formabat puerum dictis: & sive jubebat,
Ut facerem quid: habes auctorem, quo facias hoc.
Unum ex judicibus selectis objiciebat. Et alibi cùm
viri boni quasdam quasi notas enumerando percense-
ret, hanc inter præcipuas ponit;
Quo multa, magnæ secantur judice lites.
Ac videte quantoperè veteres illi Romani, eos qui
res judicabant ab omni improbitatis suspicione pu-
ros esse voluerint. Notationi atque animadversio-
ni censoriæ non tribuebant auctoritatem rei judi-
catæ: neque si quis à censoribus senatu motus esset:
propterea ei aditum ad honores denegabant. Quin-
imò quosdam à censoribus senatu ejectos, ipsos
posteà censores fuisse legimus. Sed tamen, ut o-
mnis etiam levissima suspicio abesset à judicum mo-
ribus, lege Iulia repetundarum qui senatu moti es-
sent judices non poterant dari. † Ætas etiam in
judicibus consideranda est: neque enim idonei sunt
adolescentes ad tantum munus sustinendum. Cu-
jus rei tres ferè causse adferri solent. † Una, quòd
de moribus adolescentum nihil adhuc certò sciri pot-
est. Mutantur enim, ut ait Horatius, in horas.
Et improbum quidem esse aliquem ut agnoscas, vel
unus dies sufficit, ut ait Theognis: at diu vixerit
oportet, de cujus probitate certum judicium fiat.
Altera, quòd in juvenibus magnæ & vehementes
sunt animi commotiones, quas illi sæpius, quàm ra-
tionem sequuntur. Postrema, quod longus rerum
usus in judice requiritur, qui cadere in adolescentem
non potest, † ἀ νέου, ait Plato libro tertio de Repu-
blica

1. Facienda probat Excep. plenè enarrat.
De ætate judicis.
Causæ cur non deberent esse adolescentes judices. 1.
2.
3.
† Quam inverecundè sese sese ipsum opere tebprobum fuisse dicens esse.

blica ἀλλὰ γέροντα δεῖ τὸν ἀγαθὸν κριτὴν εἶναι. Neque verò quilibet senex ad judicandum aptus est. Non enim ut prudentia necessariò ætatem requirit: ita ætas necessariò prudentiam adfert. Sed is demum cui anteactæ vitæ cursus & integritatis & prudentiæ opinionem comparavit. Observabatur & illud antiquitus, ne egeni & exhausti homines facilè ad judicandum admitterentur. Cùm enim plerique à Theognidis sententia non abhorreant, & paupertatem omni ratione fugiendam putent, verendum videbatur, ne sæpe tales judices non tam rationem muneris sui, quàm magnitudinem munerum alienorum considerarent: néve libentiùs in nummorum quàm in argumentorum, quæ utrimque adferrentur ponderibus expendendis occuparentur: & utrius gravior esset manus, ejus causam quoque meliorem videri pronunciarent. Atque ob eam causam judices non tantùm ex moribus & ex ætate, sed etiam ex censu legebantur: quod Romanis alicubi objicit Tertullianus: Cumque jurisjurandi religio maximum & sanctissimum fidei vinculum meritò apud omnes existimetur, judicaturi prius jurabant se ex legum præscripto judicaturos: cujus rei frequens apud Demosthenem, & alios mentio est. Ne verò legum verbis callidè, & subdolè interpretandis ab earum sententia & voluntate discederent, adderent, τῇ γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ, ut apud Demosthenem, aut quod idem valet τῇ ἀρίστῃ, ut apud Aristotelem in Rhetoricis, & apud Iulium Pollucem in libro octavo relatum est: quo significabant, se ita leges interpretatu-

taturos, ut rationi & æquitati maximè consentaneum videretur. Quin etiam, ut maiore divini numinis metu perfunderentur, judicabant in loco sacro. † Quamvis enim Deus omnibus locis præsens est, ejusque ut ait Aratus, omnia plena sunt: in consecratis tamen locis magis omnes nescio quo modo illius præsentia commovemur. Atque hanc consuetudinem antiquissimam fuisse, Homerus ostendit: qui judices in Achillis clypeo sculptos & senes fuisse ait, & in sedilibus lapideis sacro in loco consedisse. οἱ δὲ γέροντες, ἐν ξεστοῖσι λίθοισι, ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ. † Summa autem in eo adhibenda diligentia est, ut tollantur omnes occasiones, quæ possunt efficere aliquem animi motum, quo judex abducatur à vero. Nam quod de amore ait Theocritus pulchra ei videri, quæ pulchra non sunt, idem absolutè de toto talium commotionum genere dici potest: prout quisque affectus est, ita res ei alias atque alias videri. Arghatis, ait Varro, & veternosis omnia lutea videntur: febricitantibus amara, quæ dulcia: aliter omnibus de rebus ebrii, aliter, sobrii judicant. Idem putandum est evenire iis omnibus, quorum animus aut amore, aut odio, aut ira, aut invidentia, aut denique aliquo πάθει, occupatus est. Docent Philosophi, si sensus de rebus sibi objectis verè judicaturus sit, oportere ipsum sentiendi instrumentum, quod illi αἰσθητήριον vocant, ἀτοπον, id est, omni qualitate, earum saltem, de quibus judicandum est, vacuum esse, Sic & judicis animum in sola veritate defixum ab omni perturbatione purum ac liberum esse oportet. Male

verum examinat omnis corruptus judex: ait Horatius. Quoniam ergo nemo, ut omnia moliatur, exsuere ac deponere insitum atque ingeneratum omnibus sui amorem potest: ideò veteres nominem rei suae idoneum judicem esse voluerunt: quod & apud juris nostri auctores sæpè legitur: & ante eos ab Aristotele & in ethicis & in politicis dictum erat. Ne de filii quidem negotio idoneus judex est pater. Amat enim eum ut partem sui. † Et quamvis reperiuntur patres quidam, qui de filiis severissimè judicârunt, ut in externa historia Zeleucus: in Romana Brutus, & Manlius, alii: usitatius tamen est, patres in filiorum peccatis connivere. Sed hac de re alio loco plura dicentur. † Corrumpuntur judices etiam donis: & ea causa fuit, cur iis legibus, quæ de pecuniis repetundis latæ sunt, punirentur, qui ob rem judicandam pecuniam accepissent. Narrat Plutarchus, Thebis olim positas in publico fuisse judicum statuas, eásque sine manibus: quod indicio esset, nihil eos à quoquam accipere debere: eius autem, qui judicio præsideret, etiam sine oculis: quod ipso personarum adspectu judices interdum à recto abduci arbitrarentur. Antonius certè apud Ciceronem gloriatur, M. Aquillium, in manifesto repetundarum crimine, hoc potissimum à se artificio liberatum, cùm eum mœstum ac sordidatum produxisset, tunicamque eius à pectore diuidisset, & cicatrices adversorum vulnerum, quæ ille pro Republica acceperat, ostendisset. Ita judices, quam absentem forte damnassent, eum, adspectu ipsius commoti, liberârunt. Eodem

arti-

artificio multis antè annis usus erat Hyperides, qui, ut narrat Athenæus, cùm Phryne meretrix pulcherrima rei capitalis argueretur, atque ita teneretur, ut argumentis purgari non posset: cùm multa pro ea dixisset, ad postremum statuit eam in conspectu judicum, & pectus eius papillasque nudavit: qui adspectus tantùm potuit, ut, quam omnium sententiis damnatum iri opinio erat, omnium suffragiis absoluta discesserit. † Ex quo institutum est, ut Ariopagitæ noctu judicarent. Cuius rei præter cæteros auctor est Lucianus. Sed & quò judicia integriora & incorruptiora essent, nomina ipsa eorum, de quibus ageretur, in Ariopago reticeri solita, quidam tradiderunt. Ut, nulla prorsus personarum ratione habita, de rebus tantùm ipsis judicaretur. Multum etiam in judiciis perverendis potest eloquentia: neque prorsus mentiebantur veteres illi magistri, qui se docere profitebantur, quo modo caussa inferior, dicendo superior fieri posset. Cui enim nota sunt verba Ciceronis in caussa Cluentiana, objectas à se judicibus tenebras gloriantis? ideoque rectum erat illud eorundem Ariopagitarum institutum, apud quos oratores præconis voce nihil verborum extra rem facere, & neque proœmiis uti, neque epilogis jubebantur. Sapienter quoque Anastasius & alii posteriores imperatores constituerunt, ne cuiquam administratio patriæ suæ sine speciali jussu principis permitteretur. Arbitrati enim sunt id, quod est, unumquemq; necessariò in patria sua multis cognationibus, adfinitatibus, necessitudinibus implicatum teneri:

iisque omnibus rebus judiciorum religionem ac severitatem impediri. Eodem pertinebant permissæ antiquo more alternæ judicium rejectiones: ut è judicibus omnis omninò suspicio inclinati, ac propendentis in alterutram partem animi tolleretur. Neminem, ait Cicero pro Cluentio, voluerunt majores nostri non modò de existimatione cujusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima, esse judicem, nisi qui inter adversarios convenisset. † Expediret etiam in eos judices, qui se corrumpi sivissent, gravissimas pœnas constitui: ut fecisse Cambysen ait Herodotus, qui (utinam non singulari, sed in omnem posteritatem duraturo exemplo) supra injusti judicis corium in lora dissectum, ejus filium ac successorem sedere jussit: ut eum à paternæ improbitatis imitatione paterni supplicii memoria revocaret. † Omninò autem judicibus tria in animo perpetuò habenda esse arbitror. Unum, ut cogitent, quemadmodum ipsi de aliis judicant, ita de se non alios tantùm homines sed ipsum Deum judicaturum. Alterum, ne prius sententiam ferant, quàm diligentissimè utriusque partis jura cognoverint. Meritò laudatur à Platone illud Hesiodi, Μὴ δὲ δίκην ἰθεῖαν σκολιῇ ἀμοιρήσῃς. Et elegans est illud Philippi, ut opinor, Macedonis, qui cum altera aure occlusa accusatorem audiret: interrogatus, cur id faceret, dixit, se eam servare integram reo. Postremum illud est, debere quidem judicem plane medium esse: ideo enim μέσοι vocantur, ut ait Aristoteles: sed tamen, si in alterutram partem inclinandum sit, ut Circe dicebat, minus

minus periculi esse, si navis ad Scyllam potius paulum inclinaret, quàm si ad Charybdim: ita in hominibus puniendis minus mali esse in clementia ac lenitate, quàm in sevitia, & acerbitate. Nam etsi laudata est apud veteres prætoris cuiusdam severitas, cuius tribunal scopulum reorum vocabant, multo tamen majorem laudem haberet illa vox Neronis, si ex animo prolata esset, aut si ipse in eadem mansuetudine perstitisset, qui subscripturus sententiæ capitis inquendam: Utinam, inquit, nunquam didicissem literas. Et M. Antonini illud præcipuè commendatur, quod pœnas legibus definitas semper usque ad aliquem modum mitigabat. Pleni sunt libri nostri talium sententiarum: Benigniùs interpretandæ sunt leges, quò voluntas earum conservetur. Et interpretatione molliendæ sunt pœnæ potiùs, quam exasperandæ. Non possum hoc loco prætermittere dictum quoddam vetustissimi oratoris Antiphontis: Εἰ δέοι τι ἁμαρτεῖν, τὸ ἀδίκως ἀπολύσαι ὁσιώτερον ἢ τὸ ἀδίκως ἀπολέσαι. τὸ μὲν γὰρ ἁμάρτημά ἐστι. τὸ δὲ ἀδίκως ἀποκτεῖναι, ἀσέβημα. Cujus sententiæ similem quandam ex libris nostris suo loco proferemus. † Dixi de auctoritate & officio judicum, non quæcunque poteram: neque enim id aut res postulabat, aut tempus patiebatur: sed ea tamen, quæ dixi, neque aliena, neque inutilia, fuisse confido. Quid præstiterim, vos ipsi judices videtis. Si quis erit, qui me contendat debuisse statim ad ea, quæ juris civilis propria erant, accedere: ab eo peto, ne mihi veniam neget, quòd ego amicis rem non magni mo-

† Perorat.

menti potentibus negare non potuerim : neve sit ita difficilis creditor, ut in crastinum exspectare nolit, cum præsertim ipsi juris consulti sub eo, quem explicaturi sumus titulo tradant, in mora modici temporis non magnum damnum inesse censeri. DIXI.

ORATIO XIX.

MANDATU S. P. Q. R. HABITA. IN. ÆDE. SACRA B. MARIÆ VIRGINIS.

QUÆ EST IN CAPITOLIO In reditu ad urbem.

M. ANTONII COLUMNAE POST TURCAS navali prælio victos.

IDIB. DECEMB. ANNO cIↃ. IↃ. LXXI.

SI ULLA POST HOMINUM MEmoriam parta victoria est, in qua & admirabilis se divini numinis potentia ostenderit; & quid fortium virorum virtus, quid singularis auctorum prudentia valeat, cognitum

tum ac declaratum sit: in hac certè, quam superioribus diebus imperatores ac milites nostri ex immanissimo ac deterrimo Christiani nominis hoste retulerunt, ita hæc omnia patefacta sunt, ut nunquam majoribus, aut illustrioribus argumentis, aut illustrata esse, aut in posterum illustrari posse videantur. Quare & immortali ac præpotenti Deo, hujus tanti boni, ut aliorum omnium, auctori, gratiæ, quantas maximas animus noster capit, agendæ sunt; & fortissimis, ac clarissimis viris, qui periculum à nobis omnibus vitæ suæ periculo depulerunt, qui barbaris in nos irruentibus iter corporibus suis occluserunt, qui pestem ac perniciem, quam illi nobis machinabantur, in ipsorum capita convèrterunt, qui illorum temeritatem consilio, furorem fortitudine, audaciam virtute superârunt, novi atque inusitati honores pro nova ipsorum atque inusitata virtute tribuendi. Quod enim tantum ac tam singulare honoris genus reperiri, ac excogitari potest, quod non & aliis, qui egregiam in hoc bello Reipublicæ Christianæ operam navârunt, & tuæ imprimis M. ANTONI COLVMNA virtuti rebusque gestis, & ab aliis CHRISTIANIS populis, & præcipuè à populo Romano debeatur? Cujus universi quod sit erga te studium, quæ voluntas, neque tibi unquam aut dubium, aut obscurum fuit; & tamen nuper apertissimè cognoscere potuisti, cùm, tuo in orbem ingressu, tantus ad te omnium ætatum atq; ordinum concursus factus est, tanta effusa omnis generis multitudo,

Hyperbole ut ipsi septem colles, ipsa urbis mœnia, si natura pateretur, sedibus suis relictis, obviam tibi prodire cupere viderentur. Quacunque incesseras, faustis acclamationibus omnia personabant: omnes redundantem & foras crumpere gestientem lætitiam ore, Diasyrm oculis, manibus indicabant: omnium in te uno fige-
batur obtutus: omnes te, non ut unum ex principibus civitatis, sed ut firmissimam ac solidissimam Romani nominis ac dignitatis columnam intuebantur. Locus seria Cœlum ipsum manifesto favit honori tuo: cùm quid aliquot dies antea triste ac nubilum fuerat, ingressu te, ita derepentè nitere cœpit, ut illa subita serenitas facilè omnibus indicârit, honores, qui tibi haberentur, etiam cœlestium judicio comprobari. Nunc quoque quanta hoc augustissimum templum frequentia hominum compleverit vides: qui omnes eo animo huc convenerunt, ut CHRISTO JESU VICTORI ET VICTORIARUM DATORI, UT BEATISSIMÆ VIRGINI, UT CÆTERIS COELITIBUS, QUORUM AUXILIO HANC VICTORIAM SINE ULLA DUBITATIONE ACCEPTAM FERRE DEBEMUS, tum propter fusos ac fugatos hostes, tum propter te salvum ac sospitem in patriam reductum, ritè, ac piè, ut debent, gratias agant. Beatum, te, M. ANTONI, propter cuius & abeuntis periculum, & redeuntis salutem, templa complentur. Meminimus omnes, superioribus mensibus, te ad bellum profecto, quæ tota urbe fuerit trepidatio, quæ sollicitudo, qui pavor. Quamvis enim & duces de-
Concursus lecti

lecti erant fortissimi ac sapientissimi, & ex toto propemodum orbe Christiano flos ipse nobilitatis convenerat, & præcipua Italiæ atque huius urbis ornamenta ac columina in exercitu versabantur: † tamen eò magis metuebantur varii bellorum & ancipites casus; quod, si quid aut propter vim tempestatum, aut propter hostilium copiarum magnitudinem, aut quo alio eventu gravius acciâisset: nulla reliqua spes erat, ullum amplius erate nostra talem exercitum posse denuò comparari. Vagabatur autem toto mari infinita quædam latronum multitudo nostro sanguine cruenta, nostris spoliis onusta: qui & semper aliâs suopte ingenio feroces, & tùm maximè propter recentes victorias spe atque animis inflati, tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserant, ut classem quidem nostram à se spiritu ipso difflatum iri; ea verò disiecta, quasi janua quadam effracta ac revulsa, omnes sibi Christianorum portus, omnes insulas: omnem oram maritimam apertam fore arbitrarentur. Angebat timorem nostrum, quòd anno superiori eas Deus alienata à nobis propter peccata nostra voluntatis suæ significationes dederat, ut non injuria trepidaremus, ne ille meritò nobis iratus, per hostes nominis sui à populo suo pœnas repetere decrevisset. † Sed ô cæca hominum judicia. O abstrusa & recondita Dei consilia. O bonitatem ac clementiam ipsius perpetuò prædicandam. † Verè Dominus est qui vulnerat & medetur: percutit & manus ejus sanabunt: qui mortificat & vivificat, qui deducit ad inferos & reducit: Pro paterna sua mise-

misericordia, castigans castigavit nos sed morti non tradidit nos. Respexit ad lachrimas, ad jejunia, ad eleemosynas, ad preces Ecclesiæ suæ, ad quæ omnia PIUS V. ET NOMINE ET RE SANCTISSIMUS PONTIFEX; toto illo tempore, alios omnes & præcepto & exemplo suo incitabat. En senex sanctissime & veterum illorum Pontificum simillime, scelerum ultor, justitiæ cultor, veteris disciplinæ restitutor, cui bono publico, his miseris ac turbulentis temporibus, Ecclesiam suam gubernandam commisit Deus: hic est fructus lachrimarum, atque obsecrationum tuarum: tui fletus pepererunt nobis hoc gaudium: tua quotidiana sacrificia hanc nobis à Deo victoriam impetrârunt. Metis exsultians, quod lachrimans seminâsti. † Te novo Moyse manum in cœlum tollente, novus hic Iosua superabat Amalechitas Tu mentem in Deo, nostri milites in barbarorum corporibus tela figebant. Confirmabant illorum dextras preces tuæ, & hostilium gladiorum cuspidem retundebant. Itaque quanto plus nobis dedit Deus quàm petebamus? Nos timidi nota faciebamus, ut hostium classis, cùm adventare nostram auditum esset, quàm celerrimè se ad suos reciperet, quo post tot editas strages, timuisse tamen, & exspectare ausa non esse nostrorum impetum videretur. Nam illud prope immodicum videbatur optare, ut & congrederentur, & se barbari, nostrorum virtute cognita, in fugam darent. Quod si ad efficiendam aliquam imaginem speciemq; victoriæ, aliquot illorum naves depressæ, aliquot captæ, numeros aliquis captivorum libe-

Apostrophe ad Pontificem per Antonomasiam.

† Comparatio.

liberatus esset: abundè omnes non exspectationi modò sed optatis quoque nostris satisfactam fore arbitrabamur. † Ut autem sine magna nostrorum clade, amplius quadraginta hostium millia cæderentur: ut decem & eo amplius millia caperentur: ut centum nonaginta quinque illorum triremes, aliáque complura navigiorum genera in nostrorum potestatem venirent: ut plus quindecim captivorum nostrorum millia liberarentur: ut ex tanta illorum multitudine vix unus perfidus pirata, & unus item sævissimi prædonis Ariadeni filius fuga elaberentur, qui ad superbas immani illius Tyranni aures acerbissimum, minimèque ab ipso exspectatum tantæ cladis nuncium adferrent, quis unquam nostrûm, non dicam sperare, sed propemodum optare ausus est? Præcurrit fortitudo vestra spes nostras: quæque nos ne frustra optaremus verebamur, ut ea frustra hostis optaret, admirabili Dei beneficio & vestra singulari virtute perfectum est. † Illud verò memorabile & animadvertendum, neque fortuitò accidisse, sed justissimo Dei judicio effectum esse credendum est: quod qui duo ex illa impura fœdissimorum mancipiorum colluvie maximas minas jactare; qui uni ex omnibus Christianorum vires maximè despicere soliti erant: ut etiam apud illum stolidum ac furentem Dominum suum ausi essent gloriari, se centum triremibus, quidquid usquam Christianorum esset, undique exterminaturos: ii potissimum cùm ad manus ventum est, ita subitò perterrefacti sunt, ut mare ipsum angustum eis esse ad fugam videretur.

Apostrophe ad mensem qui præcessit.

retur. † O NONE OCTOBRES quàm faustam ac felicem nobis posterisque nostris vestri memoriam reliquistis. Quis non eorum, qui prælio non interfuerunt, ut sibi liceret spectasse quæ illo die gesta sunt, annum unum de consequentis vitæ suæ spatio si fieri posset, ademptum velit? Solem ergo ipsum, ita vivam, in tam pulchro spectaculo, ut Iosue olim adversus Amorræos pugnante, substiturum fuisse arbitror: nisi tanta fuisset vincendi celeritas, ut, qui nihil metuebant, id unum metuere viderentur, nisi prius advesperasceret, quàm omnes hostes, aut cæsi, aut capti, aut fugati essent. Quænam igitur statuæ, qui 'arcus, quæ columnæ, quæ trophea vobis excitari poterunt, viri fortissimi, quæ non dico paria esse meritis vestris, sed eorum partem adumbrare aliquam possint? qui futuri sunt usque eò diserti ac copiosi historiarum scriptores, qui cum ad NAVPACTEAM VICTORIAM ventum erit, non potiùs metuant, ne quid de illius magnitudine deterant, quàm eam se verbis exæquare posse confidant? Semper enim justum minuendi metum faciunt ea, quæ amplificandi spem sua magnitudine sustulerunt. † Vos exsultantem barbarorum audatiam compressistis: vos maria illis clausistis, nostris aperuistis: vos flammam atque ferrum † vos cædem, incendia, rapinas, libidinem, à Christianorum vita, tectis, fortunis, corporibus arcuistis: vos à templis sacrilegia: ab oppidis direptionem, ab agris vastitatem depulistis: per vos cruentata ac repefacta maria illorum sanguine redundârunt: per vos vicina litora illorum,

Similiter Tiraquellus Anaphora. Articulus.

aut

aut sauciorum, aut morientium inconditis ululatibus personârunt : vobis magistris didicit noster miles vincere, barbarus vinci : vobis Christianorum alii vitam debent, alii libertatem, omnes securitatem. Durum fateor, fuerat, audire, tam multa oppida à nefariis latronibus capta, tam multa incensa : tam multas regiones vastatas : abducta in servitutem tam multa hominum millia : sed, si Christi potentia, si Christianorum fortitudo aliter apud barbaras gentes illustrari, quàm post tot acceptas calamitates, non poterat, propè est, ut exclamem, tanti fuisse. † Certe quidem ut verni temporis clementia & amœnitas minus hilararet animos nostros, nisi eam hyemis rigor & asperitas antecessisset : ita minus omnes huius victoriæ jucunditatem ac dulcedinem sentiremus, nisi eam cum superiorum temporum tristitia, & acerbitate compararemus. Neque verò eos tantum, qui ex illo nobis omnibus salutari prælio, re bene gesta, incolumes reverterunt, omnibus maximis honoribus debemus afficere : sed eorum quoque memoriam grato animo amplissimisque laudibus prosequi, quos in illo conflictu fortiter dimicantes, non tam vis hostium pervulit, quàm ille ipse, pro quo pugnabant, sibi ignoratus est CHRISTUS. Qui si, ut credibile est, prius Christiano ritu expiati, ac culpis omnibus soluti, tunc verò in Deum tantùm intuentes, & in eo mente ac cogitatione defixi, vitam pro illius gloria projecerunt, eodem illo temporis puncto, angelorum legionibus stipati, triumphantes in cœlum evolârunt. † O vos beatissimos, qui sanguinem

† Simile à Prudentio sumptum.

† Orationem vertit ad imperfectos in prælio.

guinem vestrum pro eo fudistis, qui prior ipse pro vobis suum sanguinem fuderat: qui mortem naturæ debitam, pro vitæ auctore patissimum reddidistis. Illi impij, quos tum concidebatis, cùm concidistis, & mortem oppetierunt cum ignominia, & mortui pœnas nunc ad inferos luunt: vos verò & extremum spiritum victores cum gloria effudistis, & mortali conditione vitæ in immortalitatem commutata, piorum estis æternam sedem & locum consecuti. Beata vita, quæ tali morte concluſa est: beata mors, quæ tali vitæ principium dedit. Sed ut ad te M. ANTONI mea jam revertatur oratio, neque populus Romanos ignorat, neque unquam ulla ignoratura est aut gens, aut ætas, huius immortalis gloriæ multò tibi plus quàm pro virili parte deberi. Tu jam inde à principio, cùm à sanctissimo Pontifice Pio Quinto hujus saluberrimæ Principum Christianorum conjunctionis fundamenta jacerentur, ad eam rem ex ipsius sententia conficiendam plurimum laboris, operæ, auctoritatis contulisti. Tu cùm classi Pontificiæ summo cum imperio præfectus esset, in Siciliam profectus: interea dum IOANNES AUSTRIUS non meâ tantùm, sed omni omnium prædicatione major adolescens: cujus in totam Christianorum classem summa erat auctoritas ac potestas, eodem perveniret, & milites & classiarios studiosissimè exercuisti, &, ut omnium rerum ad maritimum bellum necessariarum copia suppeteret, perfeciſti. Tu, quoties de summa re deliberatum est, eas sententias dixisti, quæ summam prudentiam cum

cum summa animi excelsitate conjunctam indicarent. Tu cùm offensiones quædam intervenirent, quæ rem in summum periculum adduxerant: iratorum animis, sapientissimè cepto consilio, & gravi atque accommodata ad tempus oratione mitigatis ac compositis, nascentis mali occasionem sustulisti. Tuo cohortatione inflammati milites ad pugnam exarserunt: tuum in ipsa pugna exemplum secuti, omnia pro Christo pericula contempserunt. Pervenit, ac perlatus est usque huc tuarum immortalitate dignarum vocum sonus: OPTIMIS AUSPICIIS GERI QUÆCUNQUE PRO CHRISTIANA RELIGIONE GERERENTUR: BARBARICAM AUDACIAM CEDENTIBUS INSTARE, INSTANTIBUS CEDERE: NOSTRORUM ET VICTORIÆ ET MORTI IMMORTALEM GLORIAM PROPOSITAM ESSE: illo duce atque auspice, cujus brachia in cruce pendentis effigies, è summo regiæ triremis eminens, nostros animares, terreret hostes, de secundo prælii exitu nemini esse dubitandum. Audivi, audivi ipse de fortissimo viro, cujus eximia virtus & sæpe alias, & in hoc bello vel maximè spectata est, quique tuorum in hac expeditione consiliorum, ac laborum particeps fuit, quàm præclarum tibi, quamque honorificum testimonium tribuerit DIVINUS ADOLESCENS JOANNES AUSTRIUS, postridie ejus diei quo debellatum est: cùm apertè prædicaret, tuum in hac sancta belli societate conflanda prater cæteros laborem

as

ac studium; in deliberando prudentiam & altitudinem animi; in re gerenda fortitudinem & alacritatem exstitisse: te & committendi prælii consuasorem, & comparandæ victoriæ adjutorem sibi præcipuum fuisse. Quæ cum omnia magna & præclara sint, multò tamen à te majora, & præclariora populus Romanus exspectat. Properant M. ANTONI nostra omnium vota: quique animis præsentis gaudii magnitudinem capere vix possumus, rerum à te gestarum præstantia, quasi quibusdam alis sublati, cogitatione & spe multò jam ulterius provolarunt. Non satis est impulisse hostem: prosternendus & opprimendus est, antequam se novis opibus copiisque renovârit. † Extorquenda sunt vobis ex illius bellua fauibus impioque dominatu ampla illa & optima regna, in quæ, à Romano imperio distracta atque divulsa, nullo jure, injustissimus possessor invasit. Tendit vobis Iudæa supplices manus: & palmas, quarum feracissima est, vestris victoriis triumphisque despondet: † obsecraturque vos per eum quem expurissimæ matris utero mirabiliter exeuntem excepit: cujus vestigiis impressa, cujus admirandis operibus nobilitata, cujus sparso pro nobis omnibus sanguine irrigata est, ne se diutius patiamini indigna Christi hostium servitute oppressam teneri. † Duce olim columna Iudæi ex dura ac diuturna servitute extracti sunt. Utinam nostris quoque temporibus Iudæa ipsa duce COLUMNA ex multò duriori multoque diuturniori servitute extrahatur. Proditum est literarum monumentis, imperante Constantino, Con-

Constantini Magni filio, visam esse in cœlo sub specie crucis ingentem COLUMNAM CORONATAM, quæ longè latèque collucens, à monte olivarum usque ad eum montem, ubi Christus, pro nobis omnibus morte affectus est, pertineret. Declarandum est tibi M. ANTONI rebus ac factis, tam insigne prodigium ad te & ad gentem tuam pertinere. † An verò gentes quædam antiquis temporibus propter violata maiorum suorum sepulchra gravissima bella susceperunt: nos JESU CHRISTI Domini ac Dei nostri sepulchrum monumentum salutis nostræ pignus resurrectionis nostræ, ab immundis canibus tamdiu teneri, eisq; ludibrio esse patiemur? Ite potius optimis omnibus generosè ad fortes animæ: ite accensa divinæ gloriæ studio pectora: continuate victorias: connectite triumphos: invidete posteris vestris gloriam eius terræ, ex qua salus nostra prodiit, ab immanibus belluis recipere ac recuperare. Ubi melius sanguis spargi potest? ubi melius vita deponi? ubi verior ac solidior gloria comparari? † O Christe, te appello. In tua manu bellum & pax; in tua manu victoriæ: in tua manu regum ac populorum corda sunt. Inspira nostris ardorem pugnandi: da eisdem vim facultatemque vincendi: immitte eam mentem principibus ac populis, qui nondum in hanc sanctam societatem nomina dederunt, ut id primo quoque tempore facere maturent: non quod tu, qui omnia potes, aut eorum opera aut nostra ad hostes tuos obterendos egeas: sed ut omnes, qui tuo nomine gloriantur, in partē aliquam veniant eius gloriæ, quæ

Argumentum Orationis ad majus sepulchrum Christi.

Deprecatio ad Christum loco perorationis

ex nominis ac cultus tui propagatione capietur: & quando urbem Romam imperii sedem ac domicilium, Ecclesiam Romanam religionis firmamentum esse voluisti: da Pio Quinto Pontifici, da populo Romano hoc munus, ut in hanc potissimùm urbem, & ad hunc potissimùm Pontificem partæ tam nobilis victoriæ aliquando nuncius adferatur. DIXI.

ORATIO XX.

HABITA ROMÆ IN ÆDE DIVI PETRI IN VATICANO V. ID. MAI. ANNO CIↃ. IↃ. LXXII.

In funere Pii V. Pont. Max. qui obiit Kalend. Maii ejusdem anni.

DICTVRVS ex veteri consuetudine de Pii Quinti sanctissimi, & in omni virtutum genere summi Pontificis laudibus, in hoc orbis terrarum augustissimo, nobilissimoque consessu, Patres amplissimi, maximopere commoverer, ac conturbarer animo, tum ob virium mearum imbecillitatem, tum ob brevitatem temporis mihi ad me comparandum dati: Si existimarem, aut ullam in quoquam vim dicendi meritis ipsius parem posse reperiri, aut ullam longitudinem temporis suffecturam ei, qui tam copiosi ac multiplicis argumenti

menti partes omnes pertractare ac persequi vellet. Sed cùm & omnibus, & vobis præcipuè, qui propius illum cognovistis, notum exploratumque sit, iis illum supra cæteros mortales virtutibus floruisse, quarum præstantiam, non dicam exequare dicendo, sed assequi cogitando difficile atq; arduum sit: ipsa me animosiorem atque alacriorem facit susceptæ muneris difficultas: cogitantem, quod mihi necessariò eveniet, ut & multa memoratu dignissima prætermittam, & ea ipsa, quæ attingam, jejunius multò atque exiliùs, quàm pro ipsorum dignitate, percurram, idem cuilibet quamlibet exercitato, & omnibus rebus ad dicendum instructo homini eventurum fuisse. Ac quoniam auguratur animus: eum jam in æternas illas beatorum sedes evectum, & cum Deo conjunctum, quæ hoc tempore à nobis dicuntur, quæque fiunt, audire atque intueri: eundem in hoc munere obeundo modum tenebo, quem tenerem, si ipse, mortali adhuc corpore indutus, præsens adesset: ut & eo genere orationis utar, quo ipsum præcipuè oblectari solitum novimus, non pigmentis ac fucis oblito, sed severo ac solido: & ea sola in ipso commendem, quæ ipse in rebus humanis sola commendanda ducebat. Qui ethnicorum more vixerunt, ethnicorum more laudantur: ego tam sancto, tamque Christiano principi nullam laudem convenire arbitror, nisi veræ ac propriè CHRISTIANAM. Itaque in quibus exaggerandis, & ampleficandis veteres plurimi erant, & à quibus ferè hujus generis orationum prin-

principia ducebant, patriæ clarioratem, quam etiam quidam ex illis primam partem felicitatis esse dixerunt, nobilitatem generis, opes, ac copias, eas nos, etiam si verè ac copiosè id facere possemus, in talis tamen viri laudibus numerandas non ducamus. Quanti hæc sint, declaravit ipse Christus, qui totius orbis Dominus, obscurum & ante id tempus ignobilem pagum, in quo nasceretur elegit: Deus & Dei filius, faber & fabri filius haberi voluit: rex omnium, in paupere tugurio natus, non habuit ubi reclinaret caput. Immo verò ii demum gloriosi mihi præteros, atque illustres videntur, etiamsi hæc humanarum rationum momentis expendere libeat, qui DEO tantum freti, ea, quæ inter homines summa habentur, sine ullis ejusmodi præsidiis, sua sibi virtute pepererunt. Pulchrum est enim ita abundare, ut nemini quidquam debeas; ita illustrare alios, ut nihil ipse splendoris ac claritatis ab aliis mutuatus esse dicaris. Sed, his omissis, quæ semper sapientissimus quisque contempsit, jam quasi thesaurum quendam rerum pulcherrimarum, ac pretiosissimarum aperiens spectandumque proponens, explicabo vera illa & divina bona, quæ semper illum, bonis amabilem, improbis formidabilem, utrisque admirabilem, reddiderunt. † Qui statim ab ipsa ineuntis ætatis principio, cùm, & divino lumine collustratus, & domestica, ut credibile est, institutione commonefactus, iis, qui in sæculo viverent difficilem esse in cœlum viam judicaret, impulsus Spiritu sancto, fugit è patria inferioris ac terrestris, ut Abraham,

bam, interque illud arripuit, quod ad illam superiorem ac cœlestem tendenti tutius, atque expeditius esse intelligebat. Fugit ut Loth; neque post tergum respexit; cùm sciret, eos, qui manu ad aratrum apposita respiciunt retrò, aptos non esse ad regnum Dei. Fugit ut Iacob, & in ea demùm terra conquievet, in qua vidit scalas per quas itur in cœlum. † Dedit enim nomen in laudissimam illam D. Dominici sodalitatem; in qua, ut primùm instituta est, tanquam in optimo ac fertili agro, eodemq; bene ac diligenter subacto, & exculto, viri & doctrina magnitudine, & vitæ sanctitate præstantes, nunquam alii aliis succrescere, alii ex aliis continenter propagari ac prosemmari desierunt. † In ea ita vixit, ut juvenis senibus, tyro veteranis, novitius exercitatis, tanquam exemplum continentiæ, tolerantiæ, frugalitatis, obedientiæ, omnis denique virtutis proponeretur. † Neque verò cæpit quidem ita vivere, sed in eo non perstitit; neque perstitit quidem, sed non longiùs progressus est; neque progressus quidem, sed in medio cursu defatigatus. Immò verò totum vitæ spatium ita transegit ut cùm jam pridem ad summam virtutis perfectionem pervenisse judicaretur, ipse tamen quotidie seipso melior ac perfectior cerneretur. † Cùm autem alia in hoc viro admirabilia fuerunt; tum singulare studium conservandæ veræ, ac Catholicæ religionis, adversus eos, qui illam ulla ex parte labefactare conarentur, implacabile odium semper eluxit. Quibus cum ille perpetuum bellum gerens, ne punctum quidem temporis in vita ab eis vexandis, &

Laus ordinis S. Dominici.

Vita sanctitate.

A perseverantia.

A clarescit ejusdem.

exagitandis conquieuit. In aliis erratis condonandis, atque ignoscendis, quanquam & sui & aliorum severissimus censor, non ita se durum atque inexorabilem præbebat: qui ab Ecclesiâ desciuissent, nisi aut ipsos erroribus, aut ipsis orbem purgaret, vitam sibi asperam atque insuauem esse dicebat. Exedebat animum ipsius zelus Ecclesiæ: neque quisquam unquam verius idem, quod olim David, dicere potuit. Nónne qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos. Ergo cùm ei munus in eos inquirendi publicè mandatum esset, quas ille potentum inimicitias, quas minas, quæ pericula, quas vitæ ac capitis dimicationes sibi, dum illos modis omnibus persequitur, defugiendas putavit? quas non potius ultrò ac cupidè appetiit? quam sæpe ab illis petitus, à Deo mirabiliter servatus est? Ut de eo dici possit, quod alicubi ait Cyprianus; Non animum martyrio, sed martyrium animo defuisse. Ob hæc tanta ac tam præclara in Christianam Rempublicam merita, primùm creatus Episcopus Nepesinus, deinde à Paulo IV. in vestrum, Patres amplissimi, Collegium adscitus, atque aggregatus, quanta cum dignitate dignitatem illam sustinuerit, quid opus est præsertim apud vos agentem, pluribus verbis exponere? Quantum ei prudentiæ & acuminis ad videnda ea, quæ vera, & recta essent, quantum animi, & libertatis ad eadem proferenda, quantum auctoritatis ad obtinenda semper fuit? Nihil unquam ille in dicenda sententia aut metui, aut gratiæ dedit: nunquam ad cujusquam voluntà-

luntatem orationem suam accommodavit: nunquam quidquam veritate prius, aut antiquius habuit. Itaque vulgo etiam dicebant, nihil ab eo precibus peti oportere: preces enim apud eum neque adjusta impetranda necessarias esse, neque ad injusta extorquenda efficaces. Quod si quidam ex veteribus Romanis eo nomine felix habitus est, quod ab eo nemo ullam rem improbam petere auderet: quid hunc dicemus, quem omnes, qui quid petituri erant, in quo vel minimum turpitudinis ineesset, tanquam scopulum quendam refugiebant? † Ut autem divino consilio vestris suffragiis, in Pii Quarti locum suffectus est, tanta subitò existit bonorum alacritas & exsultatio, tanta improborum fuga, & trepidatio, ut neque illi quidquam sibi optatius potuisse contingere, neque hi ustiam se jam turò posse consistere arbitrarentur. Cernere erat bonos hilares & erectos, tristes improbos & abjectos: illos gaudio triumphantes, hos de conscisscendo sibi voluntario exsilio consilia inter se communicantes: illi gratulatum ad templa convolabant, hi adspectum hominum lucemque vitabant: illos sublatos in cœlum, hos amandatos infra terram putares. Neque verò multis edictis aut programmatis opus fuit ad pestes quasdam hominum ex urbe pellendas. † Ut sol exoriens nebulas dissicit, ut ventus aream purgat: ita nomen ipsum novi Pontificis dissipavit improbos, & urbem tetra illa impurorum hominum colluvione purgavit. Iam in ipso Pontificatu qualis fuerit, si quis subtilius requirere instituat, ita reperiet, multis seculis nullum

Pontificem fuisse, quid ad veteres illos Sylvestrum, Gregorium, Leonem ejusdemq; generis alios, vivendi ratione, & consuetudine proprius accesserit. Primùm enim si privata & domestica spectemus, eandem in victu cultúque parcimoniam retinuit, quibus à principio se, cum adhuc in monasterio esset, assueferat. Eadem jejunia erant, eadem præces, eadem gravis anni temporibus à certis ciborum generibus abstinentia, eadem interioris vestitus asperitas: neque quisquam unquam intemperans tanto studio voluptates corporis consectatus est, quanto ille eas perpetuò repudiavit. Imò verò, quarum Ecclesiæ constitutionum propter senectutem, aut propter imbecillitatem corporis gratia plerumque petentibus fieri solet, iis ut ipse se solveret, quanquam & affecta ætate, & corpore admodum imbecillo nunquam tamen adduci potuit. Quotidie ferè sacrificabat; si id non poterat, omninò tamen sacrosancto Missæ sacrificio intererat. Nunquam ex eius ore verbum unum prodiit, quod non aut ad Dei laudem aut ad eorum qui aderant emendationem pertineret. Sic quanquam adhuc in terra positus, versabatur in cœlo: & cùm hic nobiscum viveret, jam tamen civis erat Sanctorum & domesticus Dei. Tota quoque eius familia ad exemplum Domini composita erat: cum alioquin multis in locis familiares principum sumptuosa vestis genere, arrogantia & contemptu cæterorum, licentia & dicendi & faciendi quidquid collibuit, distingui ab aliis soleant, hic suos ita instituerat, ut nulla re magis quam modestia singulari, & præcipua quadam

quadam sanctimonia vitæ a vulgaribus discernerentur. Atque hæc privatim: Publicè autem quot quantaque beneficia & in hanc urbem, & in totam Christianam Rempublicam contulit? Revocavit veterem Ecclesiasticam disciplinam: quæ ita jam obsoleverat, vix ut ejus imaginem in veterum scriptis agnosceremus. † Judiciorum severitatem, quam jam improbissimus quisque, aut eludere, aut perrumpere solebat, renovavit: cumque acrioribus remediis egere hoc seculum judicaret, propositis etiam acerbioribus supplicijs, hominum libidinem audaciamq; frenavit. In quo, si qui sunt, qui eum, ut vimus severum, ac rigidum culpare audeant, & ut molles ægroti de medicamentorum amaritie conqueranturi, facere id non possunt, quin eadem opera de sua nequitia & levitate fateantur. Nam si adversus inveteratos tantùm severitatem adhibuit, in se autem, & in suos remissus, atque indulgens fuit, tum sanè hos reprehensores audiamus: sin & domi, & foris, & in suos, & in alienos sui se similem præbuit, neque quenquam usque eo carum habuit, ut ad ejus peccata connivendum duxerit: fateamur, id quod res est, severitatem illam ab eximio quodam justitiæ studio profectam, his temporibus necessariam ac salutarem fuisse. † Jam eum & ab omni avaritia ac sordibus longissimè abfuisse, & liberalitate ac magnificentia excelluisse ipsa res loquitur, & ii quoque, qui propter eas quas dixi causas parum ejus gloriæ favent, confitentur. Cujus rei argumento est, & innumerabilium privatorum inopia sublevata, & infinita illa vis pecuniarum,

niarum, qua omnibus propè orbis Christiani partibus aliqua difficultate pressis, ac laborantibus sine ulla cunctatione subvenit. Illud verò immortale, & omnium gentium omniumque seculorum praedicatione celebrandum beneficium, quo universam Christianam Rempublicam affecit, inita & constituta cum Philippo Rege verè Catholico, & cum Venetis, belli adversus Turcas gerendi societate, quis unquam satis pro dignitate laudaverit? Quam in societatem, ut cæteros quoque principes Christianos perduceret, cùm alia multa molitus est: tum anno superiori, periculosissimo tempore, maximis cum laboribus, eum quem semper meritissimo unicè dilexit, sororis suæ nepotem, Michaelem Cardinalem Alexandrinum; sibi sanguinis quidem conjunctione proximum, sed virtutis imitatione propiorem, in cuius adspectu, ac colloquio acquiescebat, cum quo cogitationes ac consilia sua communicabat, in quo maximum posteritati suæ præsidium collocârat, eum igitur legâtum in Hispaniam, in Lusitaniam, in Galliam misit; neque eius, quem tantoperè amabat, vitam in apertum discrimen exponere veritus est, dum ne quid intentatum relinqueret, quod ad Christi gloriam & ad Christianorum utilitatem pertineret. Hæc ego cùm laudo Patres amplissimi, vos laudo. Magna enim vestra laus est, aliorum quidem, quod ex corpore vestro talem principem elegistis; aliorum verò, quod vos talis princeps in amplissimũ ordinẽ adlegit. Singulares principis nostri virtutes Deus Opt. Max. singulari felicitate cumulavit, datis ei de duplici

plici genere hostium duabus maximis pulcherrimisque victoriis, altera terrestri de iis qui in Gallia, & à Christo, & à rege defecerant; altera navali, cuius recens adhuc memoria est, sempiterno Christiani nominis hoste, Turcarum tyranno. Sed & hæc & alia plurima, quæ sciens prudensque ne longior sim, prætereo, historiarum scriptores monumentis suis commendabunt æternitati, mihi autem breviter de ipsius exitu, ac migratione ex hac vita dicendum est: ut intelligant omnes vitam ita laudabiliter actam, non minus laudabili fine esse conclusam. Duo sunt quæ, cùm ad extremum vitæ ventum est, etiam spectatæ virtutis viros de gradu dejicere interdum solent, doloris acerbitas, & mortis metus. Et sunt tamen, quamdiu à se mortis pericula abesse confidunt dolorem satis forti animo ferunt. Sunt etiam, qui dum ne gravi, & diuturno dolore crucientur, imminentem mortis necessitatem satis æquo animo exspectant. Qui autem utrumque præstet, ut neque doloris acerbitate ac diuturnitate frangatur, neque adventantis, atque imminentis mortis metu terreatur, eò pectus incredibili quadam fortitudine armatum esse ac munitum necesse est. † Quæ laus si cui unquam merito tributa est, huic certè omnium confessione tribuenda est. Qui cum quadraginta totos dies tantam vim doloris perpessus sit, quanta maxima cadere in hominum potest, nunquam tamen ullam vocem parùm se dignam emisit: sed illud in ore frequentissimè habuit, Domine adde sanè ad dolorem, dum addas & ad patientiam. Mortem autem sibi ab ipso morbi prin-

principio certam, atque explorata ita non exhorruit, ut de ea sine ulla prorsus aut vultus, aut animi perturbatione loqueretur: planeq; ostenderet eam à se, ut divus Paulus ait, in lucro poni. Ac ne cui dubium sit, præsciisse eum, sibi ex illo morbo moriendum fore, duas apertas, atque illustres ejus rei significationes dedit. Unam, quod Cardinalem Alexandrinum pridie Parasceves, hoc est, vicesimo nono ante ipsius obitum die, sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigentem, & usitata verborum formula utentem, jussit consistere, & ita verba concipere, ut in iis tantum sit, qui sanctissimum illud Sacramentum pro viatico accipiunt, ut paulo post ad alteram vitam commigraturi. Alteram quod cùm, ob quandam morbi levationem, depulsum ab eo esse mortis periculum, constans opinio esset, septem illa præcipua urbis templa invisere, voluit, eaque itineris, quanquam viribus morbi gravitate & longinquitate diei fessis, magnam partem pedibus confecit, apertè profitens, velle se eorum reliquias postremum videre, quos se non multò post visurum esse speraret in cœlo. Mortem autem illius & præcesserunt multa prodigia, terræ fremitus, terræmotus, flaminum inundationes, crebri fulminum jactus, & secuta est tanta populi consternatio, ut ejus desiderium vix longo tempore mitigari posse videatur. Sed nos quidem alienissimo Reipublicæ tempore optimo & præstantissimo principe orbati sumus: ille autem, ut confidimus, è tenebris, ac vinculo corporis in lucem libertatemq; productus, promissam piis omnibus possidet hereditatem: ita ut mors ipsius

ipsius, si sortem nostram respicimus, luctu & lamentationibus: sin ipsum, cultu & gratulationibus prosequenda sit. † Vos verò, Patres amplissimi, quos jam unos mœsta tanti gubernatoris obitu intuetur Ecclesia, quorum ex auctoritate ac suffragiis, secundum Deum, tranquillitas temporum & salus Reipublicæ pendet, consulite quam primùm rebus afflictis, & ex vestro nobilissimo corpore ac Collegio, aliquem ejusmodi Ecclesiæ rectorem deligite, qui & sedare possit mœrorem ex hujus morte conceptū, & voluntate, prudentia, usu rerum, auctoritate aptissimus sit ad perficienda pulcherrima ac præstantissima opera, quæ prepropera hujus morte imperfecta atq; inchoata manserunt. DIXI.

Exordium ab exhortatione ad cardinales.

De via & ratione ad eloquentiæ laudem perveniendi.

ORATIO XXI.

HABITA ROMÆ NON. NOVEMB. anno CIↃ. IↃ. LXXII.

† Vs civile me non vulgari via, sed nova quadam & ante me in his quidem scholis inusitata ratione tradere ingressum, & in opere institutoque pulcherrimo quartum in annum, magna auditorum frequentia, magna animi contentione versantem, vestra, Cardinales

Exordium sumit a provincia à cardinalitio demandata, quibus libens paret.

les amplissimi, in medio cursu insistere, aliudque munus suscipere coëgit auctoritas. Nam, cùm homo eruditissimus, qui tradendis eloquentiæ præceptis in hac urbe consenuerat, & adflicta valetudine, & ipsa jam ætate otium ac quietum postulante, missionem à vobis honestissimam impetrâsset, nec ei facilè successor idoneus reperiri posse videretur, mihi potissimum mandandam esse ab eo derelictam provinciam censuistis. Parebo libens, ut debeo, auctoritati vestræ: neque mihi quidquam unquam, à vobis imponetur aut laboris, aut oneris, quod non ego prompto atque alacri animo subeam: quæque mihi à vobis imperata erunt, nunquam aut aspernabor ut nimis humilia, aut ut nimis ardua extimescam. Vestrûm est decernere ac statuere, quam à quoque nostrûm huius quasi Reip. literariæ partem administrari ac procurari velitis: nostrûm parere & mandata vestra subsequi, neq; unquam ita nobis placere, aut tantum nobis tribuere, ut de vestro judicio judicemus. Equidem quod ad me attinet, neque ullam artem, quæ quidem hominis ingenui studio digna sit, sordidam & abjectam esse duco; & hanc ad quam tradendam nunc vocor, semper nobilissimam existimavi: & si aliter sentirem, fortassis tamen non vererer imitari Laconem illum, qui in convivio extremo loco jussu accumbere, conviviatoris ingenium ac judicium commendavit, qui rationem excogitâsset, quæ illi quoque loco dignitatem compararet. Non enim tantùm, ut vulgo dicitur, magistratus virum ostendit, & in luce hominum collocat, sed etiam

sæpè magistratum is qui eum gerit exornat. Epam- Examinandas ornat Telearchias
nondam ferunt, cùm à civibus suis Telearchus crea-
tus esset: is apud Thebanos non magni momenti ma-
gistratus: non detrectasse, sed dixisse ita gesturum, ut
deinceps Telearchia honoratior haberetur. Atque
ita effectum est. Tantum enim Epaminondæ valuit
auctoritas, ut post eum Telearchi perpetuo creati sint
ex principibus civitatis. Hæc & talia dicerem, si in
eloquentiæ professione parum inesse dignitatis existi-
marem. Sed & de re ipsa, & de me longè mihi alia
opinio est. Quamvis enim non inficior, magnum
me semper amatorem atque admiratorem disertæ
atque ornatæ orationis fuisse: studioseque in eam rem
operam dedisse: etiam, si vultis aliquando imposuis-
se populo: & apud eos, qui me cum deterioribus com-
parabant, in aliquam non infantiæ, neque indiserti
hominis opinionem venisse: vereor tamen, ne exem-
plo meo comprobẽ id, quod tradunt rei militaris scri-
ptores, etiã veteranos milites pro tyronibus habendos,
cùm diu à pugnando cessârunt. Sed quoniã id tantùm
à me exspectari ac requiri puto, primùm ut vobis, ado-
lescentes, indicẽ ac commonstrem eas viæ, quibus ad
eloquentiam posse arbitror perveniri: deinde ut ad su-
perandam earum difficultatem, quantum in me erit,
si quid modò erit, neq; autem multũ, neq; tamen nihil
omninò fore confido, auxilio sim: suscipiam, ac subibo
paulo maiore cũ fiducia onus id, quòd mihi, si meũ per-
petuũ publicæ utilitatis studium divinæ benignitatis
aura comitetur, utcũq; posse videor sustinere. Ut enim

si quis

Similitudo

si quis homo egens ac tenuis, alios se copiosè locupletatum esse profiteatur, ridiculus sit: sin id tantum polliceatur, ostensurum se quam viam insistere debeant, qui rem facere cupiunt, nihil tamen alienum atque abhorrens à fortuna sua suscipere videatur: sic ego, si ea me traditurum dicere ausim, quibus eloquentes fieri possint, meritò irridear, cùm ipsi mihi eorum per exigua pars suppetat: sin id tantùm dicam, posse me iis, qui eloquentiæ studio tenentur, vias quæ ad illam ferant ostendere, & ad id quod adamârunt consequendum aliquid opis afferre: causse, ut opinor nihil sit, cur me quisquam aut nimium mihi adsummere, atque arrogare dicat, aut ea polliceri quæ præstare non possim. Nolite autem, auditores, existimare, me vulgare aliquid vobis & in medio positum polliceri, cùm polliceor me vobis itineris ducem ad eloquentiam fore: neque ita eloquentiæ nomen accipite, ut vulgò accipi consuevit. Hodie enim ut quis vulgaria Rhetorum præcepta undique didicit, & in Ciceronis scriptis tantùm posuit operæ, ut, adhibito Nizolio libro, possit orationem aut epistolam scribere cùm tum singulas voces, tum ipsa etiam structura, & collocatio Ciceronem oleat, protinus magno eorum consensu, qui nihil altius, aut sublimius cogitant, eloquentis nomen assumit. Itaque, si de quopiam istorum percunctêre, num Platonem, Aristotelem, Theophrastum legerit: denique num Philosophiam attigerit, negabit: se enim, relicto aliis Philosophiæ studio, eloquentiæ gloria contentum fuisse. Quid Herodotum, Thucydidem, Xenophontem quam deli-

diligenter, studioséque versaverit? Aliquid se fortasse ex eis libâsse dicet, sed properantem & aliud agentem, & qui unam modò spectaret eloquentiam. Certè igitur Homerum quem ut cæterarum ingenuarum artium, ita eloquentiæ quasi fontem quendam esse dicunt, Sophoclem, Euripidem à quo optimè alii eloquentiam, ipsi eloquentiæ magistri prodiderunt, cæteros denique Græcos & Latinos Poëtas accuratè pervolutâsti. Quem tu mihi, inquit, Homerum, quem Sophoclem, quas nugas nominas? quasi ego poëta, non orator, esse voluerim. Nimirum, igitur, cùm à te omne aliud scriptorum genus abdicâsses, in illis eloquentiæ luminibus Lysia, Hyperide; Andocide, Isæo, Isocrate, Demosthene, quamplurimùm olei consumpsisti, in eis egregium aliquod studium collocâsti, eos, sæpè relegens in succum ac sanguinem convertisti tuum. Imò, inquit, quorundam ex istis vix ipsa nomina agnosco. Talios à Cicerone meo commendari memini, qui mihi solus in amoribus ac deliciis fuit, quem ego, admirabili quodam eloquentiæ studio inflammatus, nunquam ex oculis, ex manibus, ex sinu deposui: cuius in scriptis ita diligens ac sollicitus fui, ut, quemadmodum nummi aurei aut argentei à plumbeis tinnitu ipso dignoscuntur, ita ego voces Ciceronianas ab iis, quæ Ciceronis non sunt, sono ipso discernere ac dijudicare possim. Bene sit, inquam, istis auribus tuis tam delicatis, tamque eruditis: sed cur, quæso, cùm Ciceronem tanti facias, eos quos tanoperè ab eo laudari videbas, non attigisti? Istos, inquit, legissem, si Græcè eloquens esse voluissem

Homerū.

Euripid.

scribebat legere

Non solo Cicerone delectabatur.

Cupiunt et diligunt eruditos.

Latinæ quidem eloquentiæ laudem affectanti satis esse unus Cicero visus est. Quæ ista, malum, Latina eloquentia est, aut quando quisquam veterum istud iter ad eloquentiam tenuit? Mihi quisquam eloquentiam vocat, cùm genera causarum, & nomina figurarum, & vulgaria quædam præcepta de conformandis orationis partibus, & hujusmodi nænias dicendi, voculas ex Cicerone collectas conjungere, & ex eis quasi tessellis jejunam ac famelicam orationem contexere, sedulò cavente ne quid dicatur, quod non, antè Cicero dixerit? Picarum & Psittacorum ista eloquentia est, auditas voces iterare ac reddere: neque quidquam unquam dicere quod sit verè ac proprie dictum. Aliud antiqui vocabant eloquentiam: qui nisi de civilibus negotiis ornatè ac copiosè loqui posset, qui dicendo animos audientium flecteret, qui admirationem concitaret, qui modò clamores faceret, modò circumfusam multitudinem stupore defigeret, nemini eloquentem vocabant. Itaq; qui se dicendi magistros profitebantur, multa de ratione argumentandi, multa de virtutibus ac vitiis, multa de permotionibus animi, multa de veterum institutis, ac legibus, multa de ratione instituendarum ac gubernandarum civitatum disputabant. Sed propterea non Rhetores, aut, quæ tum usitata erat ipsorum appellatio, Sophistas, sed gloriosiore ac magnificentiore nomine Politicos nominabant. In quo etsi eos Aristoteles coarguit, ipse tamen docet Rhetoricen quiddam esse ex Dialectica & ex politica conflatum atq; commistum: &

opus

opus Rhetorices esse ait iis in rebus omnibus, quæ in consultationem cadunt, omnia videre; quæ ad fidem faciendam accommodata sunt. Tribus autem præcipuis capitibus contineri ait, si ita dicamus, ut, qui audiunt, bonos viros esse nos opinentur. Si eorum animi motus quosdam concipiant ad id quod volumus efficiendum atque obtinendum accommodatus: si id quod probare volumus, aut demostremus, aut demonstrare videamur. † Ut autem Dialecticus, non ille ex scholastico puluere clamator odiosus ac molestus, sed verus ac germanus Dialecticus duobus ad probandum instrumentis utitur, syllogismo & inductione: sic ei compar ac geminus & in dissimili genere simillimus orator duo alia habet, quæ duobus illis ex altera parte respondeant, enthymema quod syllogismo, exemplum quod inductioni. His duobus armatus est, his pugnat, his famam & aliorum dignitatem tuetur: neque sine magna copia enthymematum & exemplorum ad omnem dicendi materiam comparata, eloquentis nomen sustinere quisquam potest. † Enthymematum copia à Philosophis, exemplorum à poëtis & historiarum scriptoribus petitur: neque quisquam oratoris, aut eloquentis nomine dignus evaserit, qui non prius omnia Philosophorum scripta, quæ quidem ad formandos mores & ad tractandam Rempublicam pertinent, omnem historiam veterem, omnes antiquos & Græcos & Latinos poëtas diligenter & accuratè pervolutarit. Magnus labor, dixerit aliquis. Fateor: sed magnus & id, quod hoc labore petitur. Et verum est, quod

ait Horatius: nil sine magno vita labore dedit mortalibus. † Ad hanc facultatem consequendam ego me vobis, auditores, quantum vires meæ ferent, ducem ac comitem profiteor. Vestra res agitur: vobis, ut ille ait Comicus senex feritis, vobis occatis, vobis eisdem metitis, vobis denique iste parit: lautam labos. Videbitis me quotidie caussa vestra efficientem, quæcunque potero; conantem etiam ea quæ non potero. Ajite vos quoque studium meum attentione vestra: & , dum ætas apta est ad labores perferendos, dum animus nullis aliis curis occupatur, dum cætera, quæ ad capiendum ingenii cultum requiruntur, affatim suppetunt, nolite committere ut utilitas vestra, quæ & Gregorio Pontifici Maximo, & amplissimis Cardinalibus, quibus ille munus hoc demandavit, & nobis omnibus tantæ curæ est, à vobis, à quibus minime decet, negligatur. Equidem pro mea virili parte nullo loco vobis deero. † docebo, admonebo, instabo, urgebo, excitabo, nonnunquam etiam, si res ita poscere videbitur, objurgabo, atq; increpabo. Nolite exspectare, dum vobis adulet. Contemnam vos, si vos literas contemnetis. Sin eas amabitis: & amabo ipse commoda vestra ex animo, & , ut vos me vicissim merito ametis, operam dabo. Sed, ut dici tempus est, diutius detinendi non estis. Secundum librum Tusculanarum disputationum explicare decrevi. Cras id facere incipiam. Polliceor autem vobis, qui me attentè audient, curaturum me, ut eis operæ suæ ratio constet.

DIXI.

Pro

Pro Carolo IX. Galliarum Rege Christianissimo ad Gregorium XIII. Pont. Max.

ORATIO XXII.

HABITA ROMÆ KAL. JANUAR. anno clo. lo. LXXII.

SI pro cuius quisq; propugnatione ac defensione plura pericula subiit, plus excepit acerbitatum, pluribus quasi procellis ac tempestatibus agitatus est: plus gaudii ex iis quæ adversi nendam atque amplificandam illius dignitatem pertinent, ad eum pervenire credendum est: dubitare non potes, Beatissime Pater, quin Carolus Rex, te Pontifice creato, tanto cæteros Reges eximia quadam percepti ex ea re gaudii magnitudine superaverit, quanto non huius modò memoriæ, sed omnium ætatum ac seculorum, Reges gravi ac diuturna susceptorũ pro Sedis Apostolicæ auctoritate Laborum ac discriminum perpessione superavit. Quo tibi gratior esse debet ac jucundior gratulatio, quæ tibi hodierno die fit eius Regis nomine, qui cùm, pro incredibili studio atque observantia erga te sua, primus omnium hoc officio fungi cuperet: iis tamen difficultatibus, quæ omnibus notæ sunt, impeditus non prius tibi gratulari potuit, quàm

divino consilio contigit, ut possis tu quoque ei vicissim vere ac merito gratulari. Etsi autem, quæ proxime in Gallia pro religione gesta sunt, propter summam illius regni nobilitatem atque amplitudinem, toto jam orbe celebrantur: neque locus, neque regio in terris ulla est, quæ non plena sit & laborum ac miseriarum, quas Galli superioribus annis pertulerunt: & virtutis ac felicitatis, qua nuper usus Carolus Rex, maxima ex parte eos in veterem statum vindicavit: quia tamen neque Regis nostri & nomine & re Christianissimi pietas in Deum, quam ipse omnibus notam testatam esse vult, ulla exre melius cognosci; neque ullum dicendi argumentum hoc quidem tempore reperiri potest, in quo plus aut dignitatis, aut delectationis inesse videatur: † peto à te, Beatissime Pater, ut hoc temporis, quod mihi ad dicendum tua benignitate conceditur, in harum potissimum rerum tractatione consumi collocarique patiaris. Quis igitur in Gallia rerum status fuerit, quo tempore Carolus Nonus ad regni gubernacula morte fratris admotus est, omnes facile recordamur. Nam, quæ malorum jam tunc Henrico regnante, in venis ac visceribus Galliæ concepta ac conclusa latuerat; cuique optimus ille Rex, ob perpetuò deplorandum inopinatæ mortis eventum, remedium adhibere, cum maximè cuperet, non potuerat: eadem cum se sub Francisco secundo commovere cœpisset: & ab eo quoque intempestiva morte præreptо, compressa modò & cohibita, non etiam exstincta & sublata esset: ad extremum uti versa se ingresso regnare Carola, effu-

effudit. Ut autem aquæ impetus saxorum lignorumve oppositu diu retentus ac retardatus, si fortè tandem ea quæ obstabant, aut sublata, aut perrupta & dissecta sunt, multò major ac vehementior esse consuevit; ita illi hominum omnia turbare cupientium, cœtus, quos ad id tempus legum ac regum terror tanquam vinctos infrenatosque tenuerat, fractis postremò repagulis furere ac bacchari per nobilissimum regnum, & in summa impietate summam licentiam nacti, divina humanáque omnia cædibus & incendiis miscere cœperunt. Atque ut antiqui fictis fabulis memoriæ prodiderunt, Hercule recens nato, duas ad eum inusitatæ magnitudinis angues superne lapsos esse, qui jacentem adhuc in cunis opprimerent: hoc novo Hercule (Qui enim adhuc adolescens tot jam monstra perdomuerit, meritissimo hujus nominis honore affici potest) regni habenas tractare aggresso, infinita quædam non è superiore loco demissa, sed ex inferis emersa exstitit anguium vis, qui & pestilenti afflatu suo omnia contaminare, & teterrimum virus suum longè latéque spargentes, non ipsi modò regi adhuc puero, & regnum & vitam adimere, sed & ex toto regno verum Dei cultum, quo una æternæ vitæ spes continetur, exterminare conarentur. Qui divini quidem numinis metu jam pridem projecto; legum autem & judiciorum auctoritate cum maxime propter infirmam regis ætatem contempta ac conculcata, quam stragem, quas calamitates, quàm vastitatem, quot inaudita crudelissimarum facinorum exempla in Galliam intulerunt?

Horretac refugit animus ea memorare, quæ post illas pestes ac furias ab humani generis hoste immissas, contigerunt † profanata everſa, incenſa templa: aras ſacerdotum cæde maculatas: abſtractas exſedibus ſuis virgines Deo ſacras, direptas urbes, campos manantes ſanguine, fluviorum curſus humanis corporibus impeditos: ludentem excarnifica dis hominibus lævitiam feritatem, ne conditis quidem mortuorum oſſibus ac cineribus abſtinentem. † Quis neque eò Gallici, aut potiùs Chriſtiani nominis hoſtis eſt, qui illa ſine lachrimis aſpicere poſſet? † O Gallia, Gallia tot virorum fortium, tot egregiorum principum, tot ſummorum Pontificum, qui tecum cum laude Eccleſiæ Dei præfuerunt parens! Tune illa es quæ ſuſceptam à Chriſti & Apoſtolorum diſcipulis fidem nunquam poſtea deſerueras? † quæ non à tuis tantùm: ſed ab aliorum quoque finibus hæreticos aliosque hoſtes nominis Chriſtiani tam ſæpe depuleras? Quæ Europam, Africam, Aſiam geſtis pro Chriſti fide bellis nobilitaveras? quæ violatam ab aliis Sedis Apoſtolicæ dignitatem tam ſæpe reſtituerat? tam firmis præſidiis ſepſeras? tam multis ornamentis affeceras? quæ urbem Romam ab imminenti direptionis & excidii periculo tam ſæpe liberaveras? † Verè enim hoc, Beatiſſime Pater, verè & ſine cujusquam injuria gloriari poſſumus, duabus præſtitisse præcipuè laudibus homines noſtros, poſt Chriſtum natam, ſupra cæteras gentes perpetuo floruiſſe, quòd & Chriſtianæ religionis non conſervandæ tantùm, ſed etiam propagandæ ſtudioſiſſimi, & ad accipiendæ omnia

mnia regum suorum imperia paratissimi semper fuerunt. Omnes autem illarum pestium conatus eò dirigebantur, ut & à Deo, & à Rege abductam Galliam earum quas dixi laudum utraque spoliarent. Quod frustrumque consequi ac perficere non possent, certè quidem ut eam à summorum Pontificum cultu, & à Romanæ ac Catholicæ Ecclesiæ communione divellerent. † Hoc præcipuè imbiberant: hoc spectabant: hæc eis à principio mens, hoc consilium ac propositum fuit. Neque verò dissimulanter ferebant, conquieturos se, &, ut prius, regis imperio parituros, dum Romani Pontificatus auctoritas e Gallia tolleretur. Quin etiam si se rex ab hac sancta sede dissociare vellet, promptam ei & facilem viam ad fines regni proferendos, & ad finitimas provincias sub imperium suum subjungendas ostentabant. † Sed magnus & à natura ipsa ad honestatem conformatus animus, nec asperitatibus terreri, nec ulla utilitatis specie à recto avocari potest. Rex fortissimus & majoribus suis dignissimus, qui PIETATIS AC JUSTITIÆ *gloriam ita etiam puer adamâsset, ut ipsis earum virtutum nominibus quasi pro symbolo utatur, omnia sibi prius perferenda statuit, quàm quidquam committendum, quo earum alterutra, vel minima ex parte violari videretur. † Repudiatis igitur omnibus improborum consiliis ac suasionibus, magno ille quidem cum dolore ac cruciatu animi, sed tamen, ut qui corruptas ac vitiatas corporis sui partes, aliis omnibus frustrà tentatis, urunt postremò, aut secant, ne earum contagio cæteris obsit cum jam*

Conjuratio

Invicta constantia Regis animum.

Similitudo Catholicæ justitiæ

in lenioribus remediis nulla spes esset, ad acriora descendere, & vim quodammodo visceribus suis inferre coactus est. Intestinum ac domesticum bellum, in quo omnia, quæ cogitari possunt miserrima, insunt, necessario ei adversus suos suscipiendum ac regendum fuit: & ruina restinguendus ignis, ne tota Gallia eodem incendio conflagraret. Commissa multa prælia: multa cæsa hominum millia sæpe fusi ac profligati hostes: rex tamen clementissimus, & suos, si qua ratione posset, prolatando potius ad sanitatem perducere, quàm delere ac perdere cupiens, eis conditionibus acquieverat, quas æquissimas etiam iniquissimi judicarant. Pacata ac composita omnia videbantur: jamque spes erat, plerosque ex illis miseris agnituros errorem suum, & ad Ecclesiæ gremium sua sponte redituros: Cùm illi patriæ prædones, ac parricidæ, qui totam propè Galliam insepultis suorum corporibus obruerant, quasque sepelierant, quorum ipsi cladi assuefacti trucidandis infontibus alludè cædem sanguinem, sitiebant, parum se antea actæ vitæ rationem judicârunt, nisi palmas illas, quarum adhuc cruda & recens memoria erat, novi sceleris accessione cumularent. † Agebant illos præcipites, & ad supplicium rapiebant pœnæ eorum, quæ tam multa adversus Deum & homines impiè nefariéque commiserant: iis illi agitati, & à mente consilioque deducti, eiusdem non sunt adversus illius regis caput ac salutem conjurare, à quo post tot atrocia facinora, non modò veniam consecuti erant, sed etiam benignè & amanter excepti. Qua conjuratione

tione sub idipsum tempus, quod patrando sceleri dictum ac constitutum erat, divinitùs detecta atque patefacta, conversum est in illorum sceleratorum ac fœdifragorum capita, id quot ipsi in regem & in totam propè domum ac stirpem regiam machinabantur. † O noctem illam memorabilem, & in fastis eximiæ alicujus notæ adjectione signandam, quæ paucorum seditiosorum interitu regem à præsenti cædis periculo, regnum à perpetua civilium bellorum formidine liberavit. Qua quidem nocte stellas equidem ipsas luxisse solito nitidiùs arbitror: & flumen Sequanam majores undas voluisse, quò citiùs illa impurorum hominum cadavera evolveret & exoneraret in mare. O felicissimam mulierem Catharinam regis matrem, quæ cùm tot annos admirabili prudentia parique sollicitudine regnum filio, filium regno conservâsset, tum demum secura regnantem filium adspexit. O regis fratres ipsos quoque beatos: quorum alter, cum, qua ætate cæteri vix adhuc arma tractare incipiunt, ea ipse quater commisso prælio fraternos hostes fregisset ac fugâsset, hujus quoque pulcherrimi facti præcipuam gloriam ad se potissimum voluit pertinere; alter, quanquam ætate nondum ad rem militarem idonea erat, tanta tamen est ad virtutem indole, ut neminem nisi fratrem in hoc regendis æquo animo sibi passurus fuerit anteponi. O diem denique illum plenum lætitiæ & hilaritatis, quo tu, Beatissime Pater, hoc ad te nuncio allato, Deo immortali, & divo Hludovico regi, cujus hæc in ipso pervigilio evenerant, gratias acturus, indi-

† Enarrat per declamationem

Et

Etas à te supplicationes pedes obiisti. Quis autem optabilior ad te nuncius adferri poterat? aut nos ipsi quod felicius optare poteramus, principium Pontificatus tui, quàm ut primis illis mensibus tetram illam caliginem, quasi exorto sole, discussam cerneremus? †Hoc ille nobis portendebat ac præsignificabat dissectus draco, gentis tuæ, Beatissime Pater, nobilissimum ac pulcherrimum insigne: fore, ut immanis ille draco, aut illa potius multorum capitum hydra, quæ non paludem aliquam Lernæam: sed potentissimum & opulentissimum regnum tamdiu obsederat, te Pontifice dissecaretur. †Nunc igitur contemplare, quæso, animo novum illum Davidem, cæsi ac prostrati gygantis spoliis ac sanguine decorum: Eumque hilari vultu ad genua tua provolutum, ita tecum loqui existimato: †Ego, Pater sanctissime atque optime, cum majores meos, maximos & potentissimos reges, accepissem omnes usque à Hlodovæo in sinceritate atque integritate religionis Christianæ, ne uno quidem excepto, plus mille annos firmè ac constanter perstitisse: eosdemque præcipua quadam erga Sedem Apostolicam observantia periculisque ac laboribus pro illius defensione adiris, & illud, quo nullum pulchrius est, Christianissimorum nomen, & primarium inter reges Ecclesiæ filios locum consecutus: statim à puero illud mihi proposui, ut eos potiùs, aut adæquare, aut etiam si fieri posset, superare contenderem, quàm committerem, ut non satis respondere traditæ mihi ab illis gloriæ judicarer. Itaque & Pium quintum dum inter homines fuit sanctissimè ac religiosissimè colui;

Alludit ad insignia pontificia.

Rex comparatur Davidi.

præsepe pa-
ia.

colui; & ,eo ad meliorem vitam vocato, cum primùm audivi te in locũ illius esse suffectum, tanto gaudio affectus sum, quantum percipi, aut cogitari maximum potest. † Multa enim jam pridem de tuis in omni genere præclaris virtutibus audiveram, quæ te isto honoris amplissimi fastigio dignissimum reddidissent. Prudentiam, quam nihil fallere: justitiam, quam nihil inflectere; fidem & constantiam erga amicos, quã nulla temporum asperitas imminuere, aut labefactare potuisset. In colendo Deo pietatem sine simulatione; in regendis hominibus severitatem sine superbia; in administrandis negotiis & sine festinatione diligentiam, & sine tarditate gravitatem. Movit etiam me subita illa totius Cardinalium Collegii in decernenda tibi summa potestate consensio: quæ neque sine certa & explorata opinione virtutis tuæ, neq; sine singulari divinæ providentiæ afflatu potuit contigisse. Magna me spes tenet, fore, ut sub tali Pontifice in ovile Christi gentes, & quæ veram religionem nondum acceperunt, aggregentur, & quæ ab ea defecerunt denuo congregentur. Quam ad rem perficiendam omnes meas & regni mei opes tibi libentissimè defero, ea fide, quam rebus in regno meo gestis satis jam & tibi & universo orbi, ut arbitror, approbavi: simulque tibi & APOSTOLICÆ SEDI, QUAM DEBEO OBEDIENTIAM PRÆSTO ATQUE EXHIBEO, ET PRÆSTITURUM ATQUE EXHIBITURUM IN PERPETUUM SPONDEO. Neque dubito fore, ut à te vicissim quæcunque

quæ ad meam & regni mei dignitatem pertinebunt, non tantùm intacta & inviolata conserventur, sed conclusigetiam, ubi occasio tulerit, augeantur. Hæc, quæ tibi Rex ipse, Beatissime Pater, præsens dicere cuperet; quia id non poterat, per hunc illustrem virum Nicolaum Rambolleti Dominum, equidem ordinis regii, unum ex intimis consiliariis suis, custodiarum suarum præfectum, Caroli Cardinalis Rambolletii fratrem & natura & virtute germanum significanda censuit. Quanquam enim facilè intelligebat, hæc eadem te ex præstanti viro, pariq; dignitate prædito Francisco Barone Feralio oratore apud te suo cognituram: non tamen sibi visus est suam in te colendo pietatem satis declaraturus, nisi huius rei causa propriam ad te legationem destinâsset.

DIXI.

De

De utilitate, jucunditate ac præstantia literarum.

ORATIO XXIII.

HABITA ROMÆ XV. KALEND. Novemb. an. clɔ. lɔ. LXXIII.

CUM mihi à summis viris, quorum auctoritate, atque imperio nostra omnium studia diriguntur, mandatum esset, ut hodierno die, quo, ut scitis, more maiorum, noster hic quasi Musarum exercitus quotannis lustrari solet, de præstantia literarum & earum artium quæ literis continentur, aliquid publicè dicerem quo juvenum animi ad earum amorem incitarentur: quod prius facere debueram, sed inconsulto quodã obsequendi studio abreptus non feceram, cœpi oneris susceptí magnitudinem, cum viribus meis sollicitè comparare. Atq; interdum quidem ita ratiocinabar, ut mihi nihil arduum, aut difficile impositum crederem. Nam, ut Cyrenæus poëta facile ait esse omnibus Apollinem laudare, in quo tot, tantaque laudum argumenta sint, ita facile videbatur homini quamlibet infanti atque indisserto laudare eas artes, quas verè ac meritò bonorum fontes nominare possumus. Neq; enim dubitabam, quin omnium concessu multò justius artibus nostris, quam illis, de quibus id Xenophon dixit, honos huius nominis tribueretur.

Orditur ab eo quod difficile sit vere mihi laudare & putabam a-

Facile Apollinem laudare &c.

Cogi-

Cogitabam etiam tum denum in summa me difficultate versaturum fuisse, si eas aut, quod nefas est, vituperare jussus essem: aut earum dignitatem abjicere & extenuare dicendo: nullum enim sane argumentum, quod quidem alicuius momenti esset; ad eam rem reperire potuissem. Quod si Socrates praesente Phædro amorem vituperaturus, facere id non audet, nisi sibi prius pallio caput obnupserit: multò magis verecundari par fuisset, in tanto eruditissimorum hominum coetu declamantem adversus eas artes, quarum omnes dignitatem ac pulchritudinem, ita incensi estis, ut sine earum tractatione ne vitam quidem ipsam jucundam puteris. Nunc, ut idem ille sapientissimus senex factu facile esse ait Athenienses Athenis laudare, quod, quæ quisque amat, ea libentissimè laudari audit: sic & ipse mihi videbar facilem & expeditam provinciam suscepisse commendandi ac celebrandi apud vos ea, quæ vobis omnibus in amoribus ac deliciis esse constaret. Sed interdum occurrebant alia, quæ me commoverent, nec quieto esse ac securo animo sinerent: Nam & in tam ubere ac copiosa materia necesse est, unicuique audientium multa in mentem venire, quæ commodè dici queant: neque fieri potest, ut quodquod omnes cogitant, dicat unus: & ea est hominum natura, ut, cum quis, quod ipse dixisset, id ab eo, qui dicit, omissum videt: non hoc quoque dici potuisse, sed hoc potissimum dici debuisse contendat. Ita dum pro suo quisque captu quid ipse dicturus fuerit cogitat, & alia prope omnia fastidiens, dum id unum dica-

Socrates caput obnubit antequam vituperat.

Facile Athenis laudare.

dicatur, avidè exspectat: quidquid dixeris; semper videberis omisisse præcipua: & omnia communia ac contrita dixisse, quod ea non dixeris, quæ si dixisses, ipsa quoque aliis obsoleta & vulgaria viderentur. Ut melior hac in parte sit eorum conditio, qui aridis, ac sterilibus in argumentis versantur: quorum, sive abundârunt, laudatur ingenium: sive defecerunt materiæ jejunitas accusatur: cùm contrà: ubi ampla dicendi seges est, quidquid allatum est, ubertati materiæ adscribatur, quidquid omissum est, tibi. Comparat aridè et ampliæ materiæ.

† Ego verò quomodo aut quidquam allaturum esse me sperem, quod novitate audientium animos teneat, cùm iis in rebus mea versatura sit oratio, in quibus præstantissima se omnium ætatum ingenia exercuerunt: aut ita dicturum, ut non innumerabiles alii iisdem de rebus ornatius ac copiosius dixerint? † Sed mihi neque valdè laborandum est, ut nova conquiram: non enim cantilenæ sunt hæ, quibus novitas, ut ait Telemachus, conciliat gratiam: sed præcepta, quibus vetustas addit auctoritatem: & si vera, utilia, apta adid quod mihi propositum est, digna huius loci auctoritate, digna vestris auribus arrulero, quibus ea cumque verbis extulero, hoc ipso me satis ornatè dixisse arbitrabor: † Agite igitur, viri præstantes, & cùm aliis nominibus, tum præcipuè harum de quibus dicere ingredior artium cultu & tractatione clarissimi: agite studiosi adolescentes, quorum mollis adhuc, & tenera ætas in ejusdem gloriæ spem, eodem quasi lacte Musarum educatur, cognoscite mecum felicitatem vestram, qui Benevolentiam parat a persona sua. A re ipsa. Allectio ad utilitatem.

instau-

instinctu quodam afflatuque divino ad eas potissimùm artes animum appulistis, quibus, sive quis utilitatem sequatur, nihil fructuosius; sive oblectationem, nihil suavius ac jucundius; sive splendorem ac pulchritudinem, nihil illustrius, aut adstruendam nominis immortalitatem firmius ac stabilius reperiri potest. Nam si veteres illi, qui errore ducti plures esse Deos opinabantur, quem cuique eorum diem consecrârant, eo laudes ipsius commemorare ac concinere solebant: multò nobis justior caussa est, quicunque iisdem honestissimarum artium studiis, quasi quibusdam sacris initiati sumus, cum hic nobis anniversarius dies majorum sapientia & auctoritate, ad intermissam per aliquot menses earum exercitationem de integro repetendam constitutus sit: cur ab earum commendatione principium ducere debeamus, easque celebrare, quas nobis vicissim aliquid celebritatis allaturas esse confidimus. Meminisse autem debemus idcircò hunc sanctum, atque augustum locum ad hanc rem delectum esse, ut & in laudandis artibus Deum ipsum laudemus, qui ut alia omnia bona, ita eas quoque hominum generi dedit: & publicè contestemur, ac profiteamur studia omnia laboresque nostros & Deo auctore, atque auspice suscipi, & ad ipsius gloriam, tanquam ad finem nobis omnibus præcipuè proposítum, referri. Unde igitur, in tanta eorum quæ se ad dicendum offerunt copia, potissimùm exordiar? An ab eo, quod semper apud gravissimos quosque gravissimum fuit, antiquitatis testimonio? Quæ cum artes omnes bonæ sint; nam

nam si quæ male artes dicuntur, immeritò eis artium nomen tribuitur: has tamen nostras proprio ac peculiari nomine bonas artes vocavit; easdemque artes ingenuas, artes liberales: quod alias aut à servis aut ab hominibus servili præditis ingenio exerceri, has unas ab ingenuis ac liberis excoli consentaneum judicaret. Quinetiam cùm Græci earum cognitionem, sua lingua tali quodam vocabulo affecissent, ex quo id modo intelligeretur, statim à pueritia dandam eis operam esse: majores nostri, ut pleraque melius ac sapientius: qui totum hoc artium genus, humanitatem vocarunt: credo, indicantes, non multo minus inter homines talibus disciplinis expolitos & vultus aliorum quam inter cæteros & pecudes intereſſe. Homines enim duabus præcipuè rebus à cæteris animantibus discernimur, ratione, & rationis interprete oratione: quarum utraque in eis qui harum artium expertes sunt, rudis quodammodo & inchoata: qui eas benè penitus combiberunt perfectâ in illis, atq; absoluta est. Aristippus quidem, cùm quæsisset quidam ex eo, quid boni filio suo allatura eruditio esset: Si nihil aliud, hoc certè, inquit, quod in beato lapis in lapide non sedebit. Idemque alteri qui cùm sibi nimium magnam mercedem posci pro institutione filii videretur, dixerat; Ista pecunia servum mihi emere possum. Tu verò, inquit jocans, etiam eo amplius: si unum emeris, duos habebis. Significabat videlicet, quorum collustratus doctrinarum luce non esset animus, eos lapidum, non hominum, aut, si forte inter homines, servorum, non inge-

Discrimen inter homines et cætera animantia.

Aristipp.

Quatuor ætates adolescentiæ.

ingenuorum loco ac numero esse habendos. † Ac mihi quidem hac tota de re cogitanti, quatuor omnino esse vitæ videntur, quarum unam aliquam à principio ætatis capessere, postea persequi prope necesse sit: ex quibus ne dubium quidem esse potest, quin ea, quam, ipsi ingressi estis, longè multumq; aliis omnibus anteponenda videatur. Nam qui ista ætate sunt, partim 1. otio se atque ignaviæ dedunt, mollemque vitam ac voluptariam sequuntur, ii præsertim quibus amplum patrimonium est: partim si augustior sit res, 2. quàm ut nihil agentes ferat, dant se ad artem aliquam faciendam: alii, qui excelsiore sunt animo, 3. armorum tractationem, & militaris rei gloriam si- 4. bi proponunt: alii denique animum ad literas & ad hæc mitiora studia appellunt. † Quid igitur istis turpius aut abiectius, qui torporem ac desidiam amplexi, vitam luxu atque inertia transigunt, nihil agentes quo se homines esse testentur? Qui, ut Phæaces illi Homerici:

In exercitationibus versari desierunt.

Non pugnis, durâve exercent membra palæstra:
Sed mensam & citharæ strepitum, dulcesque choreas.

Strepitum, strepitus, ut ludus, ludi, & ludus, ludi, & ludus, ludi, &

nullum sui vestigium relinquant. † Qui mihi, si Diis placet, quod nihil agant, quasi non pudere parum sit, etiam gloriantur. Alii, inquiunt, in opere occupatè sunt, nobis majorum nostrorum virtute est, unde otiosi lautè splendidèq; vivamus. † Quid majores vestros nominatis? qui si vestri similes fuissent, vos hodie in postremis jaceretis. Si, quales vos estis, tales ipsi fuerunt, indigni sunt qui nominentur: sin alii, vos indigni, qui eos nominetis. At, videte, quantoperè à sapientissimi poëtæ Hesiodi judicio vestra ratio discrepet. Laborem ille & industriam nemini, languorem & ignaviam omnibus turpem esse confirmat. † Præclarè Cicero: Mihi quidem, inquit, qui nihil agit, esse omninò non videtur. Nam & Physici docent; quæ cuique rei causa est, ut sit, eandem ei esse causam ut aliquid agat. † Sed omittamus hos molles & delicatos, neque eos ex somno, cui tam libenter indulgent, excitemus: teneamusq; id quod à sapientissimis viris proditum est, nihil esse inertia fœdius: otio ali vitia: otium, † ut non gravissimus poeta gravissimè tamen cecinit Catullus, † non privatis modò hominibus, sed & regibus, & prius beatis urbibus exitii causam fuisse. Cùm igitur otiosa & ignava vita ne vita quidem habenda sit, videamus, num ad aliquam potius aliarum artium, quàm ad literas, animum adjicere præstet. † Equidem cùm mente ac cogitatione perlustro eas artes, quibus cum hisce studiis nostris, aut nulla, aut non magna communio est, ex iis quidem quæ ita necessariæ sunt, † ut eis civitas nullo modo carere possit, duas præcipuas judico, agricul-

per prosopopœiam contrationem profert.

Recensio partis contrariæ positum.

Hesiodo

Confirmat auctoritate Ciceronis & physicorum

Ignavis aim jvenal

Traduchio

Otium.

Adiaphora inter artes primas ferri

Artes civiles necessariæ.

turam, & mercaturam: exius autem, quæ ad ornamentum civitatis, & ad animos honesta voluptate perfundendos pertinent, duas minimè sordidas, minimèque illiberales, picturam, & statuariam. † Nam quod boni unaquæque civitas percipere ex suo & patrio solo potest, id agricultura educit, atque elicit; † quo eget, id aliunde mercatura importat. Ita civitas sive alterius ope ne suis quidem opibus fruitur; alterius beneficio, fruitur etiam alienis. † Pictorum autem & statuariorum opera & voluptatis atque admirationis habent plurimum, & quæ liberalium artium nota est, ingenii, non corporis, viribus constant: & ad conservandam clarorum virorum memoriam, ceteroqui ad eorum imitationem incitandos non immerito magnam vim habere creduntur. Sed tamen quis ausit harum artium ullam cum literarum studio comparare? Nisi forte maius est agrum, quàm ingenium, colere, aut jacta in terram semina, depactive surculi, quam ingenia præceptis Philosophiæ consita, ampliores, aut uberiores fructus ferunt. † Mercatura autem vel si tenuis est, sordida est: vel si ampla, tot exposita periculis: ut merito ille olim Laco negaverit, optabilem sibi videri fortunam, quæ rudentibus apta esset: cuiusmodi autem sit, tota ferè ad quæstum, & ad lucrum refertur. At literarum tractatio & dignitatis plenissima est, & quietis; & eas opes consectatur, quæ nec furem, nec prædonem timent, nec incendiis, ruinis, naufragiis obnoxiæ sunt, nec ullis denique casibus eripi possunt. † Iam verò quæ Apellis aut Protogenis tabulæ, cum Homeri pictura quæ Phidiæ, aut

aut Praxitelis statuæ cum litterarum monumentis conferri queant? Quos ipsos hodie ignoraremus, nisi solidiorè ac diuturniorem gloriam essent commendatione scriptorum, quàm artis suæ operibus, consecuti. Nam quæ illi artificio suo elaborârant, & solius corporis effigiem exprimebant, & uno tantùm spectabantur in loco, & eam naturam habebant, ut ea, si nihil aliud, ipsa certe longinquitas temporis confectura, ac consumptura esset. At eruditorum hominum lucubrationes, & clarorum virorum non formam modò corporis, sed ingenia, mores, consilia, res gestas, subjiciunt oculis, & iisdem: quibus orbis ipse terrarum, terminis, ac regionibus continentur, & tantam vim habent, ut illa ipsa aliorum omnium humanorum operum confectrix vetustas his unis non modò nihil detrahat, sed majorem indies comparat, ac conciliet dignitatem. Trecentas sexaginta Demetrio Phalereo statuas æreas populus Athenienſis anno uno, eoque non toto posuerat: quibus omnibus DEMETRIUS ipse superstes fuit. At quæ ipse sibi monumenta ingenii ac doctrinæ magnitudine exstruxerat, ea & multis post ipsum seculis viguerunt; &, cum postea densa quædam & opaca nox omnem prope disciplinarum lucem exstinxisset, ex oculis erepta, incredibile desiderium sui in omnium eruditorum animis reliquerunt. Elatè & magnificè de se, ut solet, Pindarus, sed tamen verè. Statuarium esse se negat, quæ mutas statuas edolet una defixas in basi: sed quos ipse cantibus suis celebret, eorum famam, terra

merique spargi ac disseminari. † Sed erunt fortasse qui vitam militarem huic nostræ pacatæ, atque umbratili anteponendam putent. Mihi quidem fortium virorum virtutem detrectare, aut conari, ut quidquam ex eorum gloria deteram, neque propositum est, neque fas videtur. Potius omnibus, qui dicendo aliquid possunt, omnem industriam ad eos celebrandos conferendam censeo: & hoc ipsum numero inter præcipua bona, quæ ab artibus nostris in vitam hominum manant: quod earum ope præclara illorum facinora ad immortalem posteritatis memoriam consecrantur. † Sed tamen si quis secum in animo reputet, quæ vita sit eius hominis, qui, modicis opibus instructus, in literarum studio molliter ac placidè consenescat, & quæ eius, qui ab adolescentia armis tractandis assuetus, sub dio sæpius, quàm sub tecto, sub pellibus sæpius, quàm domi somnum capiat, vix dubium fore arbitrer, utra melior & magis expetenda sit. Alterius aures tubarum & lituorum, & cornuum clangore, alterius Musarum concentu, & Apollinis fidibus assidue personant: illius oculi cæde & sanguine, & incendiis; huius admirabilium naturæ operum aspectu & contemplatione pascuntur. Ille aut in ipso ætatis flore hostili gladio transverberatur, aut mancos ac debiles artus & insignem cicatricibus vultum referens domum redit: hic ut animo ita & corpore integer, vultum, nisi quantum rugæ canæ venerationis addiderunt, etiam nutrici agnoscendum præbet ad ultimum senectutem. † Neque vero minus gloriosa, aut minus hominum generi

neri fructuosa hujus quàm illius opera. Occupatur ille in finibus imperii proferendis, hic in finibus cupiditatum regendis & coërcendis: novit ille quemadmodum urbes expugnentur, hic quemadmodum gubernentur: ille quemadmodum injuria aut repellatur, aut reponatur: hic quemadmodum & accipiatur æquo animo, & negligatur? dicet ille, quàm multos homines manibus suis trucidaverit: hic quàm multos à cæde facienda, oratione sua revocaverit: ille quàm multos in servitutem abduxerit, hic quàm multos à servitute vitiorum in veram libertatem perduxerit: illius usus nisi in bello nullus est, hujus opera, & in bello, & in pace salutaris. Itaque si homines inter se amicè ac concorditer viverent, si Dei ac naturæ jussa sequerentur, si denique, ii essent, qui esse deberent, jacerent omnes artes belli, ut quarum inter justos justus usus esse non possit, nostra verò tum demum florerent, ac vigerent, tum demum eas optimus quisque summa corporis & animi contentione sequeretur. Neque verò quemquam ita esse arbitror sanguinarium, cui non præoptanda videatur nullius empta lacrumis gloria, neque ullo, nisi puro illo ac limpido Agamippes rore irrigata, quàm tabo & cruore oblita & multa strage ac cladibus comparata. Multa consulto prætereo: quòd mihi, non tàm, & copiam & varietatem consectari, laborandum est, quàm ut effugiam satietatem. Quis enim unquam tanta ubertate ingenii, tanta dicendi copia præditus reperietur qui litteras ita laudare possit, ut non semper, cùm plurima dixerit, plura tamen omisisse videatur?

deatur? Omnia quæ homines in vita expetunt, cuiusque tandem generis illa sint, nulla re certius, aut facilius, quàm eruditione ac litteris, acquiri, conservari, amplificari queunt. † Est qui rei familiaris angustia pressus, ex ea expedire se, & ad moderatas opes: sine ulla turpitudine, pervenire cupiat? Quæ ad id conficiendum via aut honestior, aut expeditior, aut facilior est? Quam multos ex tenui & exili patrimonio, aut juris scientia, aut medendi arte fretos, ut eas potissimùm nominemus, paucis annis ad maximas divitias pervenire vidistis? Nam quod plerique vulgato jam proverbio dictitant ex omni notarum artium numero duas modò illas fructuosas esse ac fructuosas, cæteras cultoribus suis decoquere, ac decollare: in eo vanitatis illos, ac mendacii facilè res ipsa coarguit. † Nota est historia de Thalete Milesio, qui cùm à propinquis objurgaretur, quod omne tempus in sapientiæ studio ponerent, quod adfaciendam pecuniam, in qua illi posita putabant omnia, nulli usui esset: vultis, inquit, ostendam vobis, posse hominem huic studio deditum, si ei commodum sit, divitem fieri, & hanc esse, si quis velit, ad quæstum ac compendium vel maximè compendiariam viam? Cùm illi se velle dixissent, homo, qui ex astrorum scientia, magnam eo anno olearum ubertatem prævideret fore, multò antè exiguo pretio cùm contrà licitaretur nemo, omnia Chiorum, ac Milesiorum prela ac trapeta conduxit: quæ cùm postea suo tempore, quanti voluit, elocâsset, magnamque ex eo vim pecuniæ collegisset, ostendit Philosophos non tam rem face-

facere non posse, quàm majoribus, ac præstantioribus cogitationibus occupatos de ea faciendâ non laborare. † Quid Leontinus Gorgias? nonne Rhetorices professione, & maximas sibi divitias peperit, & tantam gloriam, ut ei vivo ac videnti honoris ergò aurea statua in Apollinis Pythii templo constituta sit? † Quid ille qui eloquentiæ quasi mercator, atque opifex quidam habitus est Isocrates? non & summa gloria fuit, & iis opibus, ut ter ad trierarchiam vocatus, cùm eam his effugisset, ad postremam splendidissimè ac magnificentissimè obierit? ad eam autem non fere nisi opulentissimus quisque ac locupletissimus adigebatur. † Neque mendicus erat, optimus pessimi principis magister Seneca, neque de jure consulebatur. Et tamen quantam sibi opum vim homo externus, & alienigena eloquentiâ & eruditione confecit? Scio, hoc, quod dicam quibusdam incredibile visum iri. Sed tamen si vera sunt, quæ literis prodita sunt, haud scio an ullus hodie totâ Italiâ Princeps tantas opes habeat, quantas in Senecam quadriennio Nero congessit. † Nam cùm ex veteribus illis Romanis M. Crassius opulentissimus fuisse dicatur: Senecæ opes Crassi opibus duplo maiores fuerunt. † Prope est ut pigeat, in hac parte tamdiu immoratum esse: sed tamen dicendum fuit aliquid adversùs stultitiam eorum, qui ajunt, si quis juris scientiam, & artem medendi excipiat, cæterarum artium nostrarum sterilem esse culturam. Qui error ex eo potissimùm natus est, quod doctrinæ mediocritas magnos efferre fructus non potest. Itaq; excellendum est iis, qui magna

magna & præclara concupiverunt. At nos simul atque paulum ultra prima elementa progressi sumus, falsa de nobis opinione tumefacti, quia non in nos continuo opes, & honores congeruntur, jacere literas clamitamus. † Non jacent literæ: non jacent: neque jacuerunt unquam: &, si antea jacuissent, GREGORIO XIII. Pontifice non jacebunt. An ille, cùm & omni doctrina instructissimus sit, & ad illos veteres atque usitatos nostros & literarum patronos † Iohannem Moronum sacrosancti Collegii Decanum, prisce majestatis absolutissimum exemplar, cujus in ipso nutu plurimum auctoritatis residet, cujus è vultu ipso, atque oculis elucet gravitas humanitate condita: Aloysium Cornelium Camerarium, hominem plenum officii, & ad omnium animos ac voluntates devinciendas ipsis Gratiarum manibus factum: & illa duo ornamenta sæculi, firmamenta literarum, domicilia virtutis, & eruditionis, Gulielmum Sirletum & Franciscum Alciatum, & eos igitur, quorum jampridem in fide, ac clientela eramus, cùm proxime eum, quem pleno gradu per sua vestigia incedentem videt, quemque optimo jure cordi suo charissimum habet, fratris filium PHILIPPVM S. SIXTI Cardinalem addiderit, eumque florentis ætatis commendationem à literarum patrocinio ducere voluerit: qui tali argumento declarârit voluntatem erga nos suam, is, metuimus, ne literæ aut egere, aut jacere patiatur? † Sed ut unde digressus sum redeã, atq; id quod instituí absolvã: & ad facultates ac copias sine dedecore parandas accommodate

modatæ sunt literæ, & multò magis colendæ iis, qui opibus abundant: ne, si id facere neglexerint, instrumentis sibi à Deo ad virtutem datis per inertiam abusi esse dicantur. Eademq; ratio est & eorum quibus clari, & eorum quibus obscuri parentes obtigerunt. Nam neque illi ullo majori, aut illustriori ornamento condecorare, & (ut Homeri verbo utar) coronare possunt nobilitatem à majoribus acceptam: neque hi ex tenebris ulla ratione facilius mergere, seque in lucem atque in oculis omnium collocatus, à contemptu, atque ab oblivione in perpetuum vindicare. Rex erat ac Regis filius Alexander Macedo: & viam sibi ad summam claritatem ac potentiam armis quotidie muniebat. At is & plus se debere Aristoteli, à quo eruditus, quàm Philippo, à quo genitus fuerat, & cujus in regnum successerat, prædicabat: & (cùm ab illo divulgatos esse libros quosdam arduis de rebus scriptos accepisset, ægrè tulit; ac generosa quadam indignatione motus, epistolam ad eum scripsit, in qua hæc verba sunt: Nam qua re post hæc cæteris præstabimus, si quæ à te edocti sumus, ea omnium communia erunt? Ego autem malim optimarum rerum scientia, quàm opibus & potentia cæteris anteire. Hæc igitur ille regum stirpe ac sanguine editus. Obscurissimo autem genere ortos quam multos nominare possumus, quos supra omnes omnium famosas imagines literæ collocârunt? Obstetricis filius erat Socrates. Num igitur eo Alcibiades nobilior? Euripidis matrem vendendis oleribus vitam tolerâsse accepimus. At ipse & regum familiaritate usus est, & ita clarus

rus fuit, ut hodie magis Archelaus ex Euripidis, quã Euripides ex Archelai familiaritate noscatur. Tympanistria fuit Æschinis mater, etiam si Demosthenem credimus, vulgati corporis. At eum Rex Macedonum Philippus quantoperè coluit? Quid tibicinis filius Pindarus? quanta ingratia apud Syracusarum Regem Hieronem fuit? Sed quid huius rei plura exempla conquiram? Signantur eruditorum hominum nominibus tempora: ut minus sæpe, quibus illi regnantibus vixerint, quàm qui eis florentibus regnaverint, quærere soleamus. Neque tamen hæc præcipua sunt eorum bonorum, quæ percipiuntur ex literis: sunt alia longè majora longeque diviniora. Literæ inditos nobis à natura honestatis igniculos excitant: luxuriantes quasique frutricantes cupiditates stringunt ac coërcent, easque rationis finibus regunt: abducunt à vitiis, duces & magistræ sunt ad virtutem: prosperis in rebus ornamento sunt, solatio adversis: neque illis exsultare atque efferri suos, neque frangi ac deprimi sinunt: eam denique tranquillitatem animi efficiunt, quam multi finem bonorum esse dixerunt. Crates quidem Thebanus interrogatus, quid sibi superesset ex Philosophiæ studio, notissimo versu respondisse dicitur; Choenix lupinum & mentis à curis quies. O magnum & excelso animo præditum virum. Quod aliis regna & imperia non adferunt, ut soluto ac libro animo sint, id ipsi propter literarum & Philosophiæ commercium choenix lupinorum adferebat. Quod si tam multa tamque præclara bona literis ac disciplinis continen-

vinentur: si ipsis nominibus ac vocabulis testata est vetustas, earum cognitionem & hominibus, & liberis atque ingenuis hominibus dignissimam esse: si & ignava vita homine indigna est: & nullo in studio melius, quàm in literis industria collocari potest: si ad opes ac potentiam, si ad honores ac dignitates via optimè literis sternitur: si eisdem & animi tranquillitas, & nominis æternitas comparatur: quid statis, adolescentes, aut cur oblatam vobis tanti boni consequendi occasionem effugere atque evolare patimini? cur non aliis omnibus curis & cogitationibus ex animo abjectis atque abditatis, in hanc unam toto pectore incumbitis? Non hoc sedendi, ut ait Bachylides, ac cunctandi tempus est. Non enim ex plano ac facili gloria hæc petitur, neque lata, ut ait Propertius, via currere ad Musas datur. Non frustra eas antiqui in arduo atque edito monte habitare dixerunt: Laborem & sudorem & vigilias in earum atrio ac vestibulo excubare voluit Deus: qui, ut dicebat Epicharmus, labore omnia prope bona hominibus venalia proposuit. Ego autem, ut liberè vobiscum agam, valde vereor, ne, cùm plerisque vestrûm alia omnia abunde sint, mollitia multi & laboris odio à studiis avocentur. Itaque quibus verbis Homerica Pallas Nausicaanè somno excitat, quam segnem, & ignavam vocat, quod vestes magni pretii sibi emptas à parentibus neglectui habeat, easq; illatas ac sordidas jacere patiatur: surgere igitur eam jubet, & ad eas abluendas cum prima luce proficisci, præsertim cùm instet tempus nuptiarum: iisdem meritò

Apostrophe ad juvenes cohortatione.

Addenda non dyabolum non convertit.

meretò multos è vobis aliquis quotidie objurgaverit. Surge quamprimùm miser, & ex animo torporem atque ignaviam excute. Quid tu istud ingenium, quod tibi à communi omnium parente Deo, multò qualibet veste pretiosus datum est, situ ac sordibus obsolescere, quasiq; rubigine obduci pateris? cur non potius diluculo ad illos proficiscèris omnibus obvios & expositos doctrinarum fontes, quibus te mersans, ex quibus arbitratu tuo hauriens, pectus & purgatum vitiorum maculis, & multa præclarissimarum rerum cognitione madidum referas? Præsertim cum puerulus amplius non sis sed ea jam appropinquet ætas, qua tibi in lucem atq; in conspectum hominum prodeundum est. Hinc enim demum multò magis quàm unde illa dicit, & tibi paries gloriam, & parentum pectus gaudio lætitiaq; compleris. Sed jam longior, quàm par erat, fui. Cogitate, obsecro vos, languidis ac remissis omnia difficilia, navis & industriis omnia pervia, ac facilia esse. Deus optimus maximus, cui quæcunq; hìc acta dictaq; sunt, grata & accepta esse cupio, vobis omnibus eum animum inspiret, ut hæc, ad quæ vos hortatus sum, tam sequi velitis, quàm consequi potestis.

Deprecatio.

DIXI.

ORA-

ORATIO XXIV.

HABITA ROMÆ ANNO CIↃ. IↃ. LXXIV.

In funere Caroli IX. Galliorum Regis.

HOc igitur unum restabat adflictis ac penè prostratis infelicis Galliæ rebus, ut CAROLVS Rex, quo se illa recreabat ac solabatur uno, de quo cogitans, in quem intuës, omnium quas excepit acerbitatum memoriam deponebat, cùm bonorum animos ad aliquam spem quietis erigere cœpisset, in ipso incuntis adolescentiæ flore, acerba atq; immatura morte raperetur? O fallaces hominum spes. O incerta vota. O lubrica & ancipitia humanæ vitæ curricula. Meritò lachrymis oculi omnium madent: meritò omnia planctibus gemitibusque circumsonant: meritò undique querelæ & lamentationes exaudiuntur. Tu ipse, Beatissime Pater, cuius & in prosperis rebus spectata moderatio est, & in adversis animi magnitudo, in tanto casu cohibere dolorem non potes: quasq; lachrymas gravitas & constantia retinere ac frenare consueverat, eas nobilissimi omnium Regni miseratio, & paterna caritas elicit. Planeque aliis in rebus querenda est fortitudinis ac constantiæ laus: in tam gravi vulnere, tam dubiis ac formidolosis Christianæ Reipublicæ temporibus accepto, immanis quædam duritia esset, non flere, non ingemiscere, non commoveri. Qualem enim, quantumq; Regem, & quanta, non dicam in-

Exordium ab ruptum per Elanabiones.

Flere.

Laudat Regis animum.

dole, quod tamen in homine adolescente satis esse videretur; sed quanta omnium regiarum virtutum copia præditum amisimus? Quem cùm divina providentia, annos natum non amplius decem, in illo celsissimo majorum suorum solio collocasset: quantas ille jam tum, quamque crebras, in illa ætate, quæ nihil cogitare, nihil loqui, nisi leve, ac ludicrum solet, inusitatæ cuiusdam & inauditæ prudentiæ significationes dedit? Incredibile dictu est, quàm sæpe ille in deliberationibus publicis sapientissimorum senum sententias puerulus anteverterit, quæque illi dicere in animo habebant, ea prior ipse protulerit: nemo ut esset, cui non, in tanta annorum immaturitate, tanta mentis, & consilii maturitas divinum potius quiddam quàm humanum, videretur. Est certè, est aliqua vis originis ac sanguinis: quosque magnis ac nobilibus populis rectores destinavit prepotens ille rerum omnium moderator Deus, in eis plerumque virtus non exspectat annos: sapientiæque semina eorum animi & comprehendunt facilius, & tempestiviùs adolescunt. Iam quæ laus in filiis præcipua est, reverentia adversus parentes, & eorum præceptis ac monitis obtemperatio, ea ille ità præstitit, ut nunquam omnino neque privatis, neque publicis in rebus voluntas ipsius à sapientissimæ matris consilio discrepârit: Quid? in fratres quanta, quamque se omni ex parte prodens caritas? Quod & semper aliâs cognitum est, & proximè cum ab HENRICI Regis in Poloniam profitiscentis amplexu avelli non poterat, sequè à vita relinqui, quod

ab

ab eo relinqueretur, putabat. † De pietate autem in Deum; & de ardentissimo studio, quod semper habuit conservandæ ac propagandæ CATHOLICÆ RELIGIONIS, quid ego nunc plura & prædicem, aut quid res in omne ævum omnium scriptorum ingenia fatigaturas exornare in hac mediocritate ingenii, & in his temporis angustiis coner? Cui enim ignotum est, aut cui notius, quàm tibi, Beatissime Pater, vobisque omnibus, Patres amplissimi, quos ille labores pertulerit, quibus difficultatibus conflictatus sit, quæ pericula subierit, quibus damnis se, Regnumque suum sponte multaverit, dum quidvis satius esse ducit, quàm ut quidquam in Gallia, se vivo, de Christianæ Religionis integritate minueretur? Qui quot annos regnavit, totidem continenter pro fidei defensione pugnavit. † Etenim tetra illa natio perditorum ac profligatorum hominum, qui fraudibus ac mendaciis suis nuper delapsæ de cœlo & sibi solis patefactæ veritatis nomen obtendunt: qui, quòd ad legem Dei, cupiditates suas dirigere gravantur, legem Dei ad cupiditates suas detorquere conantur: quorum conspirationes sub HENRICO II. initæ, sub FRANCISCO II. leviter patefactæ, susceptis à CAROLO Regni habenis, apertè se ac propalam effundentes, florentissimum, dum per illos licuit, Galliæ Regnum omni scelere ac crudelitate lacerárunt, non tam id agebat, quanquam id quoque, ut Regiam auctoritatem convelleret, quàm ut Regnum ab Ecclesiæ communione divelleret. At ille generosi seminis adolescens, qui amorem DEI &

Ecclesiæ cum ipso nutricis lacte suxisset, totaque mente penitus combibisset, articulatim se priùs concidi ac comminui passus esset, quàm à recta illa regula patriæ & avitæ religionis abduci. Itaque dum purgare Regnum suum illis pestibus nititur, dum illius hydræ & in suam & aliorum pernicem contumacis assiduè renascentia capita amputare conatur: quatuordecim, tot enim regnavit annos in perpetuis bellorum fluctibus: & in perpetua Regni ac vitæ suæ dimicatione transegit. Ut, nisi pulcherrimum illud CHRISTIANISSIMI cognomen à maioribus suis hereditarium accepisset, id ipse sibi posterisq; suis sua virtute peperisset. Quin etiam cùm capitales quidam ac nefarii homines dicerent, facilem ei esse & expeditam viam non modò ad pacandum Regnum suum, sed etiam ad fines illius sine ullo labore amplificandos ac proferendos si remittere aliquid de tanto illo vetustæ religionis conservandæ studio vellet: magno animo aversatus ac detestatus illorum consilia, omnes sibi coronas, omnia regna, omnia imperia sordere dixit præ illa immortalitatis corona, quam sibi in cœlo repositam esse confideret. Cumq; eum exaggeranda hostium multitudine ac viribus perterrefacere vellent: Dominus, inquit, Dominus ipse eos interficiet spiritu oris sui. Prope supervacaneum videri potest, cum de tam Christiano Principe verba faciam, quanta illius erga sedem Apostolicam observantia fuerit dicere. Quò enim quisq; Christum ipsum sanctius & religiosius colit, eò studiosius & magis ex animo Vicarios ipsius colat, necesse est. Quo modo ille de Pio V.

cuius

cuius memoria in benedictione est, & sentiebat, & loquebatur? Quem sibi non hominem, sed angelum quendam humana inter mortales specie versantem videri dicebat: cuius monitus tanquam cœlestia quædam oracula reverebatur. Nam de te, Beatissime Pater, qui successor illius omnium votis expetitus, divino consilio delectus, tam subita tamque admirabili totius sacrosancti Collegii consensione declaratus es, quam magnifice in omni sermone prædicare solitus esset, dicerem: si quam facile præstas, ut ab omnibus uno ore laudaris, tam libenter eos, à quibus laudaris, audires. His ille artibus ita sibi bonorum omnium animos voluntatesque devinxerat, ut, quanquam ex eius ætate & temperatione corporis, probabiliter sperare poterant, diu se illius virtute fruituros; cuperent tamen omnes, si fieri potuisset, partem aliquam vitæ suæ conferre ac contribuere, & annis suis vitam illius prorogare. Sed nihil in humanis rebus firmum, nihil stabile, nihil diuturnum reperiri potest. Dum condocefacere nos vult Deus, terram nobis, non pro domicilio, sed pro diversorio datã: hanc, quæ vita dicitur, non tam vitam esse, quàm iter ad vitam: in cœlo, non in terra, nobis esse spem defigendam ac collocandam, agitat omnia arbitratu suo, & quæ solida ac firmis nixa radicibus putantur, ea momento temporis vertit. Cùm vexata tot calamitatibus Gallia paulum tolleret oculos, & DEI ac Regis sui per duellibus partim fractis ac domitis, partim captis ac comprehensis, tandem aliquando se post tot mala respiraturam sperare inciperet: ec-

ce tibi lenta † & omnem fallens medicorum industri-
am febris, vires adolescentis immortalitate digni, &
nati ad relinquendum omnibus bonis perpetuum desi-
derium sui, ita paulatim attrivit ac labefactavit,
ut ad postremum inevitabilem ei attulerit exhac vi-
ta migrandi necessitatem. Quod ubi percrebuit, † qui
sum plangor omnium, quae comploratione, quae la-
mentationes fuerunt? † Alius sibi scindebat capillum,
alius laterabat genas, alius pectus & humeros crebris
ictibus verberabat; alii interire amores ac delicias
Galliae, alii cadere columen religionis, alii Catholi-
corũ praesidium, dejici, alii alia, quae diversis diversa,
non diversus suggerebat dolor, miserabiliter quere-
bantur. † Ipse unus interritus, & equissimo animo exi-
tum divinae voluntatis exspectans, cùm matrem, uxo-
rem, fratrem, ceterosq; propinquos ad se convocari
jussisset: primùm quidem Sacramenta, quibus mori-
turi praemuniri, & Deo conciliari solent, omnia &
popposcit, & magna cum animi summissione ac divi-
nae majestatis veneratione suscepit: deinde verò con-
testatus, eò tantùm sibi molestum esse mortem, quod
fratrem suum, tum Poloniae, mox etiam Galliae Re-
gem futurum, moriens complecti non posset: ceteroquì
gaudere se, quòd tantum successorem habiturus esset,
cujus singulari & tot jam documentis comprobata
virtute non dubitaret fore, ut res Gallica feliciter com-
ponerentur: interea obtestari, atque obsecrare ma-
trem, ut regni Gubernacula susciperet, quaque pru-
dentia Regnum sibi tot annos conservasset, eadem
fratri suo conservaret: sese jam tunc omnem po-
testa-

testatem regiam in eam, usque ad fratris reditum, transferre: hortari cæteros, ut ipsius primùm deinde fratris, cùm revertisset, imperio amanter ac fideliter obtemperarent: præcipuè autem, ne quid unquam prius, aut antiquius haberent conservatione Catholicæ religionis: ex ea bona omnia fluere; ea neglecta collabi ac concidere omnia. † Sed jam valete, inquit, & mei memores este. Ego enim ad Deum vocor: quem ut æquiorem ac placabiliorem peccatis meis judicem experiar, vestris me omnium adjuvari precibus postulo. Hæc fatus, deficiente jam, & moribunda voce, tuum CHRISTE JESV nomen invocans, tuum sanctissima Virgo apud filium opem implorans, ad vos, ut confidimus evolavit. Ac, si quidem ipsum spectemus gratulari ei potius quàm lugere debemus. Regnum enim terrestre cœlesti, laborem quiete mortalitatem immortalitate mutavit. † Quod mortuus est, humanæ fragilitatis est; quod ita mortuus, divinæ cujusdam felicitatis. Bonum certamen certavit: cursum consummavit, fidem servavit. Aut jam coronavit eum Deus, aut brevi, tuis, Beatissime Pater, & totius Ecclesiæ precibus adductus, coronabit corona justitiæ, quam promisit diligentibus se. At illam tot Regum matrem, toties jam custodem ac conservatricem Regni, ipsa sua felicitate miserandam quo nunc, quo tandem esse animo creditis? Quæ ex summis honoribus summos dolores consecuta, ter jam, & in viro & in duobus filiis mortua, vitæ suæ superstes, toties ore suo eorum clausit oculos, à quibus claudi cupiebat suos: tam sæpè eis officia præsti-

tit: quæ sibi ab eis præstari maluisset. Quid illa fortissimarum domina gentium Gallia? quæ sibi eodem funere cum Rege suo efferri visa est: quæ jacet adhuc perculsa & attonita tanto vulnere, metuens, ne, illius atrocitate, etiam illa, quæ consanuisse videbantur, recrudescant. Pro Deus optime maxime, etiam cum ulciscēris, benefice: etiam cum pœnas exigis misericors: quibus tam gravibus culpis tam diuturnam in se iram tuam Gallia provocavit? Quatuordecim jam anni sunt: & eò amplius, cùm illud potentissimum & memoria nostra florentissimum Regnum perpetua bellorum civilium serie ita & ab alienis & suis vexatur, ac diripitur, ut de eo jam dici possit, quod scriptum est apud Prophetam: Residuum eruca comedit locusta: & residuum locustæ comedit bruchus: & residuum bruchi comedit rubigo. Atque ut magis intelligatur, id divina ultione fieri, quoties inibi esse videtur, ut jam jamque componantur ac tranquillentur omnia, in ipso, ut ita dicam, portu frangitur navis. Properarat HENRICVS II. pacem cum PHILIPPO Rege Catholico quibuslibet conditionibus facere, ut expeditus belli curis, huius mali nascentis semina eliderēt. In ipso eius rei conatu ac molitione, inopinata morte sublatus est. Sub FRANCISCO II. conspiratione detecta, spes objecta erat fore, ut, paucorum supplicio cæterorum audacia in perpetuum reprimeretur: Antè ipse mortuus est, quàm de sontibus comprehensis supplicium sumeretur. Nunc nuper eò rem perduxerat CAROLVS IX. ut omnes instare finem malorum existimarent. Aliter

ter Deo visum est: qui HENRICO III. Galliæ & Poloniæ Regi, quem tam multis tamq; illustribus argumentis sibi charissimum esse declaravit, hanc felicitatem, ut speramus, reservare maluit. Neq; dubium est, hoc ita eventurum, si omnes nos à vitiis nostris aversi, quæ Dei placandi certissima ratio est, tota mente convertamur ad Deum, eumq; assiduè obsecremus, ut compescat iram suam: &, quando CAROLVM in sinum, ut speramus, suum excepit, HENRICI III. ductu, sub GREGERIO XIII. raptores quidem lupos interfici; oves autem, quæ aberrârunt, in ovile suum reduci velit. Ita eveniat, Domine IESV, cui laus omnis & gloria debetur in omnem æternitatem. DIXI.

ORATIO XXV.

AD S. D. GREGORIUM XIII. PONT. MAX. NOMINE HENRICI III. GALLIÆ ET POLONIÆ Regis, habita Romæ in Consistorio publico, LUDOVICO CASTANÆO RUSBIPOCÆO, Equite Ordinis Regii, viro illustri, ejusdem Regis nomine obedientiam præstante, VIII. Kalend. Quinctil. anno cIↃ. IↃ. LXXVI.

GRATVS quidem ac jucundus tibi esse debet, BEATISSIME PATER, eorum omnium Legatorum adventus, qui huc

à Christianissimis Principibus mittuntur : tum ut tibi summum in terris honorem gratulentur : tum, multò magis, ut se Christo & tibi ut par est obedire, manere in officio, præstare in fide, & vires, & copias suas ad Apostolicæ Sedis defensionem semper promptas ac paratas & esse & fore profiteantur. Nam & ex illa ipsa divinitus tibi delata dignitate, majorem à te capi jucunditatis fructum necesse est, cùm ea cæteros quoque lætari perspicis : neque tibi, qui communis Christianorum omnium Pater es, ulla ex re verius ac solidius gaudium objici potest, quàm cùm filios dignitatis tuæ studiosos, auctoritati tuæ deditos, præceptis ac monitis tuis obtemperandi cupidos videas. Sed tamen omnibus seculis ea Gallorum Regum in Pont. Max. asperrimis ac difficillimis temporibus promerita fuerunt, ut multis nominibus eorum & studium atque obsequium præcipua quadam caritate complectendum, & legati æquissimis animis audiendi, & dicta, factaque omnia singulari quadam paternæ voluntatis propensione in optimam partem accipienda videantur. Quoties enim in hoc amplissimo nobilissimóque consessu Reges Galliæ nominantur, toties in omnium animis memoria renovatur, & officiorum, quæ illi longè plurima, longéque maxima in hanc sanctam Sedem contulerunt : & honorum quos ab ea vicissim eximios pro sua in eam eximia pietate retulerunt. Si quis autem Rex unquam fuit, qui propter virtutis ac rerum gestarum magnitudinem exquisitissimis honoribus afficiendus esset : eum se jam nunc in ipso adolescentiæ

tiæ flore HENRICUS TERTIUS Galliæ & Poloniæ Rex præbuit, nihil ut de eo tam honorificè dici possit, quin idjam pridem virtus ipsius in omni genere spectata superârit. Quo te libentius acceptûrum esse confidimus eam fidem, venerationem, obedientiam, quam talis tantusque Rex hodierno die perclarissimum & omni laude cumulatissimum virum, Ludovicum Castanæum Russipozæum, Equitem ordinis Regii, Oratorem ad te suum, tibi, BEATISSIME PATER, & Sedi Apostolicæ præstat. Cujus enim Regis nomen à summo Ecclesiæ Pastore & gubernatore, audiri libentius debet, quàm eius qui cùm hereditario jure principem inter Christianos Reges locum majorum suorum virtute parium, obtineat, ita per eorum vestigia graditur, ut quantum ab eis omnibus splendoris accepit, tantundem ipse unus facilè afferat universis? qui cùm adhuc adolescentulus ac propè puer esset, ita sæpè, ita fortiter, ita feliciter adversus hostes Ecclesiæ dimicavit, ut eorum astus consilio eluserit, temeritatem virtute domuerit, pertinaciam constantia fregerit. Quàm sæpè eo sibi per hostilos cuneos omnia ferro pervia faciente, ex hostium ipsorum tanta, tamque præmaturæ virtutis admiratione defixorum manibus tela irrita acciderunt? Quam sæpè eminus ab eis petitus ita mirabiliter servatus est, ut Deus ipse sua manu ictus in eum directos depellere, & telis ac tormentis vim nocendi adimere videretur? At ille laudis & gloriæ cupidus, vitæ ac sanguinis prodigus, Dei memor, immemor sui, in victoria salutem, in virtute victoriam,

riam, in vita ob talem caussam in omne discrimen exponenda virtutem positam judicabat. Itaque cùm generosissimi adolescentis non jam prælia, sed victoria, ac triumphi numerarentur, jamque totum terrarum orbem tam inusitatæ tamque inauditæ virtutis fama peragrâsset: fortissima ac bellicosissima Polonorum gens eum sibi Regem concordibus suffragiis adoptavit. Quo ille nuncio abstractus, ab ingentibus, ac penè ad exitum perductis, liberandæ ac purgandæ Galliæ cœptis, in regnum virtuti suæ ultro delatum proficiscens, quacunque iter fecit, omnes & Principes & populos sui amore & admirationi complevit. Vix dum novi & à se expetiti Regis suavitatem Polonia gustaverat, cùm secuta CAROLI NONI Regis acerba, & perpetuis lachrymis prosequenda mors, res in Gallia componi cœptas, majoribus denuò procellis involuens totius Regni statum in ultimum discrimen adduxit. Celeriter igitur è Polonia periclitantis & Regem suum implorantis Patriæ voce revocatus, cùm easdem illas dissensiones, quæ Galliæ Regnum propè subverterant, non modò non sedatas, aut mitigatas, sed auctas etiam ac corroboratas offendisset: corruptos ac depravatos ob bellorum longitudinem mores: multorum animos, etiam ex iis, qui se Catholicos esse profitebantur, studio partium infectos: plena omnia licentiæ, plena rapinarum, plena scelerum, plena hostium, & externorum & domesticorum: eadem tamen qua semper fuerat animi præsentia ac magnitudine: tuo etiam BEATISSIME PATER, & consilio & auxilio fretus, bellum repe-

repetiit ac redintegravit: diuq; viris equisq; ut dicitur, tentavit efficere, ut vi & armis perdomita contumacium & regni perturbatorũ superbia, pax & quies tandem aliquando esse tot calamitatibus Gallio redderetur. Sed ut animadvertit, nihil ea ratione quam tamdiu tenuerat profici, ac potius Regno & Religioni vehementer offici, quæ jam multis in Gallia locis labascerent, à plerisq; etiam penitus exularet: interea uri ac vastari agros: oppida diripi: omnia itinera latronum ac prædatorum cohortibus obsideri: Regni vires quotidianis cædibus ac stragibus enervari: opes immensis sumptibus exhauriri: innumerabilem vim teterrimorum facinorum in utroq; exercitu quotidie perpetrari: extremam cladem ac perniciem imminere, nisi maturè subveniretur: aliud sibi consilium necessariò capiendum judicavit. Optimus ac mitissimus Princeps, qui sanare vellet suos, non perdere, idem fecit quod prudentes medici solent: qui cum ustionibus, sectionibus, inedia, detractione sanguinis, non morbum, sed ægrotum ipsum confici ac profligari vident, ad aliam curandi rationem confugiunt: & fomentis ac remediis mollioribus & victu paulò copiosiore indulgentes, malunt ægrotum cum aliqua parte morbi alere, quàm utrumque simul è medio tollere. Maluit igitur & ipse in tanto tamque manifesto interitus periculo, ei parti suorum quæ adhuc superesset ignoscere, quàm committere ut brevi ne supereſſent quidem quibus ignosceret. Cumque cogitaret, illum ipsum rerum omnium præpotentem

tentem

rentem Deum multa tolerare, quæ non probet : ipse quoque in tantis angustiis multa à quibus animo & voluntate longissimè abhorret, interea tamen sibi toleranda esse statuit, tum aliquid melius eveniret. Certè enim, BEATISSIME PATER, fretus ea spe, quam in Deo primum deinde ex omnibus mortalibus in te potissimum collocavit, melius aliquando fore confidit. Multa oratione conficiuntur, quæ ferro nunquã confici possent. Sæpe quos severitas frangere non potuerat, clementia inflexit. Equi adversus frænum contumaces interdum sessore habenas remittente consistunt. Multi qui terrore & malo domari non possunt; indulgentia & facilitate mitescunt. Pugnabitur adversus eos qui à nobis dissident precibus assiduis, & privatim & publicè ad Deum fusis. Piorum & eruditorum concionatorum vox, præcipuum instrumentum Dei ad inserendam in animis hominum fidem quæ in plerisq; Galliæ partibus armis oppressa conticuerat, liberè iam toto regno audietur. Licebit impia & pestifera dogmata rationibus & argumentis confutare ac redarguere : vera ac salutaria confirmare & constituere. Catholicæ Religionis usus & exercitatio, quæ multis ex locis indignissimè sublata & expulsa erat, restituetur ac renovabitur. Dabitur à nostris opera, ut vitæ ac morum suorum exemplo ad bonas partes alliciant, & ad sanitatem perducant eos, quos armorum vis magis ac magis usq; adhuc efferavit. Rex ipse una cum Fratre, forti ac strenuo, Catholicæ Religionis studiosissimo Principe, concordibus ac consociatis animis enixè omnia facient, quæ ad errores ex animis

animis suorum evellendos accommodata esse arbitrabuntur. Catharina Regum mater, summa prudentia & consilio prædita mulier, & liberorum amans ultra consuetum matribus modum, cuius è sinu pax hæc prodiit, cuius præcipuè opera & laboribus conflata & conciliata est, omne ingenium, quo plurimùm valet, omnemq; auctoritatem suam conferet ad filios in fraterna concordia perpetuè continendos, & ad populos ejusdem religionis communione devinciendos. Rex quidem ipse, quod maximi momenti est, non tam nomine, quàm re & animo, & tota vivendi ratione Christianissimus, vitã sibi potius eripi patietur, quàm fidem: neque unquam degenerabit à majorum suorum nota testataq; virtute: & quàm tibi, BEATISSIME PATER, ac Sedi Apostolicæ, verè atq; ex animo obedientiam præstat, eam se constantissimè præstiturum usque ad extremum spiritum pollicetur. DIXI.

ORA-

ORATIO XXVI.

In funere Pauli Foxii Archiepiscopi Tolosani, Regis Gallia-rum Oratoris.

AD GREGORIUM XIII. PONT. MAX. ET AD SEDEM APOSTOLICAM; Habita Romæ, in æde sancti LUDOVICI IV. Kalend. Junii cIↃ.IↃ. LXXXIV.

Si ut opum ac potentiæ, sic eruditionis ac sapientiæ hæredes à magnis ac præclaris viris instituì possent, is demum PAVLO FOXIO idoneus laudator reperiretur, quemcunque ipse sibi earum virtutum successorem esse voluisset. Nam nec in quo amplior & uberior omnium laudandarum artium seges efflorverit, nec in quo vis & copia dicendi major, quàm in eo extiterit, ex omni memoria nostra deligi quisquam potest. Quo mihi majus ac difficilius onus impositum esse video, in hoc ornatissimo consessu de laudibus ipsius verba faciendi; quod neque unquam subire ausus essem, nisi & mea me multis ab hinc annis suscepta adversus eum observantia, ut id facerem, adduxisset, & eorum, quorum imperium detrectare non poteram, auctoritas coëgisset: neque nunc ei me ferendo parem fore confiderem, nisi mihi, quod vix dictu

credibile est ipsa levamento ac solatio esset difficultas. Nam si quenquam alium de PAVLO FOXIO pro ipsius dignitate dicere posse existimassem, valdè me puderet in eum locum conscendisse, unde nihil aliud viderer præstitisse, quàm ut summi viri laudes inopia dicendi detererem, nunc cùm satis intelligam, quod mihi eventurum est, ut oratio mea longè multumque infra ipsius dignitatem jaceat, idem cuilibet quamlibet copioso & exercitato homini eventurum fuisse, facilè patior delectum potissimum esse me, cuius prædicatione quasi præconio admirabilium ipsius in omni genere virtutum, ad eos, quibus illæ fortè minus notæ fuissent, qualiscunque cognitio perveniret. † Sed quoniam & multa mihi ac præclara dicenda, & in unius semihora curriculum omnia concludenda sunt, ad res ipsas veniam, neque committam, ut ex tam brevi tempore pars à me ulla in rebus non necessariis consumpta videatur. † Primùm igitur si generis nobilitas quidquam ad commendationem pertinet, verè hoc affirmare possumus, non multas gentes in universo terrarum orbe reperiri, quæ cum gente FOXIA vel antiquitate, vel rerum gestarum gloria comparari queant. Quæ cùm ipsa per se nobilissima est, tum hoc nobilior quod cum potentissimis Regibus & Imperatoribus multiplici se jam pridem affinitate devinxit. † Nam ut vetustiora taceam, neque illa repetam, quæ quingentos fere ab hinc annos à COMITIBVS FOXIIS gesta, & nobilium scriptorum configurata monumentis, nulla unquam obliterabit ætas, his certè

Benevolentiæ & brevitate.

Laudat à generis nobilitate.

præteritis.

centum proximis annis tres ex gente Foxia nobiles ac potentes reginæ exstiterunt: † Earum prima est Anna, IOANNIS Foxii Candalæ Comitis filia, quæ Ladislao Bohemiæ & Ungariæ Regi in matrimonium collocata, filiam ex eo sibi cognominem sustulit, uxorem postea Imperatoris FERDINANDI, matrem Imperatoris MAXIMILIANI, aviam eius qui nunc feliciter imperat RODOLPHI. Secundo loco nominabo Catharinam, Gastonis quinti filiam, Reginam Navarræ, quæ id regnum, in quod FRANCISCO Phœbo fratri suo successerat, dotale ad IOANNEM ALBRETIUM detulit: quo ex matrimonio natus est Henricus Rex, avus Henrici à quo hodieq; idem regnum hereditario jure obtinetur. Sed & illius invicti Gastonis, ducis Nemorensis, qui dum vixit, terror hostium Gallici nominis fuit, qui fulminis in morem hostiles turmas disjicere, qui quacunq; incedebat, victoriam in manibus gestare videbatur, qui semper vincere assuetus, postremò ad RAVENNAM, dum pro LUDOVICO XII. avunculo suo fortissimè dimicat, etiam moriens vicit, eius igitur Gastonis sororem, Germanam nomine, Ferdinandi Castellæ Regis matrimonium tenuisse, notissimum est. Neq; hoc loco reticenda est Margarita Foxia, Gastonis Quarti filia, quæ FRANCISCO Duci Britanniæ nupta, Annam ex eo suscepit, Caroli Octavi primùm, deinde etiam Ludovici Duodecimi uxorem, ex qua nata est Claudia uxor Franciſci Primi, mater Henrici Secundi, avia eius, qui hodie regnat, &, ut speramus ac

ac cupimus, diutissimè ac felicissimè regnabit Henrici. Sed aut hæc satis sunt ad ostendendam summã nobilitatem gentis Foxiæ, aut non video, quid satis esse possit. Ex hac tã illustri gente natus est PAULUS FOXIUS anno Christi M.D.XXVIII patre Ioanne Carmanii Comite, matre Magdalena Caupenia, nobilissimus quidem utraq; stirpe, sed ingentem virtute sua cumulum ad veterem suorum gloriã additurus. † Natus autem est ea non oris modo ac vultus, sed totius corporis pulchritudine, ut ex ipso aspectu imago quædam ingenitæ virtutis atq; honestatis emicaret. Vidi equidem illum & adolescens adolescentulum, & vir virum, & senex senem: mea enim, quàm illius, biennio ferè grandior erat ætas: neq; quenquam unquam videre memini, in quẽ verius conveniret id quod Græci de Alcibiade prædicant, in omnibus ætatis partibus æquè gratam ac jucundam ipsius formam fuisse. † Ingenium ad omnes honestas disciplinas docile, & ad eas percipiendas ita factum, ut quæ discebat, non tam accipere à magistris, quàm ipse ex se parere, & eorum reminisci quodãmodo ac recordari, ex illa vetere Platonis sententia, videretur. † Mores & jam tum in illa ætatis teneritate graves, severi, compositi, & humanitatis tamen ac facilitatis condimento temperati: ut eos quibus cum una erat, & incredibili quadam jucunditate conciliaret sibi, & exemplo suo ab omni improbitate revocaret. † Denique ut in herbescenti segetum viriditate certa propè spes futuræ messis apparet, sic nemo tunc erat, qui non eum à puero, qualis postea

stica fuit, tamen facilè augurare tur fore † justum, integrum, continentem, abstinentem, amantem pacis ac concordiæ, veracem, apertum, simplicem, ad omnium potius peccata, quàm ad sua connivientem. † Literarum studia ita puerulus adamavit, itaque in eo postea constanter perstitit, ut id unum à publicis negotiis diverticulum perpetuò habuerit, ut quidquid ab eis dabatur otii, semper in litteris omne consumpserit. Græcis igitur & Latinis litteris Lutetiæ diligenter exercitus, ibidemque in Philosophiæ studio magna cum cura exercitatus, † Tolosam se ad percipiendam jurisprudentiam contulit, quo in studio tantos brevi tempore progressus fecit, ut adhuc adolescens publicè de utroque jure, magna cum omnium admiratione responderit, eosque honores consecutus, qui amplissimi, † confecto studiorum curriculo decerni solent, incredibili hominum concursu jus civile docuerit: † cùm ad eum inusitata quadam dicendi facultate, de obscuris dilucidè, de confusis ac perturbatis ordinatim ac dispositè, de dubiis enucleatè differentem, etiam ii qui diu magna cum laude docuerant, discendi causa quotidie convenirent. Inde cùm in aulam Regiam venisset, ita statim HENRICO II. Regi, acri ac perspicaci ingeniorum existimatori, ita cæteris principibus viris carus atque acceptus fuit, vix ut quisquam unus uni carior foret, quàm unus hic universis. † Ipse verò & officia obibat diligentissimè, neque ullum diem abire patiebatur, quo non & regem & cæteros principes salutaret, & cum eis sermonem consereret, & eos quo opus erat

erat deduceret ac reduceret: neque tamen, quod pleriqui omnes aulici faciunt, reliquum tempus otiosè & inutiliter absumebat: sed repetitis de integro studiis, Platonis præcipuè & Aristotelis & Xenophontis ac Plutarchi, & cæterorum eiusdem notæ libros ad formandam vitam, & ad rationem gubernandæ Reipublicæ pertinentes ita studiosè pervolutabat, ut eos in succum ac sanguinem suum converteret, omniaque eorum præcepta in numerato haberet, quibus non ad inanem loquacitatem, sed ad danda capienda que de rebus maximis consilia tempestivè uteretur. † Historiæ quoque multum operæ ac studii dedit, onarus illustria præcepta nullare magis, quàm exemplis illustribus confirmari. Itaque tum sacram, tum profanam, tum veterem, tum novam, tum domesticam, tum externam ita pertractaverat, ut quacunque de re dicere ingressus esset, optimis & accommodissimis exemplis ad confirmandum id quod volebat, nunquam non abundaret. Quid de temporum ratione, quid de terrarum situ, quid de populorum institutis ingeniis, moribus, fœderibus, quid de quarundam gentium inter se aut naturali consensione aut odio vetere & ingenio loquar? quarum ille omnium rerum tantam notitiam habuit, ut id unum tota vita egisse videretur. His omnibus artibus instructus, cùm jam ad obeundas legationes esset aptissimus, antequam tamen ullam earum susciperet, ex usu suo fore putavit, si in amplissimo Senatu Parisiensi per tempus aliquod versaretur, ubique discrepandis quotidie maximi momenti negoabstinentia tum comitia.

gotiis firmiora & solidiora sapientiæ fundamenta jaceret, seq; illi præstantium virorum cœtui quasi recognoscendum & expoliendum daret. † Qua ipsius voluntate cognita, confestim Rex HENRICUS eum in Consiliariorum numerum adlegit: in quo hic ei etiam præcipuus honos habitus est, quòd cum in eo senatu plura sint inter se distincta auditoria, quorum ad supremum non nisi gradatim pervenitur, PAULO FOXIO jam inter primos assidendi, dicendæq; sententiæ statim à principio tributum est. Ibi verò partam sibi antea juris intelligentiam assiduo tractandorum negotiorũ usu ita perfecit ac perpoliit, ut brevi tempore principem inter jurisconsultos locum obtinueris, cùm eos quidem qui in libris consenerant, seq; uni cognitioni dediderant, usu & exercitatione rerum forensium: eos autem qui se magis ad usum forensem applicuerant, eruditionis copia & magnitudine: aut potius, si apertè id quod res est, extincta jam invidia, proferri volumus: utrosq; utraq; laude superaret. † Prima inde legatio in Scotiam fuit sub id tempus, quo Maria Regina Scotiæ, mortuo FRANCISCO II. viro suo in regnum suum reverterat. Ubi FOXIUS ea fundamenta jecit & tuendi regni & conservandæ religionis, in quibus si postea pari fide ac consilio ædificatum esset: fortassis hodie neq; Regina miserabiliter captiva teneretur, neq; status religionis laboraret. † Illinc cùm rediisset, anno M. D. LXI. Legatus in Angliam missus est, ubi quadriennium integrum, tanta fide ac diligentia, tanta dexteritate ac prudentia, tanta per-

ea perspicacitate ac solertia in munere suo versatus est, ut magnis interea in Gallia motibus excitatis, nihil Angliæ Regina struere, nihil moliri, nihil machinari potuerit, ad conatus eorum qui à Deo & à Rege rebellaverant adjuvandos, quod non ipse detexerit ac patefecerit, Regiq; indicaverit, eiq; viam ac rationem ostenderit, qua pernicioſa Iezabelæ consilia maturè præveniret & occuparet. FOXII præcipuè consilio occultiq; monitis, inita est à Rege ratio extorquendi ex Anglorum manibus celeberrimi ac munitissimi portus Gratiarum, quo illi sibi hæreticorum opera tradito Galliam ab ea parte obsessam tenebant. FOXII consilio repertum est, quomodo Rex ea pactione, quam HENRICVS II. fecerat, de restituendo Anglis intra certum tempus Calitio solveretur: utque obsides eo nomine dati, dimidio ejus pecuniæ qua Rex depaciscendi facultatem dederat, redimerentur. Illud verò commemoratione dignissimum, quòd quamdiu in Anglia fuit, nullum unquam diem intermiſit, quin, quamlibet fremente Regina sacrosanctum Missæ sacrificium domi suæ celebrari jusserit: ad quod clam avidè conveniebat ac concurrebat, magna & Anglorum & exterorum CATHOLICORVM multitudo, quos ille fovebat, consolabatur, protegebat, quorum omnium arx, portus, præsidium, perfugium erat: à quibus non tantum mala multa imminentia depulit, sed effecit etiam, ut multa damna, quæ eis data erant, restituerentur. Ob quæ merita, ubi primùm ex Anglia revertit, in sanctius atq;

interius Regis consilium adlectus est. † Secuta legatio Veneta: in qua non tantùm Regi cumulatissimè satisfecit, sed etiam illis sapientissimis Patribus, universóq; Venetæ civitati jucundissimam virtutum suarum memoriam reliquit. Cuius legationis expleto tempore, cùm in aulam rediisset, inter togatos Regis consiliarios, & tranquillis & turbidis rebus, unus semper è principibus fuit: cùm & doctrina & usu rerum, & prudentia excelleret: neque sibi quidquam, præter sincerum Dei cultum, dignitatem & utilitatem regiam, allevationem vexati tot acerbitatibus populi, in dicenda sententia propositum haberet. † Inde sub finem anni M. D. LXXIII. legatus de rebus gravissimis & ad Summum Pontificem, & ad plerosque Italiæ Principes quæ sibi mandata erant, illa toties experta fide ac dexteritate transegit. Interea cum Gallici tumultus utcumque compositi viderentur, † missus est à Rege ad Henricum Regem Navarræ, qui tunc in Aquitania erat, ut eum auctoritate ac præsentia sua in officio contineret. Quamquam autem vitari nullo modo potuit, quin anno post novæ turbæ concitarentur, † tantum tamen PAVLI FOXII virtute perfectum est, ut, cùm quibuscunque aliis in locis hæreticorum factio potentior erat, divini cultus ne vestigia quidem relinquerentur, everterentur templa, sacerdotes crudelissimè contrucidarentur: Agini, quæ urbs, secundum Burdegalam, Aquitaniæ principatum obtinet, & in toto eo tractu, rebus divinis libere opera daretur, starent sarta tecta templa, sacerdotes ab omni contumelia

&

& injuria tuti forent: sacra & Catholicæ conciones nunquam intermitterentur: cùm & publicè & privatim FOXIVS Catholicis animos faceret, eosque ad benè sperandum excitaret: ita ut eorum protector, conservator, parens uno omnium consensu haberetur. Scripsit ea de re Clerus Agimensis ad virum summa dignitate præditum CAROLVM RAMBOLETVM Cardinalem, petens ab eo, ut hæc omnia summo Pontifici diligenter exponeret, eiq; omni asseveratione confirmaret, quicquid templorum, quicquid sacerdotum cæterorumq; divino cultui mancipatorũ hominum in ea provincia maneret, id omne secundùm Deum, unius PAVLI FOXII virtuti auctoritatique deberi. Sæpe igitur in magnum vitæ discrimen adductus est, cùm iniquo animo ferrent milites à templis deprædandis cupiditatem, à Sacerdotibus mactandis crudelitatem suam unius hominis auctoritate prohiberi. † Multa præterea memoratu dignissima: sed mihi non tam orationis conquirenda copia est, quàm vestra satietas refugienda. Decernitur ei à Rege legatio ad summum Pontificem: ita tamen, ut priusquam in eam proficisceretur, unà cum Catharina Regis matre Aquitanium, Galliam Narbonensem, Provinciam, Allobroges obire, in singulis oppidis consistere, ac conventus agere, resque perturbatas, quantum temporum ratio ferret, optimè ac commodissime componere juberetur. Quid ego nunc dicam, quàm salutare iter illud fuerit, aut quantam afflictis rebus levationem attulerit? Catholica religio multis in locis, à quibus

† præterea

exulabat, restituta, Bona sua, & exercendorum mu-
nerum suorum facultas Ecclesiæ ministris reddita,
multorum animi, qui nutabant, confirmati. Mul-
ta munita loca in Regis potestatem redacta, audita
populi querimoniæ, adhibita remedia multis mali
quæ superiorum temporum calamitate importata e-
rant. Quarum omnium rerum laus Deo primùm,
deinde PAVLI FOXII prudentiæ magna ex par-
te tribuenda est. Regina Regis matre Lugdunum
usque deducta, Romam iter cœpit: ibi ita se moresq;
suos, totamq; anteactam vitam Pontifici probavit,
ut ab eo decoratus sit Archiepiscopatu Tolosano, ad
quem ipse multis ante annis miro honorum studio ef-
flagitabatur. Neq; dici potest in obeundi Legati mu-
nere quantopere, & Pontifici, & Regi, & omnibus
summis pariter ac infimis gratus acceptusq; fuerit,
integritate vitæ, summa vultus ac sermonis comita-
te, promptissimo ad opem ferendam animo, sive quis
auxilio, sive consilio indigeret. Quanquam autem
nulla ei pars ætatis à magnis memorabilibusq; rebus
vacaverat, exigua tamen omnia videri poterãt pro-
ut ea erant, quæ agitabat animo, si quando in Galli-
am redire, & Ecclesiam sibi creditam præsens guber-
nare potuisset. Imbiberat enim penitus in mandata
sibi provincia ad TRIDENTINI Concilii præscri-
ptum omnia revocare & exigere, omnem munerum
ECCLESIASTICORVM nundinationem fœdasq; il-
las, sed nimis usitatas eorum fiduciarias mancipatio-
nes funditus tollere, dissolutos ac diffluentes Ecclesia-
stico-

sticorum mores severis legibus coërcere ac constringere, clericorum seminaria instituere, templa eversa erigere, ruinosa fulcire, redditus Ecclesiasticos injustis possessoribus eripere, Xenodochiorum ac collegiorum præcipuam curam suscipere, & perficere ut eorum qui illa fudassent atq; instituissent, mens ac voluntas diligenter ac religiosè observaretur, omnia denique summo studio facere, quæ ad boni & inculpati præsulis officium pertinerent. † Sed ô spes hominum fragiles, ô fallacia consilia! Hæc cum cum maximè meditantem, & ea una in cogitatione noctes diesq; defixum, morbus gravius & mortifer occupavit. Cujus primâ impressione expertus est adstans ad aram, cùm solenni die, quamquam principium quoddam leviter commotæ valetudinis sentiens, abstinere tamè à re divina facienda noluisset. Quem cùm & medicorum cura, & singulari victus temperantia depulisse jam videretur; haud ita multò pòst, cùm ad hominis GALLI de magna re sua periclitantis caussam adjuvandam, ut erat in omnes officiosissimus, iniquo & alieno tempore accurrisset, domum ut rediit lassus, denuò decubuit: nec alius ei postea morbi quàm vitæ finis fuit. † Quo autem ille animo morbum sævientem, quo mortem certam jam & imminentem tulit? quot quantasque morbundus animi verè Christiani significationes dedit? Qua submissione animi peccata sua confessus, eorum sibi veniam à Deo [illegible] Pœnitentiæ dari petit? Qua veneratione sacrosanctum Christi Corpus excepit? Quàm placidè ac patienter

ter sacro oleo perunctus ac delibutus est? Quibus omnibus Sacramentis armatus ac munitus, cum toto morbi tempore, nõ tantùm quamdiu sui compos erat, sed etiam cùm propter vim morbi in capite grassantem aliquo mentis errore afficeretur, sic quoque tamen nihil aliud quàm CHRISTUM, CHRISTUM DEUM suum, in ore perpetuò habuisset, ad eum quem spirabat unum, quo fidebat uno, ut quidem speramus ac cupimus, evolavit. Hem PAVLE FOXI, quantam quamque justam multis merendi occasionem morte tua obtulisti. Et si tua quidem causa, nihil est quod lugeamus. Tu præclarè ac laudabiliter vitæ cursum confecisti. Tu ita maximis honoribus perfunctus es, ut te semper homines maioribus dignum judicarent. Tu ausam lacessere te invidiam, virtute constantiaque superâsti. Tu, quod ii, qui olim habiti sunt sapientissimi, in aliqua felicitatis parte posuerunt, in ipso senectutis limine ereptus, impendentia deterioris ætatis incommoda morte vitâsti. Is cuius tu judicium maximi faciebas GREGORIVS PONT. MAX. & vitam tuam summè probavit, & mortem non modò honorificentissimis verbis, sed etiam lachrymis prosecutus est. Omnium erga te ordinum caritatem satis hæc ipsa principum virorum, quæ ad cohonestandum funus tuum convenit, multitudo declarat. At Tolosæ dolendum, quæ similem tui pastorem nunquam fortassis habitura, prius te spoliata est, quam vigilantiæ tuæ fructum ullum percipere posset. Dolendum Regi, qui tam duris temporibus, tanta fide, tanta prudentia prædi-

tum

tum Consiliarium amiserit. Dolendum Ecclesiæ, quæ labantibus in Gallia rebus suis magnam auxilii spem in auctoritate tua collocârat. Sed omnibus in rebus divinæ voluntati acquiescendum est. Nos, quod unum tibi præstare possumus, & colemus memoriam tui, & te fusis ex animo precibus adjuvare conabimur, sperantes fore, ut ipsi vicissim tuis precibus adjuvemur.

DIXI.

EPISTOLARUM

M. ANTONII MVRETI PRESBYTERI, ET CIVIS ROMANI.

LIBER PRIMUS.

M. ANTONIVS MVRETUS JOANNI NICOTIO V. clar. Consiliario Regio S. D.

Anno 26to suæ Nouem. incepto 2do Epist:

EPISTOLA PRIMA

MULTÆ causſæ ſunt, IOANNIS NICOTI, vir clariſſime, propter quas magnorum & illuſtrium virorum epiſtolæ expetantur. Sunt quas ſermonis nitor & elegantia, & nativa quædã pulchritudo, nullo ut videtur, artificio exculta, nullis pigmentis colorata commendet: Sunt contra, quæ & verborum & ſententiarum minimè vulgato genere cultũ & artificiũ oſtendent. Nonullæ etiam ita ſcriptæ ſunt, ut hiſtoriam quaſi quandam contineant eorum temporum,

porum, quibus ii qui illas scripsêre, vixerunt. Atq; hæ, sive à disertis, & ingenuarum artium scientia expolitis hominibus prodierint, tanto cupidius leguntur: sive etiam ab iis qui lepore ac festivitate dicendi caruerint, non tamen propterea negliguntur. Historia enim, ait Plinius, quoquo modo scripta delectat. Graves quædam & Philosophicæ officii præcepta tradunt; falsas opiniones evellunt ex animis; quanta in virtute dignitas; quanta in vitiis turpitudo sit, docent: quo in genere Seneca excellit. Quædam etiam si ad res modò privatas & familiaria negotia pertinent, excitant tamen hominum studia, propter eorum, à quibus scriptæ sunt, auctoritatem. Natura enim comparatum est, ut quos admiramur ac magnificamus, eorum omnia maxima minima cognoscere cupiamus. Rectèque ac verè Xenophon, virorum virtute præstantium non seria modò, sed & jocos digna esse ait, quæ memoriæ commendentur. Et certè si vascula quædam, quibus illi usi erant, & alia quæ in eorum supellectile ac frivolis fuerant, mortuis ipsis cupidos emptores invenerunt: quomodo lucernam Epicteti mille drachmis, Protei Stoici baculum talento venditum accepimus: multò magis eorum quamlibet tenues & exiles epistolæ in pretio esse debent. Sed ego hæc omnia mecum agitans, caussam tamen reperire nullam queo, cur aliquem epistolarum mearum librum videre, multi istic, ut scribis, elegantis ingenii homines concupiscant. Sive enim Latinas literas amant, & ad aliquam Latine scribendi facultatem per-

historia: sua cuique mensa: tio.

pervenire cupiunt, quisquámne est, qui cum extent Ciceronis, Senecæ, Plinii epistolæ, non dicam ex meis sed ex cujusquam, qui his mille annis vixerit, Latinæ linguæ, aut integritatem, aut copiam sibi pretendam putet? Idem etiam de illo qualicunque scribendæ epistolæ artificio dixerim. Quid enim aut Plinio limatius: aut Seneca gravius aut Cicerone in omni genere perfectius optari potest? Gravidarum mulierum morbus ille fuerit, quæ, neglectis bonis ac salubribus cibis, cinere se nonnunquam & carbonibus pascunt. Ne res quidem ipsæ adducere, aut invitare quemquam possunt ad epistolas meas cupidè legendas. Homo enim privatus, qui ita in libris ac literis consenuerim, nullam & unquam attigerim Reipub. partem, nullam unquam epistolam scripsi, nisi quæ ad mea non magni momenti negotia pertineret. Quis autem ego sum, ut, quod postremo loco posui, auctoritate quisquam adductus mea res meas cognoscere cupiat? Mitto jam, quod cùm in cæteris, tum in hoc præcipue genere ita negligens sum, ut epistolas uno impetu fusas, rarò admodum bis legere; certè quidem unquam bis scribere, sed ut primùm fluxerunt, lituraruṁ sæpe ac macularum plenas ad amicos mittere soleam. Itaque multum negotii habui in iis, quas ad te nunc mitto, colligendis. Nam præter paucas, quas familiares quidam mei descripserant, cætera ab iis ipsis ad quos missæ erant, aut ab iis, in quorum manus, mortuis ipsis, pervenerant corrogandæ, quasque ostiatim conquirendæ fuerunt. Quas non ullo ordine aut personarum

aut

aut temporum (neque enim res tanti videbatur) sed ut quæque allata erat, & cum eis nonnullas ad me à viris doctrina & auctoritate præstantibus scriptas, in unum volumen congrendas curavi, ut tuæ vel voluntati obsequerer, vel auctoritati obtemperarem. Tantum enim & amicitiæ nostræ, & prudentiæ tuæ in maximis muneribus publicis obeundis jam pridem spectatæ tribuo, ut nulla in re tibi aut volenti negare, aut suadendi adversari fas putem. Quare quid à me postules, aut quid me facere jubeas ipse videris: certè quidquid postulaveris, quod quidem in me situm sit, consequeris. Hoc autem æquiore animo passus sum existare aliquas epistolas meas, quod quædam multis jam ab hinc annis editæ sunt pro meis, de quibus scribendis, ego ne per somnium quidem unquam cogitavi. Confinxerat eas is ipse, qui tanquam à me ad se missas divulgaverat, homo eruditus ille quidem, sed improbus, & natura nocendi ac malefaciendi cupidus: Cùm plurima & maxima officia, quibus à me affectus erat, summis injuriis compensare vellet. Quæ de re olim à me graviter objurgatus, multis cum lachrymis à me veniam petiit, laqueo digna commisisse se fassus; cum ei sermoni HADRIANUS TURNEBUS, & JOANNES AURATUS, præsentes interessent. Sed mittamus hæc. Ate pro amicitia nostra peto, desperam, ne quid istic excudatur pro meo, quod meum non sit. Quod enim futurum est, nisi coërceatur istorum audacia, qui superioribus mensibus poëma quoddam de laudibus JOANNIS AUSTRI-

ACI, quod ego nunquam legeram, pro me ediderunt: In quo & mihi & ei cuius illud poema est imposita insignis injuria est. Nunc tua potissimùm fide, diligentia, auctoritate, voluntate erga me fretus, nihil tale post hac eventurum esse confido. Vale ROMÆ 9. Kalend. Septemb. M.D.LXXIX.

JOANNES NICOTIUS LIBELLOR. SUPPLIC. IN REGIA MAG. Marco Antonio Mureto Viro eruditissimo, S. P. D.

II.

REM periculi mei me fecisse ex te audio, quo effugitatione mea, quas ad plerosque amicos tuos dedisti litteras, tandem in manus hominum venire sinas. Ego verò, mi MURETE, id, quid periculi sit non sanè video: excidisse tibi quidem certè, singularis huius erga literatos omnes beneficii gratiam facile perspicio, qui istam clavam de manibus me tibi extorsisse tam ingenuè fateare. Nulla enim me hercule earum quas memoras caussa satis justa, ad premendum tibi unquam fuit. Nam quum jam inde ab adolescentulo, unus è nostris hominibus, Romanam illam amplitudinem ac dignitatem, & quovis scribendi, & toto ipsius vitæ genere ita sis consectatus, ut fato tuo civitate etiam Romana donatus fuisse videare, quisquam, quæso, erit, qui quum tuas epistolas leget, non ex orationis venustate (Romana ista quidē prer-

prorsus? & eximiarum atque præstantium rerum tractatione, singularem & voluptatem, & fructum capiat? Quæ tu summè doctus, ad præstantes omni probitate atque eruditione viros scripsisti, quotidieq; quin scribas, efficere plane nequis, non ex earum quidem commentationum genere sunt, quibus non amplius quodvis, quàm familiarium epistolarum nomen, meritò debeatur. Literatorum MARCE ANTONI, ac studiis, doctrinaq; deditorum virorum, inter ipsos, per literas consuetudo, quidpiam egregium atque excellens semper habuit, perpetuóque habitura est. Id adeò quidem, ut illorum qui olim extitere, etiam συμβολὰς ac sermones in rebus opera & otio nostro dignis esse ducamus. Fuit, eritque quoad quidem mortales terram colent, cuiq; seculo, rerum & publicarum & privatarum, tum earum quoque quas neutrarum expertes facilè dixeris, sua quædam norma ac ratio, quam, qui id ætatis degunt, multò certè magis è re sua condiscant perceptamq; usurpent, quam quæ longè anteactis seculis extitit. Memini quidem me, quùm in Lusitania Christianissimi Regis Legatus essem, non tam in rebus Legationis illius commodè gerendis antiquis vel fœderibus, quæ cum Lusitanorum Regibus nostris olim intercessere, vel Annalibus utriusq; gentis versandis, quàm quorum ætati fermè suppares sumus, adjutum ac sublevatum fuisse. Enimverò MVRETE, nonnihil haud ita dispar, in ipso etiam scriptorum genere contingit. Nam quum ad consuetudines hominum inter sese, instruendas atque ornandas, quæ viri omni do-

συμβολὰς] Compotationes conviviales.

strina eruditi, cum sui similibus per litteras colloquuntur, magnopere conducant; ipsa autem consuetudinum colendarum ratio ac disciplina, nequaquam in ætates solùm, verùm etiam propè jam in annos singulos varia eveniat: non tam aut Ciceronis quidem ipsius, aut aliorum quos refers, epistolis, qui nunc inter homines agunt, quàm aut tuis, aut eorum qui tui sunt similes, qui profectò perpauci sunt, adjuvabuntur. Non sunt denique ejusmodi tuæ epistolæ, quæ seclis innumerabilibus manere, ac, ut Scævola ajebat, canescere nequeant. Ita q; tu ne tibi desis, valdè te hortor atque moneo. Meo res omnis planè, quandoquidem ita tibi cavere velle videris, periculo esto: Et si verò id me tutò jubere facilè sentio, ea lege tamen ac conditione quodvis periculum absuturum promitto, si quod nunc agis, id tu multò dehinc etiam prolixius ages, quæque in isto genere posthac scribes, diligenter ac summa fide ad me perferenda curaveris. Quod autem scribis, partum à malevolo, nescio quo, per summam fraudem, suppositum tibi fuisse, qui falsò se thum esse dictârit, id equidem adeò immeritò tibi accidisse, ut debeo, magnoperè doleo. At hercle, illo mihi haud satis insidioso eam fraudem adornâsse videtur. Qui enim scripta tua legerit, vix alterius cujusquam, quantumvis affabre effictum commentum, pro tuo agnoscet. Sunt, mi MURETE, pestes quædam hominum, per summam negritiam ac inertiam, aliena laude dolentiâ. Quos tu, cui quidem bene beateq; vivendi ratio constat, propter magnitudinem & animi & ingenii, moderatè feras oportet.

Hujus-

Hujusmodi ego hominum monstra, à lacessitis ulciscenda minimè esse censeo, quibus ipsis invidia, qua miserrime peruruntur, satis superque perenni supplicio est. Nam monstro sanè haud absimile est, in obscuro Patriam jacere malle, quàm ferre æquo animo, lumen ei à præstantiore quopiam præferri. Haud sane luminosior usquam Gallia nostra futura erat, quo illum animo fuisse intelligo, quàm quantum ille sua face ei præ-lucere potuisset. Non, ut in prædiis urbanis, æquè in litterarum morumque studiis, ne altius quis tollat, actio ullo unquam jure prodita apud ullum unquam populum fuit. Quin ὃ γ' ἀγαθὸς πατὴρ πᾶσι φῶς πᾶσι ἐφίησιν ἐξῆς, tuus ille, aut si certè das, etiam noster in Νικομαχείοις docet. Nihil planè erat, quod malevolus ille jure queri posset, si tu, doctrina singulari ac ingenii vi admirabili, in sublime te efferens, ipsius (qui ne in secundis quidem fortasse constitit) fenestellis officiebas: quum ipsi pariter altius tollendi, omnium gentium institutis ac moribus, jus esset. Ut ille mihi prorsus ignaviter, ne dicam nefariè, sibi prospexisse videatur; qui Patriæ, in qua ambo & nati & educati, quo summo ornamento es, erisque dum Latinæ loquentur literæ, id λιαν φθονερῶς, damno sibi existimârit. Sed illum jam missum facio. Tu verò, mi MURETE, qua animi magnitudine polles, hanc fraude tibi injuriam factam magnificè contemne: ac perge porrò quò jamdiu contendis, ad palmam quam sanctissimi mores, & in omni doctrina exantlati labores tibi mox in manum dabunt. Me tibi vindicem quoad vivam, si quidem me ad eam rem

rem idoneum censes, non defuturum, hoc mihi credas vehementer velim. Vale, & me, quod facis, etiam atq; etiam ama. Datum BRAIÆ COMITIS ROBERTI pridie Kal. Octobr. M. D. LXXIX.

M. ANTONIUS MURETUS S. D. PAULO MANUTIO.

III.

HEri redeuntem me à Balneis Aponi, quo me, partim animi, partim valetudinis causſa, contuleram, exceperunt littere tue: quæ, quam mihi gratæ fuerint, noli quærere. Mihi crede, quidquid reliquum erat moleſtiæ ἐξ ἐκπώματος τοῦ ἐν ἅδου ἀποθλιβόμενος deterſerunt, omnemq; ex eo natam ægritudinem depulerunt. Habebant egregiam ſanè atq; illuſtrem ſignificationem veteris illius ac perpetui amoris erga me tui: de quo, & ſi mihi nunquam ut dubitarem contigit: tamen fit, neſcio quomodo, ut omnis illius expreſſio, quaſiq; profeſſio pergrata mihi, perq; jucunda ſit. Ego, mi MANVTI, cum de eo quod mihi contigerat, retuliſſem ad medicos, meq; illis omni ex parte indicâſſem, neq; quidquam de tota mea ratione ac conſuetudine vivendi reticuiſſem: nihil aliud reperire potui, niſi id quod ipſe per me facile ſuſpicabar; nocere mihi quòd tam rarò exirem domo; quodq; ut me impetus ceperat, ita me, nulla habita ratione temporis, ad legendum, aut ad ſcribendum darem. Itaq; de eorum conſilio meditor paulò laxius ac ſolutius vivere; & ante cibum ambulatiuncula modici

modici sudoris aliquid excitare: prætereaq; cùm videbitur alienis & oculis legere, & manibus scribere; quem ad usum parare cogito amanuensem quempiam, cui epistolas inambulans dictem: nisi si quid erit ἀγανακτοῦντων: quanquam hæc quoq; interdum, sed ἐν ὀλίγοις. Antea enim solebam statim à prandio calamum in manum sumere, & horam unam atq; alteram epistolarum scriptioni dare: quo, reipsa comperi, nihil esse pernitiosius. Cavebo igitur, & ut mones, parcam mihi, cùm mea caussa, tum me hercules etiam tua. Non enim levem neq; contemnendam jacturam faceres, si quid mihi contingeret. φίλος γοῦν ἐστιν κἀμοὶ μᾶλλον ἢ τιμιάτερον. Ego verò amicus tibi sum, & amicus ex animo: quales admodum paucos esse, non injuria querebatur Theognis. De Catullo, exiguam tu quidem mihi diem præfinis: sed tamen dabitur opera ut satisfiat tibi. TORQVATVS BEMBVS respondit se cognoscendi mei cupidissimum esse, mihiq; libenter gratificaturum quacunq; in re posset. Quod scribam aliud nihil occurrit, etiam atq; etiam vale mi Manuti. A.D.4. Kal. Apr. PATAVIO.

EIDEM.

IV.

DE TIBVLLO & PROPERTIO: Libenter hoc & omne militabitur bellum: ut ille ait. Ita enim de me meritus es, itaq; assidue mereris, nulla ut in re unquã à tuo studio discrepare debeat voluntas mea. Sed

quæso te, quid tu facere cogitas? an forte eadem opera Catullum cum commentario meo, Tibullum autem & Propertium sine ullo commentario emittere, eosque tres unum in librum conjungere? Tale enim aliquid mihi venit in mentem suspicari. Hoc si est, non equidem reprehendo, neque improbo: etiam librum puto vendibiliorem fore. Sed tamen novum, ut puto, multis videbitur. Sin alia quædam tua ratio est, fac ut sciam. Nam si ego rectè conieci καὶ τὰς σὰς περιστάσεις ἐπέτυχον, capiam fotasse aliquid novi consilii, quod tibi non displiciturum esse confidam. Hodie constitutum factum erat cum amicis quibusdam, ut ad Torquatum adiremus unà: sed hoc tempus nubilum, caliginosum, pluviosum, vereor, ne illi obstet, quo minus ad me veniāt. De loco Plutarchi mihi quoque cogitanti ac scribenti, permirum, perque incredibile videbatur. Accuratius igitur cogitabo, & cras, aut summum perendie, totam illam rationem minutissimè, καὶ τῇ ἀκριβολογίᾳ τῇ μεγίστῃ confectam, ad te mittam. Quid amplius? Uxoris tuæ fratrem nondum vidi: Hercules quoque tuus sexto aut septimo ab hinc die venit ad me, neque unquam postea rediit. Ego autem, quando præsenti tibi studium in te meum declarare non possum, libentissimè illud, excipiendis, & καθ' ἕκαστον οἰόντε, omni genere officii prosequendis tuis declararem. Quare, etsi quid eorum causa possim non video, aut potiùs, nihil posse me, prope video: tamen erit mihi peregratum, si tua ad eos scripseris, hanc domum æquè ipsis patere, ac tuam, neque quidquam mihi posse accidere gratius,

quam

quàm si me ipsi aliquid sua caussa facere jubeant. Ama me, mi Manuti, & valetudinem tuam cura. Prid Idus April. A. D. LVIII. PATAVIO.

EIDEM.

V.

DE TORQVATO vehementer amo te. Exemisti enim mihi scrupulum sane molestum: Nam subverebar si ad illum scribens, patris mentionem facerem, quo id ipse animo accepturus esset; ideoque avebam videre epistolam tuam; quæ me docuit metum illum inanem fuisse. Illi igitur Tibullum, cuius principium mittam ad te cras, aut summum perendie, interea operis quod agant non defore, tuarum litterarum sermo declarat. De Propertio videbimus. Summoperè cuperem, si commodè fieri posset: ut Tibulli principium cum Catulli fine eodem filo conjungeretur. Cuius meæ cupiditatis quæ caussa sit, facilè te suspicaturum puto. Esset ut opinor, munus hoc pacto, ἀπὸ οἷδ' ὅπως ἐυπαρεπέστερον καὶ μετριώτερον. Nihil tamen nisi tuo commodo velim. Quod tot versus deletos miraris, dicam tibi quid factum sit. E libris quos ad me misisti, neuter erat, qui non in primo illo folio, tam multa ad marginem adscripta haberet, ut verendum esset, ne librarii fallerentur. Concerpsi igitur unum è meis, sed tam multa in eo menda reperi, ut coactus sim mutare consilium. Quod autem numerus versuum non congruebat, eâ factum est, ut aliquot delendi fuerint. Nam quod ita cecidit, ut à pentametro inciperet pagina, non consilio

factum est, sed casu. Potest autem facilè corrigi. Characteres tui Græci sanè luculenti, ac dolerem Gallorum nostrorum vicem, quos à te cæteris omnibus rebus jam pridem victos, typorum quoq; Græcorum elegantia superatum iri video, nisi plus te quàm plerosque illorum amarem. Edendi autem Syriani consilium, cui tandem displiciturum, displiciturum verò? imò cui, qui quidem homo sit, non summopere placiturum putas? Germanum illum iterum tibi commendo, bonus vir est & literatus: & benè apud eum beneficium collocabis. Sed ego captus dulcedine quadam ad te scribendi, non sentio tempus effluere. Vale. Hercules Podocatharus miratur te ad binas litteras suas nihil respondere: neq; non tamen facilè suspicatur, id quod est, te non libenter scribere, nisi urget necessitas, cum manu tua nunc quidem scribere necesse habeas. Salvebis ab eo, & à Molinio nostro. De epistolis tuis, noli laborare, brevi eas habiturus es. Iterum vale. Prid. Non. Maij. PATATIO. Anno M. D. LXVI.

EIDEM.

VI.

SI PEGASI sint isti tui operarii, tamen fieri nullo modo potest, ut uno die chartas quinq; descripserint, quas heri te accepisse oportet: at tuæ hodiernæ literæ significant opus eis deesse. Itaque quid cogitem, nescio. Chartas quinq;, cùm istic essem apud te reliqui: alteras quinque nudius tertius misi; tu, ut omnia jam confecta esse significes, cras tria folia impressa missu-

missurum esse te dicis; iterum tibi dico: quid cogitem nescio. Nam, sive illa ad te perlata sunt: deesse illis, quod agant, non potest: sive non sunt, verendum est, ne eodem modo aut intercipiatur, aut pereat, si quid amplius misero. Itaque nihil amplius mittam, dum quid illis factum sit, cognovero. Vale 10. Kal. Maij. PATAVIO.

EIDEM.
VII.

MIror quid acciderit, quòd à te nihil hoc triduo litterarum; præsertim cùm adhuc ad binas meas nihil responderis; quarum alteras accepisti cum indice eorum, quæ in Catullo peccaverant librarii: alteras cum tertio folio Tibulli. Utinam ne vera sint ea, quæ mihi veniunt in mentem. Nam, verè ut dicam, summus amor erga te meus interdum vereri me cogit de firmitate valetudinis tuæ. Quæso te, eripe mihi hanc molestiam: & si apud te est, ut volumus, ad intermissum scribendi institutum redi. Ego cùm primum à te litteras accepero, mittam ad te & Tibulli reliquum, & scholia. Vale 3. Id. Maij. PATAVIO.

EIDEM.
VIII.

EGo vero te nihil de me tam improbè suspicatum certò scio; teq; omnia scripsisse ἀπλέστατα καὶ ἀφελέστατα; persuasissimũ habeo. Sed quòd ea de re scripsi jocatus sum non tam in te, quã in me ipsum. Sed quan-

* simplicissima et facillima

do tu ita vis, omittantur sanè hæc nomina. Catulli quod reliquum est; ad te mitto. Cætera urgeo. In iis quæ accepi, non admodum multa librariorum menda sunt: nonnulla tamen, sed levis momenti, in Ode Sapphonis tria aut quatuor, quæ sanè excidisse nollem. At hæc relinquamus. Cogito cui Tibullum, cui Propertium, ex more, dicare debeam: neque satis explicare me possum. Nam ex iis qui mihi veniunt in mentem, alii σεμνότεροι sunt, alii κινότεροι. Adolescentes homines vellem ingenio eleganti & non alieno ab his literis, & totum φιλόδοξος magis, quàm φιλογενάτης. Omnino Venetiis exeundum est. Nam ista littora planè littora sunt, frustra artes, frustra serus. Tu, si potes, consilio me adjuva. Nam me hercule, si nihil aliud ostendatur, potius amiculo cuipiam meæ sortis hoc munusculum deferam, qui me amet, qui mihi benè cupiat, qui mihi saltem gratias agat, quam cuiquam existi splendidis, qui omnia sibi ultro deberi putant. Quæso te, quando ego neque defugio neq; defugiam unquam quicquid tu voles laboris, suscipe hanc cogitationem caussa mea & quid facere debeam, mone. Novi te, ut in cæteris, ita in his quoque rebus acutissimum & sagacissimum, ubi tu ut soles, consilium dederis, quicunque erit eventus, æquissimo animo feram. Vale A.

D V. Kalend. Maii. PA-

TAVIO.

EI-

EIDEM.

IX.

De Propertio quietus esto. Libenter hoc & omne militabitur Tibullum, in tuæ spem gratiæ. Neq; quod dixeram, eo dixeram: sed tu aliorsum accepisti, tantum enim loquebar περὶ τῆς φωνήσεως. Accipio tamen, quod das, fore, ut tui isti Pegasi minus incitatè volent. Mitto ad te epistolam ad Bembum αὐτογράφαν. Mihi crede, semel scripsi: semel relegi. sed eo fidentius, quòd ad te mittitur, tanquam Aristarchum, quidquid minùs placuerit. Per me quidem non interpoles modò eam licet; verùm etiam de integro cudas. Tanto melior erit, si tua erit; ac ne sic quidem mea esse desinet. Nam in hoc quidem genere τὰ τῶν φίλων. Quid amplius? reliqua Tibulli cras mittam, ac fortassis etiam scholiorum partem; ut gustum aliquem futuri oneris capias. Tabellarii urgent. Vale. Molinvs te salutat. Postrid. Non. Maij. Patavio.

EIDEM.

X.

Cvm Venetiis discederem, reliqui apud Sixtvm Medicem, optimum & humanissimum virum, cuius ut scis, hospitio usus eram, libros aliquot tuos, itemq; volumen unum mearum variarum lectionum: quæ omnia puto jam pridem ad te perlata esse. De Dionysio injeci jam mentionem Cardinali: cùm ipse me de te, tuisq; rebus per humaniter

niter interrogâsset. Tu si me audis, videbis, ut ne res in longum differatur. Nolim enim contingere ut alius quispiam occupet. De sene illo impuro quid vis tibi respondeam? denuò confirmâsse se dicitur. Omnino tamen si homo bulla, eo magis senex. Sed ô incertam conditionem nostram. Ille exsuccus, exanguis, exhaustus, senio confectus, & ipse orbis senium qui jam jam animam efflaturus videbatur, vivit tamen, vivit? imò verò sed nolo cætera, quæ leviter immutata, pulchrè ut opinor quadraverent. At Gallorum Rex integra ætate, firma valetudine, maximis viribus, florentissimis rebus suis, inopina morte perculsus est. Quo quidem casu valdè acciderunt spes nostræ, magnaq; hîc & animorum & vultuum facta mutatio. Sed omittamus hæc. Cùm hîc sunt studiosi nominis tui, & scriptorum tuorum admiratores maximi: tum M.P. Medius non plebeorum ἐκ τῶν τυχόντων homo & Græcarum & Latinarum literarum scientia excultus, & Philosophus, & si quæris, me hercules etiam poëta valdè bonus, ita te amat, ut nihil ardentius fieri posse videatur. Est autem natura comparatum, ut quos amamus ab iis etiam nos amari velimus. Cupit igitur ad amicitiam tuam mea opera pervenire: & ea re scripsit ad te epistolam, quam ad te, cum his literis mitto. Videor facturus injuriam humanitati tuæ, si te orem ut ad ipsius literas respondeas. Puto enim sponte facturum. Sed tamen, quia & ego hominem valdè amo, & ipse te magnoperè observat, mecumque diligentissimè egit, ut id à te peterem, peto & quæso. Quid jam? quid aliud? Nihil nisi ut valetudinem

Senex

dinem tuam cures: & me ames, & Aldum nostrum, salutes meo nomine; quem ego medius fidius, in oculis fero. Vale. A.D. 14. Kal. Sext. FERRAR.

Dictum meos, quas observabam curasq; salutationis Cratandri Epist. 22.

EIDEM.

XI.

HEri ad te scripsissem, sed volui gratificari Lazaro Mocenico adolescenti optimo, ingeniosissimo, studiosissimo; quod & ipse incensus erat cupiditate cognoscendi tui, & eum ego cupiebam à te cognosci, de quo me tam sæpe prædicantem audiisses. Hic enim est unus propemodum, de quo ego mihi omnia summa polliceri audeo: neq; metuo, ne me spes fallat. Quæso te, complectere eum mea caussa quàm poteris humanissimè: dignus est enim omni benevolentia atque amore. Ingenium summum, industria mirifica, mores optimi, atq; incorruptissimi. Denique quicquid dici de illa ætate honorificè potest, id me de eo dixisse & meritò dixisse tibi persuadeto. Accipies ab eo, quod superest Tibulli, & scholia mea in primum librum: de quibus cupio audire judicium tuum. Quid est, quod hodie ad me Molinius scripsit, mira quædam esse, quæ tu mihi, cùm istuc venissem, dicturus esses? Si me amas quicquid est, scribe. Ego enim, nisi quid aliud acciderit, nondum me istuc venturum puto. Vale 15. Kal. Junij, PATAVIO.

EIDEM.

XII.

EGO verò HERCULI quidem optimo atq; honestissimo adolescenti suæ & tuæ ex caussa: tibi verò, tua

tua & mea ex animo gratulor. Nam & ipsius studiis & valetudini tuæ præclarè consuleetur, & ego epistolas à te accipiam non crebriores tantùm & longiores; verùm etiam ita me HERCVLES amet, nitidiores & alacriores. Vel illa quam hodie accepi, quàm festiva est? quàm hilaris? quàm tua? Itaq; MOLINIVS exultat quotidie addi aliquid ad laborem suum: soletque mihi sæpè in sermonibus dicere, ingenium tuum sibi agrorum Siculorum simile videri: è quibus;

Æstiva quantum decerpunt luce capellæ,
Tantum fecundus gelida ros nocte reponit.

Heri misi ad te reliquam partem scholiorum in Tibullum. Nam in quartum librum cur hoc tempore nihil scribam, magna causa est, Propertium urgeo: cujus principium paucis diebus ad te mittam: id est, cum Tibulli, quod ab operis descriptum est, accepero. Columbinum tuum misi qui ad me accerseret: sed is negavit se domi esse. Cras si non modo columbinis, sed aquilinis etiam feratur alis, non effugiet colloquium meum. Vale mi MANVTI. Χαῖρε, ὥσπερ ἐώθας, αὐτίκα δὲ καὶ διατάλει. 7. Kalend Iunij. Mira illa de quibus mihi Molinius scripserat, si potes, scribe: aut apertè aut συμβολικῶς. * Conjectura liter.

* Et ne quæramo[s] [illegible] videri, vide, nam per[illegible] ge.

EIDEM.

XIII.

SI nihil est aliud, præter occultam quandam coitionem factam à duobus civibus, amicis nostris, ad dejiciendum eum qui successit in Polyphemi locum:

causa

causſa nulla eſt, cur id tantopere celatum velis. Nam hîc quidem res omnium ſermone celebrata eſt. De Ferrarienſi, neq; nihil eſt, quod audiſti, neque tamen mihi adhuc, quid facere debeam, conſtitutum eſt. Omnino cuperem aliquam μετάκλησιν. Non quòd placeat magis in dies Patavium: ſed quid intelligam, ſcio te quoq; intelligere. Neq; verò ita multum laborarem, SIGONIONE an mihi etiam: ſi quæris, mihi quidem magis arrideret ea conditio, qua nunc eſt Sigonius; idq; cum aliis de cauſſis, tum quia tecum eſſem. Spes eſt, aliquid ſuper hac re ante Octobrem à III. viris conſtitutum iri. Neq; ſanè facere aliter poſſunt, niſi paulatim Patavinam ſcholam exinaniri velint. Expectabimus igitur, & ſi res ſuccedet ut volumus, gaudebimus: ſin, humaniter feremus, & proſpiciemus rationibus noſtris. Propertium urgebo, ut jubes. Scholia in Tibullum, cum inibi erit, ut excudantur, velim me paulò diligentius inſpiciendi mittas. In carminibus quibus celebratur hortorum Deus, jambica quædam ſunt, quæ ab omnibus tribuuntur Tibullo. Unum etiam ejusdem argumenti epigramma reperio in antiquo Tibulli libro. Hanc igitur appendiculam adjiciemus, ſi voles. Quartus liber tum multa habet quæ non intelligam, ut in aliud tempus differre ſatius putem. Valdè me pupugit, quod ſcripſiſti de Simiolo illo Pariſienſi; nunquam putâſſem ſub tanta ſimplicitatis ſpecie latere tantam perfidiam. Mihi paucis diebus ad illum alterum neceſſariò ſcribendum eſt: egoq; ſi tibi ita videbitur, libenter faciam, ut inſeram litteris meis,

testimonium meum judicij de eo tui, Tu maximo animo contemne ista omnia, ut facis, & ad valetudinem tuam, vel conservandam, vel confirmandam studium confer. Vale 4. Non. Iunii. PATAVII.

EIDEM.

XIV.

CUM constituissem hodie ad de scribere: hesterno die non scripsi: quòd ἀπέκειαν εἰπεῖν, stomachum mihi moverant versus, quos ad me miseras; de quibus tamen valde amo te. Defunctus enim, ut semper, amici officium es: cùm ea quæ ad me tantoperè pertinerent mihi non ignota esse voluisti. Sed impurum ego illum si vivo; etsi rectius tu: qui tetra hæc & impura animalia, ut despiciam, mones. Coram igitur colloquemur. De Dulcio, eum enim significari puto, consilium tuum sequar. Ad te scribere aliquid te dignum, mihi hoc crede, gestit animus: & est ἀοριστία præclara aut innumerabiles potius ἀοριστίας. Sed ita pridem versus facere desiti, ut valdè metuam, ne nihil succedat. Tentabo tamen, etsi nunc propter hoc consilium de migratione, animo non sum valdè apto ad poëticas hilaritates. Erat & ad Petrum τὸν ξηρόκεων (finge aliquod eiusmodi nomen aut Latinum aut vernaculum, ita quem dicam intelliges) ode una jam pridem scripta: de qua, quid faciam, nescio. Nam neque cum homine in eam suspicionem adducto, nisi prius de illius innocentia constiterit, quidquam mihi esse negotii volo: & perire eam, etsi nihil est, nollem.

Ad

Ad hæc exspecto, quid sentias. Nunc est quod te magnopere oratum velim. In iis litteris, quas ante hos 15. dies ad Petrum Morinum dederam, narrabam deferri mihi conditionem opimam & honorificam inprimis: neque, quænam esset, exprimebam; ajebam autem me eam neque accipere, neq; planè repudiare audere, nisi benè penitus perspecto eius, qui me ad se vocat, animo. Nunc cuperem (ac vide quàm improbus sim, qui te quoque mea caussa improbum fieri velim) cuperem igitur, epistolam ad me benè longam eo argumento scriberes, ut laudares consilium meum, qui & lucro præsenti, quod, ut scis, offerebatur, & tranquillitati studiorum meorum & aliis eiusmodi rebus, huius familiaritatem, ἢ *περιπεσεῖν, ἢ ἀλλοῦτε ποτὲ ὀνομαζόμενον μᾶλις' ἂν δέχοιτο, anteposuerim. Erit tibi campus amplissimus amplificandi conditionem illam quam repudio; & tamen ex conditione ostendendi, quanto sit hæc honestior ac splendidior; dicendi de hominis ipsius laudibus: etiam de iis, qui cum eo sunt: si quis eorum tibi nominatim appellandus ac celebrandus videbitur; idque cum meas rationes accommodatissimum fuerit; tum tibi fortassis inutile ad gratiam ipsius recolligendam, & ad medicinam faciendam animo nonnihil, ut scis, exulcerato. Vellem etiam certo prædiceres fore, ut magnos aliquando ex eo industriæ meæ perciperem fructus. Puderet eum fortasse olim, facere te ψευδόμαντιν. Eam autem epistolam ad ipsum finem tuarum imprimi vellem. Hoc à te vehementer peto. Ea lege tamen si tibi quoq; hoc è re utriusq; nostrûm fore videtur.

* vel recipiam, pe- ad gra- dum ad- nomina- tim maxime si persuaderes.

† mendacem conjicio.

detur. Cras cetera. Vale mi optime & optatissime Manuti. Epistolæ tuæ nullæ præterea sunt: quas quidem edi oporteat. Sunt enim in aliis pleraq; omnia τῶν ἀναγκαίων ἀπρεπῶν. Iterum Vale. Hodierna elegantissima est, sed ut videtur, non divulganda. Nicolaum tuum, aut nostrum potius ἀντωνόμαζομαι. Rursus vale.

EIDEM.

XV.

VAlde recreatus sum iis litteris quas à te hodie accepi. Etenim qui naturâ in omnibus rebus meis δύσελπις πέρα τοῦ μέτρου esse soleam, tantum ex indignatione quadam superioribus, diebus concepta ad illam naturalem δυσελπιστίαν adjeceram: ut non tantùm aliis omnibus asper, morosus, ἀφοσιήτος. Verùm etiam mihimet ipsi odiosus atque invisus esse cœpissem. Sed redibo ad me, meq; amabo, ne quid non amem, quod ames tu, in quo est, quidquid usquam est, amabile. Rasarium, & illud alterum hominis somnium πολλὰ οἰμώζειν jubeo. Quanquam quæ indignitas est, me à tam indoctis tamq; abjectis nebulonibus oppugnari? bóccine seculum? Mihi crede, nisi sustentaret me voluptas ea quam ex amicitia nostra capio, evaderem aut Atheniensis ille μισάνθρωπος, aut Bellerophon Homericus, qui κατὰ πεδίον τὸν ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο, ὃν θυμὸν κατέδων, πάντων ἀνθρώπων ἀλεείνων. De Pola, quid ego tibi? mi Manuti, gratias agam? aut quibus verbis istam animi tui magnitudinem plane regiam prædicem? Ecquod erit unquam tempus, cùm ego tibi, cum liberis tuis aliquam beneficiorum partem repo-

reponam? Sed quo tu liberalior es, & amantior mei, eo me majore studio cavere decet, ne majorem commodi mei, quàm tuarum virium, rationem habuisse videar. Neq; enim æquum est, ut propter me peregrinum hominem, cui nihil est præter animum bonum & fidem, quicquum de tua re familiari detrahatur. Omnia perpeti satius est; non deerit, unde vivam, & si hoc deerit, non deerit, unde moriar. Satis diu vixero, si antequam è vita migrem, insigne aliquod voluntatis erga te meæ testimonium edere potuero. Quanquam quid est, cur hoc sperare debeam? Animus tibi, Manuti, animus pro præmio accipiendus est: quo tu si contentus esse nolles, ad meas maximas acerbitates, accederet illa omnium gravissima; quòd homini uni omnium optimo, & de me optimè merito, gratiam referre non possem. Vale. A. D. 7. Kalend. Septemb. PATAVIO. Scripseram jam nescio quid literarum Ferrariam, ad Petrum Morinum, id cùm, cui traderem, nescirem: visum est, ad te mittere; tuum erit, aliquam viam videre, qua illa & tutò & celeriter, perferantur. Id opinor per Vincentium Valgrisium commodissimè facere poteris. Ille enim solet interdum ad Morinum ipsum scribere. In eis litteris illud etiam adscripsi; cum quid scribere ad me vellet, ut ad te mitteret, te mihi diligenter curaturum. Id, ut facias, peterem à te, si opus esse existimarem.

EIDEM.

XVI.

MOriar si quicquam unquam feci invitus: sed tamen effugere non possum, quin tibi de Tibullo parum obsequar. Etenim quæ in eo libro maximè videntur operam meam requirere, ea ego æquè intelligo, atque si scripta non essent. In ipso quasi limine, eius generis nonnulla sunt; neque tamen despero fore, ut aliquando vel casu incidam, vel labore & diligentia perveniam ad aliquid, quod lucem eorum nonnullis adferat. Itaque quantum me amas, tantum à te peto atque contendo, ut me hac in parte animo meo obsequi sinas. Nam quod vereri videris, ne dem sermonem hominibus malevolis, libro de hoc metu. Malo, si alieuterum necesse sit, silentium meum culpari, quam audaciam notari. Crede hoc mihi, non sine summa molestia facio, ut tì petenti negem. Sed tamen jam pridem convenerat inter nos, ne quid tu à me peteres, nisi quod vires ferrent; quid autem illæ ferant, ego unus omnium optimè novi. Misi qui Columbinum accerseret. Is se cras sub lucem ad me venturum esse dixit: Agam cum eo de re tua accuratissimè, & pecuniæ, quantum opus erit, numerabo. Si fieri posset, ut sex aut septem Tibulli, regia charta describerentur, esset mihi summoperè gratum. Hac de re ipse statuas. Vale & me ama. Postrid. Idus Iunij. PATAVIO M. D. LVIII.

EI-

EIDEM.

XVII.

OBsecro te, quid tu tibi vis cum istis inscriptionibus? Mureto meo, & si nolit: sed malo volentem. Ego tuus esse nolo? aut omnino esse is, quem & esse me & haberi cupio, nisi tuus sim, possum? Ego verò (tuum enim tibi regeram) tuus sum & si nolis: sed malo volentis. Quanquam illud verius, nostrum utrumque utriusq; esse neq; quicquam esse alteri altero carius; idq; quoniam ita uterq; vult, alter etiam debet. An verò me aut oblitum esse, aut oblivisci posse putas, quid tibi debeam? Itaque valde me sanè conturbásti: & miror, quid tibi in mentem venerit, ut id faceres. Quæ errata sunt in Tibullo, & Propertii principiũ, sine ulla dubitatione, cras mittam. Nunc eò non possum, quod omnes mei absunt domo, non redituri, ut opinor, ante cœnæ tempus: & quatuor illa Tibulli folia sunt in cubiculo Molinæi; quod ipse abiens obseravit. De Propertio etiamnũ incertus sum; sed facilis jactura. Nunc ad Columbanum, in quo cupio me falli, sed multa concurrunt, quæ suspicionẽ faciant, eum non optima fide tecum agere, & vulpina potius calliditate, quàm columbina simplicitate præditum esse. Primùm, quòd totum illud genus hominum, qui ex alienis litibus vectitant, quæsticulosq; sibi ex aliena stultitia colligunt, mihi sanè suspectum est; iste autem tuus, nam quæsivi; homo tenuis est; cuius generis, nisi adest probitas eximia, in tranctandis nummis subtesta est, ut

Plautus loquitur, fides, at hæc καθολικώτερα *sunt: & à me ne animadverterentur quidem in eo, quem tu perveterem amicum vocas, nisi alia accederent, ad me nunquam, nisi ter quaterve evocatus, venit; & sæpe, cùm se venturum constituit fallit; libellis tribus sibi opus esse dixerat ad iter; post, quinq; petiit, cùm ad rem venturus est; aureum præterea nummum poposcit, & abstulit; biduo aut triduo serius profectus est quàm dixerat; cùm tanquam mox in iter se conjecturus, à me discessisset, quo se mox ut rediisset, ad me venturum pollicitus esset; non nisi biduo post venit, & quidem ter accersitus. Deinde* πρακτέον ἐστὶ καὶ ἀναστρεπτέον καὶ ἀναβολαῖς, *se ita rem constituisse, ut certissimum sit, his duodecim aut quindecim diebus pecuniam tibi numeratũ iri: melius nihil potuisse fieri. Mandavi ei ut ad te de re tota quamprimùm quàm accuratissimè scriberet: isq; ita se facturum recepit: neque tamen fecit, quantum literarum tuarum sermonem audio. Omnino* πρακτέον ἐστὶ ἀκριβῶς ὅδε εἰλικρινὲς, *negotium. Ego eum denuo conveniam, & urgebo. Literas quas ad Duditium scribis, curabo. Vale A.D.6. Kalend. Quintil.* PLANCIO, *Duditius, cùm hæc scripsissem, venit ad me, & literas tuas accepit.*

EIDEM.

XVIII.

ITerãdum eadem isthæc mihi, *Tam* εὔλυτοι *sunt istic leges, ut, quo de loco, neminem nostrũm* ἐπιλαθέσθαι *cogitare oporteret, eum ad locum,* ὁ Πολλὰς δ' ἀφίξεις *tam facilè perveneris? Quos equidem puto si for-*

si fortè is, cui Græcè ἐ venali silentio nomen est, Bononiam juerit, eadem prudentia, τὸν τῆ Αθηναὶς ἐμβοσκοτὸν in locum illius suffecturos. Ecquid tibi videor σοφὸς αἰνίξασθαι? Sed tamen τὰς τῶν κρατόντων. Redeamus igitur domum. Mihi verò idem planè videtur, quòd tibi: nihil esse ad rationes meas accommodatius, quàm si istic aliquid, quale volumus, confici possit. Quare à te jam non magnopere postulo, ut de me agas, studere te illi alteri cuperem. Video enim eadem via, mihi quoque aliquid confectum iri. De te quidem (si ego tuos sensus bene cognitos habeo) non est, quod Bononienses cogitent. An tu conditionem quietam, opimam, cum propè certa magnarum rerum exspectatione conjunctam, interposita præsertim & tua & mea fide illorum caussa relinqueres? reqúe, abjecta valetudinis cura suscipiendo laboriosissimo munere, in præsentissimum vitæ discrimen abjiceres? De Bargæo injecisti scrupulum. Nam si ille professus fuerit, video petitionem amico illi nostro difficiliorem fore. Absque eo quidem certus, ut opinor, esset. Te omnia mea caussa facturum non dubito, mi Manuti. Scio enim te, quàm constanter, quos semel complexus es, fovere pergas. Sed gratissima mihi tamen est, quam tuis literis expressisti, significatio voluntatis tuæ. Ego, ut me aliquando meritò amâsse dicaris, omni spe conabor efficere. Vale De Philipono oblitus fueram; puto illum apud me esse. Prid. Non. Septemb.

PATAVIO.

EIDEM.

XIX.

ADolescentes, qui ad te has litteras perferent, si genus requiris, nobilissimo ac splendidissimo inter suos orti sunt loco: si bona animi, & studia laudandarum artium spectas, conjecturam facere, vel ex eo potes, quòd, cùm ipsis domi in summis deliciis & in maxima rerum omnium affluentia vivere liceret, longinquas peregrinationes suscipere, seseq; excolendi ingenii caussa infantis difficultatibus objicere maluerunt. Ii cùm judicarent idem, quod omnes qui recte sentiunt, judicant, ingenii & eloquentiæ gloria Italiam cæteris nationibus; In Italia autem longè unum cæteris omnibus PAVLVM MANVTIVM antecellere, neque se studio satis facere posse arbitrati sunt, nisi in Italiam venirent: neque cùm in Italiam veniissent, nisi Pauli Manutii aspectu & collocutione fruerentur. Quod autem descriptis utriusq; nostrùm intellexerant, quanta inter nos voluntatum ac studiorum conjunctio esset; statuerunt se id, quod cuperent, nullo modo melius quàm per me, consequi posse, mecumq; egerunt, ut eos tibi quàm diligentissimè commendarem. Ita igitur facio, petoq; à te, ut, si ulla unquam apud te mea commendatio valuit, quod scio valuisse quam plurimas, huic plus etiam quam cæteris, tribuendum putes: adjiciasq; ad illam humanitatem, qua omnes excipere solitus es, quidquid rogante atq; obsecrante me, adjici potest. Vale Postr. Non. Septemb. PATAVIO.

EI-

EIDEM.

XX.

TIbulli primum folium accepi. Scholia mitto locis aliquot leviter immutata. Lectionem non perfacilem fore operis puto, tum propter alia, tum propter crebras interpositiones. Sed in te spes est, etsi, ne vivam, si non interdum ac sæpe vereor, ne mea scribendi negligentia noceat oculis tuis. Quæso tamen à te, ut hanc molestiam mea causa devores: curesque quod commodo tuo facere possis, ne tam multa hic peccentur, quàm in Catullo, ideò admonere te visum est; quoniàm in primo illo folio, quod accepi, novem librariorum errata sunt, levia quidem nonnulla: sed plurima animadversione digna, quale est charta tertia. Sit dives: jure furorem: cùm scribendum sit: Sit dives jure furorem & cætera. Multum autem ad sententiam interest, ubi nota illa hypodiastoles collocetur. Illud etiam gravius, quod charta quarta ubi vulgo legitur, Capiti: cum ego è veteribus libris emendassem. Capite: nescio qui factum est, ut tui vulgatam scripturā retinuerint. Si me amas jube eos omni diligentia in exemplar à me emendatū intueri; pertinet ea res nō mediocriter ad utrumq; nostrūm. Columbinus tuus profectus est, quo scis, ego nudius tertius ei mox ut dicebat, iter ingressuro, aureum nummū (tantum enim opus esse dicebat) dedi. Puto hodie reversurum, quid actum sit, faciam te confestim certiorem. Propertium sunt qui suadent ut mittam ad Franciscum Gonzagam. Qua de re aveo scire, quid

tibi

tibi videatur. Valetudinem tuam cura diligenter. Salve à Molinio 11. Kalend. Quinctil. PATAVIO.

EIDEM.

XXI.

VEnit ad te altera mea ad Pontificem oratio: quam cupio æquè placere tibi, atque iis placuit, qui me dicentem audierunt; quod cùm mihi venit in mentem tuarum planè Atticarum aurium, & polituli illius ac limatuli judicii, vel sperare, improbum puto: cùm cogito, quantum me ames, quamq; esse soleas mearum rerum, non æquus modò existimator, verum etiam benignus prolixusq; laudator, ne posse quidem aliter evenire arbitror. Brevi, ni fallor, accipies & tertiam. Quod si progrediemur ad hoc exemplum, poterimus olim Pontificiarum orationum quasi τομάριον quoddam conficere. Me à te amari certo scio: neq; dubitare te, quin ego tibi in amore respondeam. Salve à Ludovico Beccatello Archiepiscopo. Molinio meo multam salutem. Vale, A. D. 4. Kal. Ianuar. M. D. LX. ROMÆ.

M. ANTONIUS MURETUS S. P. D. PAULO SACRATO.

XXII.

FEci nuper nescio quid verborum de nobili illa victoria, qua Turcæ à nostris ad Naupactum superati sunt: tanto hominum concursu, quantum ipse non

non facilè credidissem. Quamvis autem res erat nihili, tamen ita multi quotidie petebant describendi sibi potestatem fieri, ut satius visum sit semel, quidquid esset, librario permittere: præsertim cùm magistratus populi Romani judicarent id ad ipsius populi dignitatem pertinere. Exemplum unum ad te mitto: quod semel inspectum cum Paludino, Canalio, Iacobo Canano, Antonio Montecatino, cæterisq; communibus amicis communicare poteris: ut sive placuerit, capiatis ex eo aliquid voluptatis: sive minus, intelligatis tamen, conservari à me ut decet, memoriam vestri. Vale. RŌMÆ 7. Kal. Ian. M. D. LXXI.

EIDEM.

XXIII.

IN multis, tenuibus illis quidem, sed ipsa assiduitatē molestissimis occupationibus meis, usus eram ea libertate, quam tu mihi dederas, ne prius ad litteras tuas respondere necesse haberem, quam Episcopus Hadriæ istuc rediret. Quod tum exspecto, etsi quibusdam & meis & ipsius familiaribus negotium dederam, ut me tempestivè de discessu ipsius admonerent: prius tamen eum abiisse rescivi, quàm de abitu cogitare cognossem. Factum id non modò eorum, quibus id mandaveram negligentia: sed & consuetudine quadam multos jam menses à me susceptâ, nunquam, nisi cùm urget necessitas, exeundi domo, & per rarò veniendi in ædes Cardinalis: non quin & ipse me libenter videat: & ego eum, qua debeo, observantia colam. Sed tanta me satietas, tantē odium & aulæ & rerum au-

aulicarum cepit, ut nunquam mihi magis solus videar, quàm in illa turba: nunquam melius comitatus, quàm cùm me solus in bibliothecam abdidi. Itaq; cum Cardinale ipso ter, opinor, aut ad summum quater collocutus sum, postquam huc venit. Multi fortasse hanc aut asperitatem, aut rusticitatem vocabunt. Vocent sane, ut libet, mihi ægrè est, quod non jampridem ita vivere cœperim, & tamen vivente Hippolyto Cardinali alia ratio erat. Referta erat domus hominibus eruditis, ex quorum convictu at sermone, aliquid perpetuo disceres. Ipse quanquam doctrina mediocri, magno tamen & excelso ingenio, & mirifice dedito studiis nostris. Itaq; domus ipsius Academia quædam videri poterat. Hic amat quidem & ipse mirifice homines bonarum artium scientia excultos, sed sua ei comitas damno est. Dum enim omnes blandè excipit, cum omnibus humanè colloquitur, facilem se atq; obvium omnibus præbet, excitat quidem admirabiles amatores sui: sed à tam multis gratiam ipsius ambientibus perpetuò obsidetur, ut ei vix ad curandum corpus satis temporis supersit. Quid quæris? Ego qui quotidie cum illo alsero suavissimis sermonibus horas aliquot transigere consueveram, nunc in alium quendam orbem mihi delatus videor. Sed hæc mussanda sunt: quæ tamen semel in tuum hominis amicissimi sinum effundere volui, putans in eo aliquid levationis fore. Nunc ad alia venio. Quòd tam sæpe me in epistolis tuis tamq; honorifice appellas gratiam habeo: etsi video te multò plus amori, quam judicio tribue-

tribuere. Sed hoc ipsum non minus iucundum est, sentire me à te unicè diligi. Quid nunc præterea scribam, nihil habeo: nisi fortè illud scire vis: me hoc anno, si Deus volet explicaturum publicè libros Politicorum Aristotelis: in quibus videor mihi navaturus operam & multa ab aliis interpretibus non animadversa dicturus. Hoc te puto malle, quàm quid de bello aut pace dicatur, & quæ eius generis vulgo à circumforaneis hominibus disseminantur, ἐκας Φ- τῶν ἑαυτῶ κήδεται. Vivamus mi Sacrate, vivamus, & canescamus in studiis nostris contemnentes ea omnia quæ vulgò maximi fiunt. Deum & æternitatẽ cogitemus, alia omnia fluxa & caduca sunt. Vale ROMÆ 3. Iulii. M.D.LXXVII.

FRANC. DUARENUS M. ANT. MURETO VIRO DOCT. S.P.D.

XXIV.

CUM nihil à te post discessum hinc tuum, vel etiam de te accepissem, mi MVRETE, ac ingenti desiderio tenerer, de statu rerum tuarum aliquid cognoscendi; equidem, literis tuis tam opportunè mihi redditis, magnopere delectatus sum. Illud verò meam auxit voluptatem non mediocriter quod ex eis intellexi te, mei memoriam absentis summa cum fide & benevolentia retinere. Verùm hoc mihi abstersit molestiæ epistola tua, quòd dolorem illum, aut gravissimum mœrorem potiùs non obscurè testetur, quem tibi ista peregrinatio attulit. Ac

eò magis vicem tuam doleo, quod ante annos, ut opinor, duos & viginti, istorum Scytharum σκυθρωπίαν & barbariem expertus sum: quos ne nunc quidem resipiscere, sed ἀεχάλινον illum suum adhuc tueri ac mordicus retinere demiror. Sed hanc materiam atq; segetem gloriæ integram tibi Deus opinor, reservat: ut hostibus, qui bello tentati à nobis & lacessiti sunt profligatis, ac de possessione jurisprudentiæ expulsis, splendidum aliquando de iis triumphum agas. Id quod jam præsentire ac prospicere mihi videor, si ad eas copias quibus abundas, aliæ paulò firmiores atque instructiores accesserint: quas tibi parare, si nervos in ea re contendas tuos, perfacile est. Ac spero fore, ut hæc cogitatio & ἐυελπισία consolationem tibi non minimam adferat, cupio quidem certè. Nam & nos quoque superioribus annis, cùm eadem cura sollicitaremur, qua te nunc angi video, ea spes valde confirmavit: nec nos omninò frustrata est. Etsi enim ne hîc quidem confecta adhuc res sit, tamen eventus jam propemodum vicit exspectationem nostram: adeo plausibile apud nos populareque est, quod Scythæ vestri insolenter, contumaciter, superbè contemnunt atque oderunt. Mitto principis in nos fœbolamque nostram studium incredibile. De quo pluribus tecum, si opus fuerit, aliâs. Itaq; quod in extrema epistola scribis, unum istic esse doctorem COTELIVM, qui colat nos ac scriptis nostris faveat, ad id ego gloriosius fortè & audacius, sed tamen verè, nisi fallor, respondere possum, quod Homericus Agamẽnon Achilli τὰς ἕμοιγε καὶ ἄλλοις. In quibus & Cotelii tuum, immò nostrum

noſtrum numerari vehementer lætor. Qui ſi talis eſt, qualem eſſe eum mihi facilè ex tuis literis perſuadeo, ne εἰς ἐμοὶ μόνοι, ut paucis quod de eo homine ſentio dicam. Verùm quia plerique ſtudioſorum quibus noti ſunt doctores qui iſtic ſunt, mihi affirmarunt, neminẽ in ea urbe jus profiteri iſto nomine, tu velim, Anarcharſis hic quisquis ſit, paulò plenius me literis edoceas. Quanquam profectò malim, ſi rationes tuæ ita tulerint, huc ad nos maturè te recipias, ut de rebus omnibus corã inter nos conferamus. Qua de re & certius & ſubtilius ad te ſcribam, cùm te mihi totum patefeceris, & quod conſilii habeas (nam de animo dubitare me ſinit epiſtola tua) aliquanto apertius mihi declaraveris. Sic enim habeto, nos quæ te velle, quæq; ad te pertinere ſignificaveris, ea ſummo ſtudio diligentiaq; curaturos eſſe. Vale mi Murete. Avarici Biturig ipſo hilarium die. M. D. LIII.

LUCAS FRUTERIUS M. ANTONIO MURETO S.P.D.

XXV.

INoratus meritò ne dicam improbus, videri poſſem, MURETE doctiſſime, ſi cùm à te non ſemel, verùm ſæpius humaniſſimè acceptus fuerim, ne litterario quidem officio, tantum in me ſtudium tuum, compenſare ſtudeam. Deterruit certè me hactenus & ruſticus quidam pudor, & ut quod ſentio liberius exponam, ingenii mei non obſcura tenuitas. Nunc verò cùm didici ex ſcriptis tuis, ingrati vitio laborare

non modò eum qui beneficiis amplissimis & honorum insignibus acceptis ab aliquo τὸν εὐεργέτην ἐπιλέλησται, ut ait ille, ὀνείδει, sed & illum, qui præstanti ingenio & singulari doctrina virum, in ea loca, ubi & ipse sit appulsum, non è vestigio liberali quodã scripto honestat: meritò sanè & ego in vitio sim, nisi te post tot colloquia, tot sermones ultro citroq; habitos, non quidem opere aliquo laborioso, qui enim possim? sed epistola tamen officiosa munerer. His ego rationibus cum animo meo diligenter expensis, eò deveni audaciæ, ut te & Galliæ totius & Italiæ tuæ clarissimum sidus litterarum mearum cruditate, ab opiparis illis & suavibus Græcorum & latinorum epulis avocare non dubitem: in bonam tamen spem adducor fore, ut his meis legendis aliquid temporis lubens volensq; sis impensurus. Quanquam tamen non ea sint, quæ in doctissimas tuas aures, oculosq; veniant; do nihilominus hoc humanitati tuæ, quam non obscure hactenus & intelligere & agnoscere potui, ut isthæc officii mei in te certissima argumenta, non alieno vultu amplexurus videare. Semper enim hoc in doctis viris desideravi & etiamnum desidero, ut cùm ingenio plurimùm valeant, & possint, comi non minus alloquio sint, & in omnes sapientiæ studiosos obvia voluntate. Quod quidem in Mureto suo desiderare FRVTERIVS nec potest, nec debet: non potest certè, quia humanitatem illius semper promptissimam expertus est; & indies experitur ampliorem; non debet autem, quia mentiri nec potuimus nec veritatem odisse potest. Et hæc quidẽ in mei

mei excusationem adducenda putavi, Murete doctissime, ut intelligeres, quàm religiosè voluntatem in me tuam conservare, & si fieri potest, auctiorem reddere cupiam. Nunc autem, ut quanti apud me sit virtus, & ingenium tuũ, exploratius tibi innotescat, libuit quædam ex optimis quibusq; auctoribus per me nuper animadversa judicio tuo, ut politissimo; sic humanitatis plenissimo exactius ponderanda relinquere: & hoc quidem, non eo consilio, ut te tmnium rerum peritissimum Anagnosten docere videar, quod certè vel cogitare nefas esse duco; sed tamen ut ex te cognoscere possim, sint ne in his meis aliqua quæ vero esse consentanea putes: quinimò ut quæ à me si non corrupta, certe non emendata sunt, diligenti tuo studio nobis aliquando saniora reddantur. Satis verò mihi est, loca quædam obscure depravata, quæ possum luce donare, vel certè tibi indicare: Tuum erat vicissim ea in suam lectionem restituere: quod tibi quàm facilè succedat, non obscurè testantur variarum lectionum præclarissima opera, quæ mihi quidem, multò antè quàm in familiaritatem tuam veni, semper carissima fuêre: & nunc, cum divino illo amicitiæ tuæ bono affectus sim, cariora indies futura. Sed tandem ad rem: ne multa verborum eruditate offenso stomacho, Theriacam Victorii haurire non Varronis mulsum bibere videaris Festus itaque Pompeius, quem ego auctiorem insigniter diligo, tum ob rerum omnium jucundissimam varietatem, tum verborum antiquitatem doctissimorum, multis quidem partibus auctior & integrior ex Italia

prodiit; non tamen omnibus in locis sui se similem ostendit: quod partim Paulo illi Epitomario, partim temporis injuriæ debemus. Sed ut tandem quod agimus, probemus, locus est in P. littera, qui satis quidem obvius est & expositus, sed tamen haud fideliter editus; si modò nec ætate impeditur judicium meum, nec ipse mihi plus justo indulgeo. Dicit Festus: Petisse antiqui pro petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua sunt lacessere & incessere: sed ut mihi videtur, tum significabant sæpius petere, ut petissant, sæpius petant, legendum mihi nuper visum est ut petissant sæpius petant, alioqui insulsum erit, quod Festus dicet, nam cùm subjiciat, petisse sæpius petere esse, non opus est, ut opinor, id tertium repetere, & inculcare, sæpius jam explicatũ, quinimmò simile quoddam verbum adjunxisse debuit, quod fecisse ipsum vel dejerare ausim. Nunc, ut ad reliqua veniamus, faciliora præmittemus, aliqua quæ exactiori probatione indigent, in finem rejiciemus. Festus carissam apud Lucilium vafram significare vult, malim ego catissam dixisset. Nã Catos pro callidis & ingeniosis apud veteres fuisse vel Cato testari potest. Ac dicat aliquis catissam ductui litterarum non respondere, fateor quidem dummodo nec caprissam satisfacere loco huic concedas, quod ab aliquo difficultatem sentienti ad marginem Veneti codicis adjectum est: quod verò ad religiosum illum ordinem litterarum, nihil est. Nam veteres Festi omninò sunt confusissimi, ut facilè credam Festum Acrostichum illam Alphabeticam observâsse: non tamen in syllabis curiosulum fuisse.

Alia

Alio in loco Hirrire, Garrire, genus vocis est canis rabiosæ, in margine est ringere pro garrire, & certè garrire quid ad canes pertineat, non video: nisi fortè, quod R litteræ canibus esse peculiarẽ velint grammatici. Herire quidem vetus est & prope ignotum, rabire quoque si tibi arridebit, vetus esse incipiet, & obscuritate cum hirrio contendere. Nunc in aciem producantur validissima illa bellorum robora, quæ in Triariorum vicem succedant, ut illis prioribus suapte natura parum solidis in auxilium veniant. A veteribus nobis exordium erit; quia scimus eam Romanorum prudentiam fuisse, ut longo usu bellorum exercitatos, & annorum successibus prudentiores in belli cataſtrophen rejicerent. Prodeant itaq; vetustissima illa succrescentis Urbis volumina, Numæ nimirum Pompilii sanctissima instituta, quæ ut sunt antiquissima, ita quoq; antiquis scripta verbis fuisse negari non potest, Festus, cùm, quæ Pellices dicantur, disertè ostendit, pœnam quæ huic mulierum generi per Numam est constituta, subjungit his verbis: Pellex aram Iunonis ne tangito. Si tangat, Iunoni crinibus demissis agnum fœminam cædito, Hanc ego legem ut non esse corruptam arbitrer, vetustati tamen suæ reddendam existimo, quod qua ratione faciendum putem, subscribam. Pellex aram Iunonis ne tagito; si tagit, Iunoni crinibus demessis arnum fœminam cædito. Veram esse & genuinam legis hiusce correctionem affirmare tibi nec ausim nec possim; non ausim quidem, quia id glorioſulum videri possit; non possim verò, quod singu-

lorum exactam rationem nondum invenerim: hoc tamen polliceri ausim, aut talem omninò aut similem esse debere legis huiusce sententiam. Quod autem pertinet ad singula, non tibi novum esse debebit, ut nec futurum scio, si tagito reposuerim & tagit vel taget, cùm vel festo teste notissimum sit veteres ita loquutos, qui Pacuvii Teucrum citat, & hunc versum adducit. Ut ego si quisquam me tagit & tagam. Cæterum quòd crines demessos non demissos velim, ratio est; quòd hac lege non levem quandam pœnam imponi pellicibus sciam; tum quod existimem. Numam ut sapientissimum, ita ut politicum maximè fuisse, neq, omnino sanctissima conjugii fœdera temerè violari voluisse; quinimo graviter admodum in hujusmodi nuptiarum corruptelas animadvertisse, ut jusserit eas Iunoni quæ & ipsa pellex est, arnum fœminam crinibus demessis: immolare crinibus verò demessis, ut quod in fœminis honorificum est maximè, iis auferret: alioqui observare videar in sacris comptissimas fuisse matronas, & lætissimo cultu, quod indicat Tibullus, cùm puellam suam Iunoni sacrificaturam inducit, & Deæ commendat, sic autem scribit.

Natalis Iuno, sanctos cave thuris acervos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi est hodie, tibi se lætissima compsit:
Staret ut ante tuos conspicienda focos.

Hæc ego in loco nò tota, sed tota legam cupidius. Arnum fœminam scripsi, quod sciam ex Festo sic veteres nominâsse. Lex alia est eiusdem Numæ apud Pom-

Pompeium, ubi quid differentiæ sit inter occisum & necatum meminit. Lex autem talis est. Si hominem fulminibus occisit, ne supra genua tollito. In hac Numæ constitutione aliquid desiderari videtur; aut enim dicendum est. Si hominem fulminibus occisit, nimirum Iupiter, aut hoc pacto legendum. Si hominem fulmen Iovis occisit, ne supra genua tollito, fuit tempus cùm sic legerem: Qui hominum fulminibus occisus est ne supra genua tollitur. Tu, quid ex his duobus sit sanius, judicabis. Mihi sat est, tibi vel indicâsse quid sentiam. Supra genua tollere, esse puto, ad sepulturam tradere. Nam Festus & aliam legem Numæ adducit, quæ de eadem re agens sic habet. Homo sine fulmine occisus est, ei justa nulla fieri oportet. Videtur autem mos fuisse olim qui & nunc Galliæ quibusdam in partibus est, ut restibus quibusdam, vel lineis mantilibus feretro circumvolutis, earumq; extremitatibus manui obvolutis, funus ultra genu sustollerent; sicque in locum communem Mettia porta transferrent. Hic ego finem legibus esse dabo, si unam modò adjecero non quidem ex Festo, sed Macrobio, qui libro primo Saturnaliorum, cùm de noctu concubia disputat, Decemviros ait in 12. tab. inusitatissimè nox pro noctu usurpâsse, & hanc legem citat. Si nox furtum factum sit, si jam aliquis occisit, jure cæsus esto. Ego cùm hunc locum legerem, miratus sum cùm de persona non admonuisset lex; tamen subjungere, si im aliquis occisit, statimq; suspicatus sum legi posse hoc modo. Qui nox furtum factum iit si im aliquis occisit, jure cæsus esto; quam conjecturam

meam si calculo tuo dignabere, Murete doctissime, erit quod gaudeam; sin minus, patiar certè vel tantulum temporis subitæ huic emendationi datum esse. Legibus modum imposuisse me fateor: sed tamen omnibus Festi difficultatibus, nego. Sunt enim præter eas quas tibi adferam, vel plurimæ. Silicernium genus esse farciminis docet Festus. quo, inquit, fletu familia purgabatur, dictum autem silicernium, quia cujus nomine ea res instituebatur, is jam silicem cerneret. Cæcilius. Credidi silicernium eius me esse esurum. Quid sibi Pompeius velit non video: cùm dicit, quo fletu familia purgabatur: nisi fortè distinctio interponenda est post quo, & intelligamus farcimine, fletu familia purgabatur. Hæc levia sunt, illud gravius. Multa & accurata cogitatio effecit, ut legendum putarem, quovis esu, quod ipsum & litterarum ductus, & Cæcilii versus probant. Donatus in Adelphis sic de silicernio meminit. Scilicernium cœna est, quæ infertur _ Diis manibus: quòd eam silentes cernant, id est, umbræ possideant; vel quod qui hæc inferunt cernant, neque degustent: quod quidem meæ sententiæ opponi videtur. Tuum quidem judicium esto, ego vel somniis istis meis facilè cesserò; tu verò variis tuis lectionibus, quas propediem auctiores expecto admiscere poteris hæc loca, genuinæ lectioni suæ per te data. Properabam ad alia Festi loca, & ecce venit in manus meas, & alia 12. Tab. constitutio, quam eò libentibus tibi indicavi, quòd & in eam Auratus tuus cogitationem & conjecturam suam interposuerit. Talionis mentionem fieri in 12. inquit Verrius

rius hoc modo. Si membrum capserit, ni cum eo pacit, talio esto. Auratus cùm legit conjecturam meam statim legi posse putavit hoc modo. Qui membrum capserit & cætera, & capserit interpretabatur privaverit, ut in illo talpæ oculis capti. Verbum non addam de homine & optimo & doctissimo, tantùm à te petam, ut quid tu de his legibus sentias, rescribas. Nulli certè felicius id negotii committi potest, ne Trebatio quidem alicui. Satis enim superque ostendisti in divinis illis operibus tuis, quantum tibi omnes Latini & Græci auctores & debeant & debere velint amplius, si illos melius quidem jam habentes in ipsissimam sanitatem restituere pergas. Extremum adjiciam, quod in Festo corrigendum puto. Taminia, inquit, una silvestris generis videlicet tertio dicta, quod tam mira sit, quàm minium; legendum existimo, quod tam rubra sit quàm minium. Mecum facit Plinius lib. 23. cap. 1. ubi sic de Taminia scribit: Maturescit Astaphis tum vindemia nigrescit, cùm Taminia rubentes norimus acinos. Nunc subjiciam loca quædam quæ & obscura sunt, & correctione indigent; quali vero non dicam; quia nescio, nec multum scire laboravi; tibi vero facillimum erit ea ingenii tui divinissima acie penetrare, & suis è tenebris eruere. Ait Festus, Redarguisse, Scipionem Aphricanum per e litteram protulisse, eundemque pertisum dixisse non pertesum, de quo meminerit Lucilius cùm ait: Quo facetior videare, & scire plus quam cæteri, pertisum hominẽ non pertesum dicere ferunt, nã genus. Primũ quidam manifesto scribendum Redarguis-

se videtur cùm id aiat Festus, tum lucilii versus quadrati videntur; quibus tamen nigra est cauda. Tu his lacunis felicissimè impletis, nobis pro tenebris oblatis, lucem reddes. Locus alius est eodem in Festo aequè deploratus; cui quidem aliquid opis attuli: quòd tibi eum indicavi; tuum verò erit, qua es humanitate, nobis eum saniorem dare. Sponsis benè, beneq; volueris in precatione augurali, Messala augur aut significare spoponderis volueris. Cùm hunc locum attentius legissem, sensi tandem Messalam, qui formulam quandam precationis antiquae referret, ea verba utpotè obscura explicare voluisse, cùm dicat sponsis significare spoponderis & volueris, volueris dico ego vel nil cernere me vel aetate impediri judicium meum; aut locum hunc corruptum esse; quomodo tamen corrigendus sit ignoro; nisi fortè vulsis legas pro volsis, itaq; precere, Bene sponsis, beneq; volsis. Alia sunt, quae mihi sunt obscurissima, sed ea coram agentur latius: Nondùm tibi molesta esse desivit infantia mea, quam re vera simplicius erit & rectius garrulitatem appellare; quia non tam infans est, quam indecenter loquax nimis. Sed dabis hoc observantiae in te meae. Dii enim meliora, quàm ut tantum temporis, perire cupiam tibi, dum singula haec inspiciat; quinimmò nisi ea essent, quae studiosis olim omnibus, mihiq; in primis utilissima forent, omninò te ab optimarum rerũ studio avocare inanibus istis somniis nollem. Sed audi, quaeso, quod restat. Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 7. cùm de Laberio equite Romano agit, quem Caesar Iulius quingentis millibus invitârat, ut prodi-

prodiret in Scenam, & ipse ageret mimos quos scripsitârat, hos eius versus subjungit, quos tamen librariorum culpa corruptos nobis edidit Sunt autem hi,

Necessitas, cuius cursus transversi impetum
Voluerunt multi effugere pauci potuerunt,
Quò me detrusit penè extremis sensibus?
Quem nulla ambitio, nulla unquam largitio, & cætera.

Hi versus ut sint vénusti multum; tamen venustiores futuri videntur, si unius litteræ mutatio accesserit. Legerem itaq; libens tertio illo in versu. Quo me detrusit penè extremis censibus? Erat enim Laberio præmium à cæsare oblatum Quingentorum millium. Quod tu quidem immane esse pretium nosti. Quin addit, se, cùm juvenis esset, nulla largitione, nullis honoribus de statu moveri potuisse. Sic scriberem ego, de te nondum certior, sed brevi, ni fallor, futurus. Intelligere possim, extremis sensibus in senecta ætate; sed nil ad rem, quia subjungit statim,

Ecce in senecta ut facilè labefecit loco,
Viri excellentis mente clemente edita
Submissa placide blandiloquens oratio?

Sequitur.

Ego bis tricenis annis actis sine nota
Eques Romanus è lare egressus meo,
Domum revertar mimus?

Sic legi debere & versus ratio & ipsi orationis contextus ostendunt.

Paulò

Paulò pòst est;

Fortuna immoderata in bono æquè atq; in malo,
Si tibi erat libitum litterarum laudibus
Floris cacumen nostræ famæ frangere, & cætera.

Hæc omnia sunt corruptissima. Quid enim est litterarum laudibus floris cacumen famæ frangere? legendum putarem Ludionum laudibus vel lusibus potius; sic enim locum quendam Propertii emendavit Auratus noster, ubi agitur de Spartæ laudibus; quæ nudus puellas in gymnasium mittebat cum viris decertaturas. sic habet versus.

Quod non infames exercet corpore laudes.

Auratus ludos legit. Sic itaque Laberii versus repono.

Fortuna immoderata in bono æquè atq; in malo,
Si tibi erat libitum Ludionum lusibus,
Florens cacumen nostræ famæ frangere,

Vel certè florum cacumen, quod erit, floridum. Nam florus dixisse veteres pro eo quod floridus nunc est, exploratum habeo. Sequitur:

Cur cùm vigebam membris præviridantibus,
Satisfacere populo & tali cum poteram viro,
Non me flexibilem concurvâsti, ut carperes?

Non hîc quidem benè habet carmen. Nam qui tandem ille est trimeter, Non me flexibilem concurvâsti, ut carperes? lego, ut cæteros, vel cæperas. Certè quidquam ejusmodi substitui debet. Extremum addit Fruterius non minus, ut sperat, Mureto suo gratum futurum, quam vel alia omnia. Cùm hæc scriberem incidi in libellum quendam sodalis mei, ad cuius frontem am-

amylo vel potius visco librario impactum erat folium quoddam membranæ, in quo reperi hæc quæ subscribam. Videbatur autem Grammatici cuiusdam figmentum aliquod; de quo tamen affirmare non possum, sic habent ea. Inveni marum pro marium, quod tamen in raro est usu, genitivus apud Nævium in carmine belli Punici. Senex fretus pietate dominum adlocutus summi Dominum regis fratrem Neptunum regnatorem marum; eius ablativum Cæsar quinto belli Gallici ponit Paulò latiores, quàm quibus in reliquis utimur maribus. In vulgatis codicibus, statim à principio hunc in modum leges. Ad onera & ad multitudinem jumentorum transportandam paulò latiores, quàm quibus in alio mari uti consueverant. Certè, si hic est locus, quem citat Grammaticus ille, mirum est tam sui dissimilem esse; sed fieri potest ut in alio Cæsaris libro sit hic versiculus. Tu vel optimè id scies, qui optimos quosq; auctores tibi familiares habeas; inprimis vero Cæsarem. Hæc pauca sunt de multis, Murete doctissime quæ ad te scribenda putavi, partim ut ἀχαειςίαν qua tetrius esse vitium nullum puto, à me amolirer, partim etiam, ut, quo in te animo essem, non ignorares. Benè vale, Galliæ tuæ & italiæ totius clarissimum decus. Cuperem omninò, Murete optime, ut his meis non voce, sed tabellis respondere digneris: quod in suffragiis tabellariis factum nôsti. Deus ero, si vel literulam à te extorqueo. Iterum vale,

& nos ama.

MV-

MURETUS JACOBO CANANO MEDICO S.

XXVI.

CONvalui. Hoc me gratius, aut optatius tibi epistolæ principium reperire nullum posse, certò scio. Febris fuit tertiana duplex, qualem tu à me tertio ab hinc anno Ferrariæ depulisti: nisi quod hæc mitior & remissior fuit. Itaq; octavo me die, postquam corripuerat, reliquit. Curatus sum non medicamentis modò, sed & missione sanguinis: de consilio Angeli Iustiniani nostri, qui medicamenta non solùm ipse præscripsit, sed & magnam partem eorum sua manu confecit, ac concinnavit. Omnino & ipsius & omnium qui hic sunt; sed præcipuè ipsius, & Petri Normesini, mirificum quendam expertus sum in me amorem, miram in curanda valetudine mea solicitudinem, sedulitatem, assiduitatem. Neq; ita hos prædico, ut non cæteris quoq; plurimum deberi me fatear: Nam & Bartholomeus Ferrus (puto te antea nesciviſſe id nomen Theologo nostro esse) & Hieronymus Lippomannus, & Abbas Rossetus contendere quodam modo inter se videbantur, quis pluribus atq; expressioribus judiciis studium erga me patefaceret suum. Mihi crede, tanti erat ægrotare. Nunc confirmatus avidè expecto, quid vos istinc scribatis de nostro in Italiam reditu. Quanquam enim tuæ literæ certa prope & explorata nunciant; non desunt tamen hic qui sponsione certare parati sint, vos in Gallia hybernaturos. Alii

aliter

aliter putant, sed tamen dubitationis aliquid affert, quòd hîc nondum pro certo auditum est, Nichettum abiisse, qui si media hyeme redierit (& jam vix videtur aliter fieri posse) tamen ne se alienissimo anni tempore, asperrimo cœlo, invîis viis, tam longinquo itineri committurus est Cardinalis? ita disputant quidam; qui mihi non satis cognitum habere ipsius ingenium videntur. Ego enim hoc ipso argumento utor, cur magis augurer fore ut abeamus. Herus enim noster, qua est magnitudine animi, hanc ipsam occasionem accipiet declarandi omnibus hominibus, virtutem & constantiam suam; neq; æstatis ardoribus, neq; asperitate hyemis retardari. Quare si aliud nihil obstiterit, ibimus vel si cœlum ruat. Meam voluntatem si exquiris: equidem negare non possum, quin tanto mihi desiderio sit Italia, quanto fortasse nemini nostrûm: sed ad res meas multò accommodatiùs esset exspectari à nobis tempus illud. Virgilii Georg.

---Gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit.

Mea enim maximi momenti negotia citius explicari non queunt. Sed quod fors ferat, ut ille ait, feremus æquo animo. Iter hyeme capessendum si fuerit, incommoditatem, reditus celeritate compensabimus: sin expectandum ver, commoditate temporis ad conficienda quæ volumus, desiderium Italiæ leniemus. Sed ut futurum est, obsecro, obtestorque te per amicitiam nostram, ut expisces, si potes, aliquid certi, idque ad me scribas, quam

poteris certissimè. Permagni mea interest, scire quid futurum sit, propterea quod consilium mihi ad rationem itineris dirigendum est, & aliud capiendum, si properatur profectio, aliud si differtur. Cura igitur pro eo, quanti apud te sum, ut mittas ad me aliquid explorati. Id si tacitum haberi voles, nemini indicabitur. Mi optime & optatissime Canane. Vale & ama me ut facis. Salutem quibus videbitur. Nostri omnes te salutant, è Karoli loco. Prid. Non. Octobr. M. D. LXII.

EIDEM.

XXVII.

EGo verò jam subverebar, ne mea hæc nova ad te scribendi ratio parum tibi probata esset: adeoque (vide quanto in errore versatus sim) meditabor excusationem. Sed gaudeo contrà cecidisse quàm putaveram. Nunc tu à me, & crebras & longas litteras expectato. Ea tamen lege, ut mihi liberum sit, nullo ordine, nullo delectu quicquid in buccam venerit, scribere. Literæ tuæ omnes mihi redditæ sunt: neque facilè credas, quantam mihi voluptatem attulerint. Quanquam enim non sum solitus valde magnam curam suscipere de iis quæ ad me nihil pertinent; neque quisquam usquam est minus, quàm ego sum, rerum novarum curiosus; libenter tamen intelligo progressus istius calamitosissimi belli, præcipuè cum ea nunciantur, quæ spem adferunt aut victoriæ, aut honesta alicujus compositionis. De recepto Avarico jam hîc auditum erat, multò antè quàm tuas ea de re litte-

litteras acciperem. Sed videor per nebulam inaudisse quiddam, quod haud scio an litteris committere debeam, indicabo leviter. Et enim si falsum est, nihil periculi fuerit, etiamsi tu, quid sit, non assequare: sin verum, quamvis leviter admonitus, facilè totam rem intelliges. Fuêre igitur hîc, qui pro certo ac comperto affirmarent, potuisse oppidum per vim capi, invictissimis hostibus, nulla deditione, nullis conditionibus, nisi quorundam aut scelerata collusio, aut stulta clementia, alienæ virtuti impedimento fuisset. Quod si est, facilè fuerit jam nunc prospicere, qui futurus sit exitus: Neq; enim dubium est, quin suum quisque institutum conservaturus sit ad extremum. O mi Canane, qui tandem finis huius tam molestæ peregrinationis futurus est? Quando erit ut ad Eridani, aut quod malim ad Tyberis ripam inambulantes, concinere possimus illud Euripidis.

Suavis est laborum preteritorum memoria. Sed pedibus nobis ne conficiendum sit iter, metuo; si verum est, quod modò hæc allatum est, equos omnes furto sublatos esse. Malam pestem illi abigeo, quisquis est. Sed quid est, quod ait Balbus, ferventius quàm unquam antehac, agi de pace? Utinam quidem eveniat: ut nobis tanto maturius in Italiam redire liceat: antequam incidamus in hyemem. Sed hæc, ut opinor, somnia sunt: quæ tamen cuicuimodi erant, scribenda tibi fuerunt. Aliud enim nihil erat, quod scriberem. Præclaras illas historias, quas tibi superioribus literis promiseram, neque vacat scribere, neque nunc quidem satis tutum est. Sed, mihi crede,

crede mirificus homo est ille noster: neque magis in quoquam deprehendi verum esse id, quod ex te sæpissimè audivi, vitandam esse ei familiaritatem eorum omnium, apud quos conservare auctoritatem suam vellet. Nostri omnes te salutant. Saluta mihi tu istic, quos videbitur. Contarellum præcipuè, & Gerardinum. Vale. Karoliloci 12. Kal. Octobr. M.D.LXII.

EIDEM.

XXVIII.

VErum est quod audisti. Trepidatum hic est ab omnibus: neque sanè injuria. Quis enim constare animo posset, cùm audiret fusum ac fugatum esse exercitum regium, peditesque concisos, equitatum dejectum ac dissipatum, ex ducibus ipsis alios interfectos, alios vulneratos, Comitem Stabuli captum? Mihi crede habent justam excusationem timoris. Nam mea quidem, ut mox audies, non eadem causa est, quæ cæterorum; sed cùm hîc ita crederetur, nihil propius esse, quàm ut ad hanc domum diripiendam turma aliqua militum accurreret; Theologus noster, homo, ut scis, minimè bellicosus, qui videret sibi adversus illos homines nihil in Theologia sua præsidii fore, quanta maxima celeritate potuit, collegit sarcinas suas; & iter in Belgium cepit. Comitati eum sunt Abbates duo, neque de iis quicquam postea audivimus. Cæteri, ut scire te puto, Lutetiam ibant sed cum in itinere alium nuncium accepissent, huc omnes multa jam nocte redierunt. Ego biduo ante Bellovacum pro-

profectus eram; quo me Cardinalis miserat. Ita autem fors tulit, ut eodem plane temporis puncto, quo illi redibant, ego quoq; redirem. Quo factum est, ut prius rediisse sciverim, quàm abiisse scirem. Hilaratis igitur omnium animis, multum inter cœnam risimus; multa in eos qui remanserant, plura in eos qui fugerant jocati sumus: mecum omnes præclarè actum esse dicebant; qui quasi prosperarem ac divinarem quid futurum esset, & fugissem ab acerbitate prioris nuntii, & ad posterioris lætitiam accurrissem. Nunc hîc ego & Petrus Normesinus suavissimè vivimus, venatu, aucupio, piscatu, & quod caput est, bonis sermonibus: neq; vobis invidemus, quos istic ambitio aureis compedibus alligatos tenet. Vnum me malè habet. Theologi absentia: quem desidero, & ut discipulum magister, & ut magistrum discipulus. Operas enim permutare inter nos cœperamus, ut ego eum Græcas literas, ipse me Theologiam doceret. Valde magnam voluptatem mihi attulerunt literæ tuæ, quod & lætanumiabant, & omnia accuratissimè ac minutissimè persequebantur: Conserva, quæso te, istam consuetudinem: sed noli expectare, ut tecum pariá faciam. Tibi enim quæ scribas, plurima quotidie suppetunt: mihi quod scribam fere nihil est, nisi hoc ipsum, nihil esse quod scribam. Ego & Petrus Normesinus te communiter salutamus, atq; à te petimus, ut nostro amborum nomine Contarellum salutes. Vale, è Karoliloco. A. D. 7. Kalend. Ianuar. M. D. LXII.

EIDEM.

XXIX.

O Tristem nobis & acerbum nuntium de Rege Navarræ: quem nos hîc etsi acceperamus ex aliis: sustentabamur tamen aliqua spe, donec allatæ sunt literæ tuæ: quas ego utrasq; heri vesperi acceptas communicavi cum omnibus nostris: neque eorum quisquam fuit, qui non ita certò statueret, cùm tu ita scriberes, fieri aliter non posse, quin planè deplorata esset optimi & religiosissimi principis salus. Cuius interitu quantam plagam Gallia, quantam caussa religionis acceperit, vereor, ne paucis diebus magno nostro malo sentiamus. En quos fructus civilia bella pariant. Hoc unum miseræ Galliæ restabat mali, ut veteres illas Thebanas calamitates in suo sanguine renovatas videret. Quid enim interest? nisi quod illic eiusmodi fratres contendebant, ut utrumq; cadere expediret: quod & contigit. Hîc cùm è duobus fratribus alter errore ductus, & quasi præstigiis quibusdam oscacatus, contra patriam; quodq; gravius est, contra Deum arma ferat; alter nihil unquam habuerit antiquius, quàm ut & fratrem reduceret, & famam caputq; illius modis omnibus conservaret: Ei allata nex est, cuius in vita & fraterna salus, & magna ex parte totius regni tranquillitas nitebatur. Quod si qui pro patria dimicantes mortem oppetiverunt, eorum memoriam summo cum honore omnes anni consequentes excipiunt: si consecrari ac propè divinis honoribus affici

post

post mortem solent, qui Christianæ religionis defensionem vita sibi priorem ac potiorem esse duxerunt, quos tandem honores satis amplos congerere posteritas in eum principem poterit: qui pro quarum rerum utravis mortuum esse satis est ad immortalitatem comparandam, pro earum utraque pugnans, animâ spoliatus est? Nunc ille cœlo receptus, ex alto res mortalium despicit: & ut nuper auctoritate, consilio, manu communem Dei & Karoli Regis caussam tuebatur, ita nunc precibus ad Deum, cuius aspectu fruitur, fusis, eandem fovere ac sustentare non desinit: inprimisque ut credibile est, filiolo suo eiusmodi duces ac consiliarios precatur, qui ipsum in paternæ potius constantiæ, quàm in maternæ pervicaciæ imitationem deducant. De fratribus autem, quos sibi superstites reliquit, pro altero petit, ut quàm citissimè mutetur; pro altero, ne unquam mutetur. Addit alia iis congruentia quæ nos sperare fortasse possumus, optare quidem sine ulla dubitatione debemus. Vides, quàm & ipse otiosus sim, & esse te putem: qui & tecum, Poëtarum more, de iis quæ aguntur in cœlo fabuler, & tibi ad hæc legenda otium suppetere existimem. Sed tua quidem conditio melior, qui desinere ubi vis, deinde si quando neque dormire vis, & somnus urget, repetere intermissam lectionem potes: mea deterior, qui homo cùm piger ad omnia, tum ad scribendum pigerrimus, cogor hæc, tanquam ad clepsidram, scribere. Etenim tum demique admoneor, cùm aliquis statim profecturus est. Duplex autem mihi imponitur difficultas: quòd & subitò scribendum

dum est, ne officio desim, cùm tu ad me creberrimas, de omnibus quæ istic geruntur, amantissimè & accuratissimè perscriptas literas mittas: & multa scribenda, quo te expleam: cùm in hac solitudine novi nihil, nisi ea quæ istic adferuntur, audiamus. Dabis igitur veniam nuganti mihi, & quia res non suppetunt, verba fundenti. Scio enim te inanes, dum longas epistolas anteponere aut nullis, aut brevibus. Nunc ad alia venio: hibernaturos in Gallia esse nos, jam, ut opinor, exploratū est; neq; id mihi valde molestum erit, dum aut Lutetiæ, aut in aliquo alio oppido esse liceat. Nam horum quidem memorum jam pridem tædet; neq; mihi quidquam longius videtur, quàm dum tecum sim, ut more nostro legamus una aliquid quotidie, seu novi quid suscipere libeat, seu potius Taciti annales persequi; quos ego totos in hoc secessu devoravi. Interea peto à te, ut quemadmodum instituisti, scribas ad me, quod commodo tuo fiat, quàm poteris sæpissimè. Non enim facilè credas, quàm dulces mihi ac jucundæ sint literæ tuæ. Saluta mihi amicos omnes, inprimis Contarellum: cui dices me de libello ad me misso maximas gratias agere, & mandata ipsius diligenter curaturum esse. Hæc ego ad ipsum scriberem: sed novi hominis occupationes. Itaq; scribere me hercules ad eum non audeo, nisi cùm est necesse. Salve ab omnibus nostris, & valetudinem tuam cura, è Karolilloco Postrid. Id Novemb. M. D. LXII.

HORA-

HORATIUS CARDANETUS MURETO S.P.D.

XXX.

MItto ad te MVRETE eruditissime, omniumq; politiorum litterarum decus (liceat mihi quod sentio, ac potius, quod docti omnes sentiunt, sine ulla assentationis suspicione, vere loqui) paucas aliquot epistolas tuas: ad me humanissimè ac elegantissimè scriptas; quas Lucas Sempronius noster, optimus juvenis, & utriusq; nostrum studiosissimus, tuo nomine à me petiit. Descripsit eas libenter & eleganter Balthasar Ansideus, tuúsne an meus dicam? utriusq; certè quantum alter alterius esse potest, agnoscès facilè ipsius manum: qui superiore anno in describendis variis lectionibus operam tibi suã navavit, tui quidem admirator ac laudator est mirificus. Si de tuarum epistolarum editione cogitas, rectè cogitas. Nihil enim detrahent de eloquentiæ tuæ fama, quam luculentissimæ tuæ orationes tibi pepererunt. Excellis tu quidè, Murete, ac mirus es in omni scriptionis genere, seu carmen pangas, idq; variis numeris: seu solutam texas orationem: seu poëtam, ut Catullum, interpreteris: seu oratorem, ut Ciceronem, explices: seu Græcos vertas, ut Aristotelem; quicquid denique quoquo modo literis mandes, elegans est politum, ingeniosum, eruditum, omnibus numeris absolutum. Tua me scripta omnia capiunt, tenent, revocant, nulla unquam eorum satietas, vel ipsæ epistolæ, quas properanter exarare te scio, quam venustæ, quàm sæpe

eruditæ, quàm semper urbanæ? Quod si volumen ipsarum legatur, studiosorum manibus teretur, ac, si ullius foret ponderis auctoritas, judiciumq; meum, ad eas edendas te cohortarer. In quo Politianos, Bembos, Sadoletos, Manutios, mitto alios, imitabere. Neque levius tibi scriptionis genus videatur, tuoq; ingenio, ac eruditione indignum. Proponam enim gravissimos doctrinaq; principes viros, qui munus sunt illud aspernati, laudemq; sibi ex eo quæsiverunt; Plinium, Ciceronem, Platonem. Memini etiam epistolam me tuam legere; in qua de bene scribendæ epistolæ difficultate disputas; hanc autem semper sequitur laus, illud igitur tui judicii erit, quo excellis. Verùm hoc hactenus ego, quod jam diu litterarum officium intermisi, hanc arripui occasionem, velim existimes, tantum me tibi tribuere in literis, quantum alii nemini. Nisi igitur impudentior sim in petendo, mitte ad nos aliquod ex tuis scriptis, quod tanquam sacrum Balthasar & ego custodiemus, nec emanabit unquam te invito. Appellarem te crebrò per literas, sed partim vereor ne interpellem nugis quanquam officiosis; partim per valetudinis infirmitatem, docendiq; molestas occupationes, quibus invitissime distringor, haud commodè licet, cupio tamen consuetudinem repetere: mercaturam, q; istam exercere, quam tu mihi aliquot ab hinc annos proposuisti, quam si exercuissem, multum fecissem lucri; quod si minus mihi licuerit, dabo negotium Balthasari meo omnium quos cognoverim, bonarum omnium litterarum cupidissimo ac studiosissimo,

simo, qui jam adest cum tuis epistolis descriptis: ac fasciculum obsignabit. Vale, mi Murete, atque ab eo salve. Lucam Sempronium semel à me tibi commendatum, quo primùm tempore ad Urbem venit, nunc iterum commendo, non quo ipse à me petat, sed mea tantùm benevolentia in ipsum susceptа, ob eximiam eius probitatem, quibuscunq; rebus illi commodaveris mihi commodaveris. 5. Id. Ianuar. M. D. LXXIX.

M. ANTONIUS MURETUS S. D. HORATIO CARDANETO SUO.

XXXI.

QUid ni enim te meum vocem, Horati optime & humanissime, cùm & ipse te singulariter diligam, & me ita tibi carum esse sentiam, ut nulli te veterum amicorum meorum in me amando cedere profitearis? quod quidem ego, ut, quia summè cupio, facile mihi persuadeo, verè à te atque ex animo dictum esse; ita causas, quibus te ad istam voluntatem erga me suscipiendam adductum esse scribis, non agnosco. Immò verò majorem in modum à te peto, ut si, cùm me ac mea diligentius inspexeris & excusseris, animadvertes, non esse in me eam eruditionem, eamque eloquentiam, quam tu fortassis aliquando credidisti, nolis me luere ac sufferre poenas erroris tui: neve, quasi vitiosum aliquid aut morbosum pro sano emeris, ex aedilicio edicto agere ad redhibendum

dum velis, sine ita amabis ut hominem & honestis studiis deditū, & ingenuum, apertum, simplicem, rectum, minime fucatum, minime tectum, inprimis φιλόφιλον, præstabo tibi ea omnia cumulatè, neq; unquam in eiúsmodi rebus fallam opinionem tuam. Eò tu sepraterea aliquid addideris, ut multarum rerum scientiam, ut eloquentiam, ut cætera id genus: ipse, quomodo tibi caveas, videris. Ego ea neq; polliceor, neq; præstabo, his legibús initam mihi esse tecum & constitutam amicitiam volo, quas à te quoq; non gravatè acceptum iri púto, atq; equidem cùm multis de caussis antea amaverim Gisbertúm Oddum, adolescentem optimúm & pleno gradu ita tendentem in ea studia, quibus nos delectamúr ut quod serius in eam viam ingressus est, assiduitate & diligentia compensatúrus esse videatúr, habebo posthac cariorem etiã hoc nomine, quòd is conciliatior, quasi συνεκτὴς huius nostræ conjúnctionis fuit. Magna sanè cum voluptate repeto memoria tempus illud, cùm ipse mecum de doctrina tua deq; suavissimis moribus, & creberrimè & amantissimè loquebatur. Addebat etiam nonnulla de studio quodam & amore mei tuo, quem tibi ex tuis sermonibus cognitissimúm esse dicebat: ego autem & aúdiebam ea libenter, & eisdem habebam non invitus: út ad credenda quæ júcunda sunt, faciles natura omnes simus. Itaq; iisdem ex eo sæpe & constanter audiendis, sic jam incalueram; ut quemadmodúm in aridissimam siccissimamq; materiam quàm potest incidere tam parva scintilla, quæ non ma-

maximum subito incendium excitet, ita nulla posset cc
à te dari tam pusilla tamq; tenuis significatio eorum, cc
quæ de Gisberto audieram, quæ non ad me totum mi- cc
rifico quodã tui amore inflammandum satis habitu- cc
ra virium videretur. Adhuc hæc erant; cùm affe- cc
runtur à te ad Gisbertum literæ, non solùm scriptæ e-
leganter ac politè, quod tibi proprium ac perpetuum
est, verùm etiam illum amorem in me, de quo tam
multa tam sæpe audieram, omni ex parte spirantes.
Quid quæris? ita exarsi, ut nihil fieri posset ardenti-
us. Successerunt primis illis alteræ, tertiæ, aliæ dein-
ceps, eadem omnes suavitate perfusæ, iisdem insignes
amoris notis. Nonne igitur inhumanus sim, planeq;
ferreus, nisi tam amanter à te ultro appetitus ac pro-
vocatus, tibi in amore respondeam? sed non commit-
tam, ut eo nomine accusari possim, semperq; sine ulla
retractatione. si quid accidet, in quo amicitia mea ti-
bi aut usui aut ornamento esse possit, ne qua in parte
veri amici officio defuisse videar studiosissimè operam
dabo. Quod ad literas tuas tardius fortassis tua exspe-
ctatione responderim, scito, eas mihi nũdius tertius
tandem redditas esse. Vale, postrid. Non. Decemb. ex
Urbe M. D. LXIV.

EIDEM
XXXII.

VOlo tecum, Horati, si modò ab eo voluntas tua
non abhorret, quasi mercaturam quandam in-
stituere literarũ: ut quando iisdem ferè in studiis no-
strûm

strûm uterq; versatur, si quid & bellum atq; elegans, & non vulgare, neq; protritum, dum ut longinqua littora, ita veterum scripta lustramus, reperisse videbimur, id in commune conferamus, & alter cum altero communicemus. Hoc feciſſe veteres illos, quos ENDOCOELO, ut Cicero in legibus loquitur, MERITA LOCARVNT, Hippocratem Coum, & Democritum Abderiten, Platonem Athenienſem, & Tarentinum Architam: tum è noſtris (quanquam illos quoq; quid ni noſtros vocare liceat?) ſed tamen ex illis, quos uſitatius noſtros dicimus idem inter ſe Ciceronem ipſum, Nigidium, Atticum, Varronem facetitâſſe ſatis aperte ipſorum monumenta declarant. Quorum ego exemplum, quantum in me eſt, renovare cupiens ad hanc te ſocietatem, Horati, voco: quam niſi refugis, non dubito fore, ut ex ea primum uterque noſtrûm; deinde etiam alii, non eorum modo, qui nunc ſunt, ſed etiam, ut Homerico verbo utar, τῶν ὀψιγόνων; ſi non magnos atq; uberes, aliquos tamen aliquando capiant fructus. Eius autem, niſi tibi ſecus videtur, ea leges ac pactiones erunt. Primum ut quidquid alterutri noſtrûm quocunq; in ſcriptore antiquo occurrerit, quod aut ſit, aut videatur obſcurum, ambiguum, depravatum; de eo, ut ipſi alterius ſententiam exquirere fas ſit: deinde ut is, qui ſententiam rogabitur, re diligenter penſitata, cum amicis etiam, ſi videbitur, communicata, quidquid aut commode cogitare ipſe, aut ex aliis expiſcari potuerit, aperiat: tum, ut ſi alterutri aliqua alterius opinio non probabitur, liberum ei ſolutumq; ſit, cauſſas,

cur

cur eam non probet, exponere, ingq; qui reprehendatur, aut potius admonebitur, non modò læsum se ac violari in eo: verùm etiam beneficium sibi tribui putet: postremò, ut quidquid alter ab altero acceperit, nunquam neq; privatim, neq; publicè id se ab eo accepisse dissimulet: quin potius utergq; omni ope omnes alterius ornandi atq; amplificandi occasiones, non tantùm oblatas arripiat; sed etiam studiosè diligenterq; perquirat. Hæc si faciemus, alter alterius industriam acuemus, ingenium excitabimus, & discemus denique vicissim, & vicissim docebimus. Gisberto quidem nostro, quem ego adolescentem quotidie plus amo, quod ipse quotidie honesta studia plus amat, præsens ex hac nostra negotiatione lucrum paratum est. Ego enim, qui cùm ad cætera omnia, tum ad scribendum ita piger sum, ut nemo magis, eo post hac, cùm ad describam, amanuensi uti cogito. Nam & ipse cùm laborē caussæ mea libenter capit, tum hoc studiis suis inutile non fore arbitratur. Vale. 3. Kal Ian. M.D.LXIV.

EIDEM.

XXXIII.

REspondeo tibi breviter, ut & postulas, & occupationes meæ cogunt. Non te præterit, apud optimos utriusq; linguæ auctores reperiri quædam seu de industria seu ab aliud cogitantibus peccata, quæ Grammatici modò ἀνακόλυθα, modò σολοικοφανῆ vocant: cùm illi non ipsam conformationem orationis, aut vo-

cum

cum convenientiam sed id modò, quod sensum est respiciunt. Exempla scio tibi non deesse: sed tamen ut videas me tecum ἀτεχνῶς καὶ ἀδόλως agere, congeram quæ in mentem venient. Terent. Hecyrâ. Nam nos omnes quibus est alicunde aliquis objectus labos. Omne quod est interea tempus, prius quàm id rescitum est, lucro est. Ut omnia conere non reperies, cum quo cohæreat illud, nos omnes. Sallustius. Sed antea item conjuravêre pauci contra Rempub. in quibus Catilina fuit: de qua quàm verissimè potero dicam. Idem. Interea servitia repudiabat, cuius initio ad eum magnæ copiæ concurrebant. Idem. Familia nostra cum populo Romano bello Carthaginensi amicitiam instituit: quo tempore magis fides eius, quàm fortuna pendenda erat, quorum progeniem. Idem. Abundantia earum rerum, quæ prima mortales ducunt. Atq; ut in aliis, ita in hoc quoq; Sallustius Thucydidens fuit. Apud illum enim talia ὅσα νῦν. Plautus, Hos quos videtis stare hic captivos duos, illi qui astant; ii stant ambo non sedent. Sed ne apud Plautum quidem talium modus est: huius generis sunt & illa Homerica:

Τέκνον φίλε. fili dilecte. Et:

Ἐννῆμαρ μὲν ἀνάσσατον ὤρσετο κῆλα θεοῖο. ἰλας: ac. 33 cap. 5.
Nouem dies quidem per exercitum mittebat sagittas dei.
Τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορὴν δὲ καλέσσατο λαὸν Ἀχιλλεύς.
Decimo autem die conuocauit populum Achilles.

Et:

Ἐθνέα πολλ' ὀρνίθων ἀγελαίων πτερύγεσσιν.
Multitudo varia gregum alitum pennis.

Et illud Virgilianum:

Crastina lux, mea si non irrita dicta putaris,
Ipse [illegible]antes Rutulæ spectabis cædis acervos.

Et:

Et:

Pars pedes ire parat campo, pars arduus altis
Fertur equis.

Possum e Sophocle, Euripide Pindaro, aliis quamlibet multa congerere: sed ne longior sim, est, ne tibi homini eruditissimo videar diffidere, pauca tantùm tibi in memoriam ex ipso Cicerone revocabo. Ita igitur est in secundo Tusculanarum; Etenim si orationes quas nos multitudinis judicio probari volebamus: (popularis est enim illa facultas, & effectus eloquentiæ est audientium approbatio) sed si reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent, nisi quod se imitari posse confiderent, &c. Scio esse locum quendam ubi ad Atticum scribens, cùm epistolam dixisset, ita reliquũ orationis contexuit, quasi literas dixisset, non epistolam. Sed nunc non venit in mentem. Inspice diligenter locum illum ex Catone majore, ubi citantur hi duo versus Cæciliani:

Tum etiam in senecta hoc deputo miserrimum,
Senire ea ætate esse odiosum se alteri,

& vide, cum quo ea, quæ statim subjungit, cohæreant: Jucundum potiùs, quàm odiosum. Neque enim hoc dicit, Miserum est, senire, se jucundum potius, quàm odiosum: sed hoc si quis commodus senex sit & humanus, eum jucundum potiùs esse, quàm odiosum. Quæ tamen sententia, si verba tantùm spectes, effici nullo modo potest. Revocabo te ad illos ipsos libros de ORATORE. *Ita igitur loquitur, in jocorum tractatione. Ex eodem hoc vetus illud est, quod ajunt, Malàginensem illum Mi-Scipionem,*

cùm

cùm ex centuria sua renunciaret Accidinum consulem, præcoq; dixisset, Dic de L. Manlio: virum bonũ, inquit, egregiumq; civem esse arbitror. Vide quàm conveniat, Maluginensem illum, cum verbo inquit: quod postea subjunxit. Eodem igitur modò cùm dixisset: etenim cæteræ ferè artes, & cætera: ita dixit postea, cuius terminis septa teneatur, quasi non benedicere, dixisset, sed ars benedicẽdi, quod orationis ἀκολαβίαν postulare videbatur. Habes verbosam & insuavem epistolam, ut scriptam à properante, & occupato: etiamq; ut tibi molestia duplicitur, mea manu scriptam: ut fortassis etiam in legendo aliquid tibi negotii futurum sit. Gisbertius enim noster, propterea quòd ei hodie ad fores herilis cubiculi assidendum est, ut statis vicibus omnes cubicularii solent, operam mihi dare non potuit. A te peto, ut me ames: quòd cùm facies, mutuo te facturum esse scio. Vale ROMÆ 6. Kal. Mart. M.D.LXV.

EIDEM.

XXXIV.

AD eas literas, quas à te amoris plenissimas nuper accepi, statim respondissem, si otiosus fuissem, sed eram occupatus in recognoscendo volumine quodam orationum mearum, quod à me his superioribus diebus librarii extorserunt verius quàm impetrârunt. Omninò enim constitueram nihil posthac scribere. Sed me, ut consilium mutarem, amicorum nimis bene de me sentientium non cohortationes modò;

dò; sed preces assiduæ coëgerunt. In eo igitur eram occupatus cum accepi litteras tuas; & simul cogitavi, si paulo serius respondorem, damni nihil in mora fore. De loco illo Ciceronis non puto te dubitare, quin sententia tua vera sit. Nam vel idipsum, quod ais videri posse obstare, magis etiam eam, si accuratè inspicias, confirmat. Si quid aliud erit, de quo sententiam meam cognoscere cupias, scribito, non committam, ut quidquam à me, quod ego quidem præstare possim, frustrà petas. Amo enim te vehementer, tum quòd multis nominibus dignissimus es, qui ameris, tum quòd ita me amas, ut inhumanitatis notam effugere non possim, nisi tibi in amore respondeam. Vale ROMÆ. Prid Idus Aprilis die ipso natali meo, quem tu mihi faustum ac felicem precare. M.D.LXX. Salutata mihi Gisbertum meum: etsi ei subiratus sum: quod quiddam à me sibi in arcanis commissum continere non potuit. Veniam istuc, ut spero, mense Majo proximo, & præsens ab eo pœnas reposcam. Quæ enim tantum triduũ domi ipsius esse decreveram, ulciscendi caussa, totos sex dies manebo. Ad eum scribere nunc non licet per occupationes, propediem scribam.

EIDEM.

XXXV.

NEmini aut mirabilius est aut molestius, quàm mihi, tamdiu differri adventum ad vos meum, sed nescio, quo modo ter jam contigit, ut cùm in viam dare me vellem, jamque sarcinulas componerem, subitò

bito exstiterit aliquid improvisi atq; inopinati impedimenti. Itaq; nihil amplius ea de re vobis habeo polliceri. Nisi illud certè mihi excuti nullo modo potest, veniendum tamen, & quæ obstant, omnia qualibet ratione superatum iri; sed ἀεγαλέον πρᾶγμα alieno arbitrio vivere. Præcipuè si quis ei serviat, qui pro suo commodo omnia aliorum incommoda non nauci faciat. Equidem manibus pedibusq; ut dicitur, omnia faciam, ut vobiscum unà esse possim ante Kalendas Iulias; sed si id non potero, certè quidem mense Septembri, si vivam istic ero. Vos interea me, ut facitis, amabitis, & ad me scribetis, ubi commodum erit. Ego vos vicissim amabo, de vobis sæpissime & cogitabo & loquar; si quid erit; quod vestra caussa efficere possim, studiosè atq; amicè omnia procurabo. Vale Romæ, 9 Kalend. Iun. M.D.LXX. Marcello Vestrio S. Qui etiam meo nomine, nisi molestum est, Paulum Æmilium Comensem salutabit. Vereor ne ad te perlatæ non sint literæ, quas ipso meo natali die scripseram. Nulla enim in tuis earum mentio.

EIDEM.

XXXVI.

VAlde tardi effecti sunt tabellari vestri, qui quadragesimo demum die literas huc istinc adferant. Idem mihi accidit haud ita pridem literis quibusdam Gisberti Oddi, quæ cum scriptæ ab eo essent de mense Novembri, perlatæ ad me sunt ineunte Ianuario. Sed hoc tamen commode, quòd hodiè potissimum,

ut

ut qui dies unus ex omnibus summa hilaritate ab omnibus traduci solet, eo potissimum hilararer jucundissimo sermone literarum tuarum, & recordatione amoris erga me tui; simulq; quoniam ab interpellatoribus nihil est periculi (ludis enim & spectaculis omnes hodie detinentur) vacui temporis ad respondendum aliquid haberem. Igitur de me meisq; studiis jam cognosse te aliquid puto ex iis literis, quas proximè ad Gubertum dedi, satis enim scio earum te statim participem factum. Terentianum illud, si sit opus, joci caussa dictum est: quasi evenire ullo modo possit, ut hoc quoq; facto opus sit. Ergo si sit opus, si quis à me id fieri postulet: si quis hoc sibi à me officium tribui petat: si quis in eo me sibi gratificari velit: si quid eveniat, ut publicè interfit eum laborem à me capi, &, si cogites, multa nos quoque vulgò ita jocantes dicimus. Quando ita jubes sedebo, cum tamen nemo jubeat. Honoris tui caussa ad prandium ibo, quasi qui id facit, non sua potiùs caussa faciat: hodie in prandio pulchrè tibi operam dedi, quasi qui benè ac libenter vescatur, non sibi potius operam det quàm amico. Ex eodem genere est illud, si sit opus, de quo satis jam multa. Albedo, latinum non est, non magis quàm nigredo. Sed ita sumus omnes, etiam qui paulò melius latinè loqui putamur, quàm vulgus solet. Dum confidimus, nos jam eam facultatem consecutos, ut vel aliud agentes emendatè loquamur, multa inepta, & ne in pueris quidem ferenda effundimus. Isti præcipuè delicati, qui omnia sibi præter Ciceronem putere ajunt, qui si sine Nizolio possint unam

aut alteram epistolam scribere, Germanos, se esse CiceRones putant: qui Senecam contemnunt, Plinium irridentem, Tacitum damnant: ad inferiorem verò temporum scriptores etiam nauseant, qui me aut mirantur, aut miserantur, aut irridentem, quod ex Apuleio ipso, aut Sidonio quædam petenda esse dicam ad usum latini sermonis: illi igitur ipsi sæpe ita & loquuntur, & scribunt, ut non eos modo, quos ipsi tantoperè abjiciunt, quos præ se contemnunt; sed eorum pistores ac coquos multò latinius locutus fuisse constet. Ad omnia epistolæ tuæ capita responsum esse arbitror. Vale 3. Kal. Martij. M.D.LXXI. ROMÆ, quo ipso die literas tuas accepi, quibus adscripta erat dies 7. Kal. Febr. Ne me tam serò tibi respondisse mireris.

EIDEM.

XXXVII.

POstquam ad te nuper scripsi de illo Terentiano, si sit opus, venerunt mihi in mentem alia, quæ apertius confirmarent explicationem meam. Simile igitur est illud ex Adelphis.

Tu inter eas restim ductans saltabis M. probe.

Et tu nobiscum una, si opus sit.

Et illud Catulli ex epigrammate in Vettium.

Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis.

Sed nolo alterum versum adscribere; neque puto esse opus

Quamvis igitur sperabam sententiam meam ita tibi probatam esse, ut nihil præterea argumentis opus foret; tamen

tamen ne hanc quidem ad te scribendi occasionem prætermittendam putavi. Vale, & Gisbertum mihi salutia, & si quos istic præterea nôsti amantes mei. ROMÆ. Postrid. Non. Mart. M. D. LXXI.

PETRUS JOANNES PERPINIANUS M. ANTONIO MURETO S. P. D.

XXXVIII.

ONus Ætna gravius mihi videntur sustinere, qui alteri fidem suam adstrinxerunt: nisi eius aut cui, aut pro quo spoponderunt, humanitate subleventur. Scis, credo, quid velim. De versibus illis in D. MARIAM Lauretanam, qui eos à te optabat, propter singularem exspectationem elegantiæ & doctrinæ tuæ, is me urgere non cessat. Ego tametsi, inscio & inconsulto te, me temerè recepisse intelligo; tamen hanc temeritatem in spondendo meam tua eximia, in re perficienda, humanitate compensatum iri confido. Si quid possunt fontes & pomaria Tiburtina, si quid iste secessus otii à quotidianis occupationibus tuis attulit, oro te atq; obsecro, ut ostendas, me nonnullum apud te gratiæ locum obtinere. Quædam tecum communicare cupiebam: sed ea melius, ut spero, coram, ubi ad nos redieris. Nam summus nostræ Societatis magister statuit, ut Romæ anno proximo manerem. Nostri omnes te salutant. Vale,

Ex urbe 18. Kal. Septembr.
M. D. LXIV.

M. ANTONIVS MVRETVS S. D. PETRO IOANNI PERPINIANO Societatis IESU.

XXXIX.

CUpio equidem & meam, & tuam fidem liberare: sed mihi adhuc multa, ne id facere possem, obstiterunt. Primùm quòd quem locum, quodq; tempus otii, & quietis plenissimum putabam fore, in eo me & multa, & longissimè à studiis meis abhorrentia negotia occupatum, atque exercitatum habuerunt. Nam, ut cætera taceam, his paucis diebus bis mihi Romam eundum fuit; quod etsi leve videri potest, tamen ea mihi profectiones octo amplius dies abstulerunt. Deinde quòd multos jam & menses, & annos intermisi poëtica studia, ut etiamsi quid olim fuisset in me eius facultatis, quod sanè aut nihil, aut pertenue quiddam, & perexiguum fuit; efluxisse id tamen, & exaruisse necesse sit. Postremò δεῖ γὰρ τ' ἀληθῆ λέγειν, tardiorem me, ac timidiorem facit exspectatio illa, quam de meis versibus concitatam esse scribis. Scis enim quàm inutilis ea atque aliena sit placere cupientibus. Nam si illud à me postulatur; ut eorum elegantiam æquem, à te ipso mihi versura faciunda fuerit. Utut est, meditabor tamen propediem aliquid: sed si me amas, quod quidem ita mihi perspexisse videor, ut quin ita sit dubitare non debeam, minue, obsecro, quantum potes, istam exspectationem: ac persice, ut ille amicus tuus, à me tanquam à malo nomine, ut nummos, ita versus etiam si neq; opti-

optimæ notæ erunt, neq; justi ponderis, æque tamen animo accipiendos putet. Benè factum, quod te Societatis vestræ magister Romæ retinendum judicavit. Mihi crede, magnam molestiã cepissem è discessu tuo. Nunc spero fore, cùm istuc rediero, ut fruar tua suavissima mihiq; optatissima consuetudine, quam ego quanti faciam, spero te re ipsa aliquando cognituram. Vale TIBVRE. 16. Kalend. Septemb. M. D. LXIV.

PETRUS JOANNES PERPINIANUS M. ANTONIO MURETO S. P. D.

XL.

TUum tandem reditum exspectare non possum. Timeo tamque ne sit ille tardior: mihi autem maturato est opus. Quonam, inquis, adeo festinas ut pauculos hos dies exspectare non possis? Nusquam equidem; noli metuere, ne mutata Magistri nostri sententia, mihi sit ex urbe profugiendum, rem totam à principio audies. Præpositus iterum Rhetoricæ scholæ, à qua me solutum penitus ac liberum esse arbitrabar, de Præfecti nostri sententia statui Aristotelis de arte dicendi libros explicare, ut si nihil tanti magistri subtilitate dignum in lucem potuero proferre, quod ita planè futurum esse video, certè conatus ipse in re per difficili, nonnihil ab auditoribus gratiæ & benevolentiæ consequatur, summiq; Philosophi nomen apud omnes illustre, languidiora juvenũ

studia vehementiùs excitet ad discendum. Multa igitur ita ut fit, legenti & meditanti mihi, quæ ad eorum librorum explicationem usui fore viderentur, quædam occurrerunt, quæ meum animum ita dubium & incertum habent: ut non facile sit statuere quid sequar. De his tuam sententiam exquirere decrevi, ubi redisses. Verum, ut dixi, timeo, ne serius, quàm mihi est opus, revertare. Quare agam tecum per literas absens, quòd verbis præsens agere non possum, & quid ex te scire velim, paucis perscribã. Non enim dubito, tametsi longè abes à libris, quin omni me dubitatione, nullo negotio sis liberaturus: eò magis quòd de quibus ambigo, ea tibi jamdudum quæsita, cogitata, tractata esse scio. Primum itaque velim cognoscere, quid tibi videatur de partitione artis Aristoteleæ in tres libros: præteritum ne putes hoc opus, quod nemo Aristotelis esse negat, à Laërtio qui duorum tantùm librorum fecerit mentionem: an in numero librarios fuisse mendosos: an in duas duntaxat partes totum illud quasi corpus ab auctore distributum, ab aliis postea in tres fuisse divisum: num quidnam aliquando legeris apud antiquos Aristotelis interpretes, aut alios idoneos auctores, ex quo perspici possit, quot in libros partitus ipse fuerit hanc artem bene dicendi tam accurate conscripteam. Deinde περὶ τῶν ἐξωτερικῶν καὶ ἀκροαματικῶν συγγραμμάτων ecquid comperti habeas? Nam ut à Cicerone, Gellio, Plutarcho, Galeno, Ammonio, Simplicio divisionem hanc operum Aristoteleorum confirmantibus dissentiam, nullo præsertim duce, nullo auctore, cuius nomen

grave

grave apud alios esse debeat, animum inducere non queo; argumenta contra sententiam qua ratione refellam, non video. Cur enim, in primo libro Νικομαχείων libros de anima, quos subtilitatis plenos esse omnes consentiunt ἐξωτερικὰς appellat? Cur hos ipsos de moribus libros ad Nicomachum modò vocat ἐξωτερικὰς, ut in tertio πολιτικῶν libro, modò ἀπὸ τῶν ἐξωτερικῶν sejungit; cùm in ipsis τὰ ἐξωτερικὰ, veluti genere prorsus diversa, citet? cur τῶν ἀκροαματικῶν nulla usquam mentio? Quod enim octo libri τῆς φυσιολογίας, καὶ φυσικῆς ἀκροάσεως inscripti sunt, eam ego inscriptionem idcirco Aristotelis ipsius non esse suspicor: quod nusquam illi ab eo libri hoc nomine citantur. Postremò doceri cupio, an Dialecticæ nomen sic ab Aristotele aliquando usurpetur, ut non τὰ τοπικὰ solùm, sed totam omninò Logicam comprehendat. Alexander enim in proœmio τοπικῶν, tres tantùm tradit hujus verbi significationes: de hac verò vulgari notione, prorsus nihil. At mihi in hoc, quod subjiciam, loco, primi de Rhetorica libri, καὶ ὁ συλλογισμὸς ὁμοίως ἅπαντος τῆς Διαλεκτικῆς ἐστὶν ἰδεῖν, ἢ ἀυτῆς ὅλης ἢ μέρους τινὸς, non alia notio ei videtur esse subjecta. Nolim tibi esse molestior: His nunc ero contentus; si quid est aliud, de quo scire velim quid sentias, id ad tuum in Urbem reditum reservabo, ne jure queri possis, ne in otio quidem tibi licere esse otiosum. De versibus, quos avidissimè exspectio, nactu prudentissimè feci, qui tãdiu nostros animos tenueris exspectatione suspensos, ut tanquam poculum aquæ frigidæ longinqua siti exarescentes,

tes, sic nos illi multum cupientes, & diuturno desiderio flagrantes insolita quadam suavitate perfundant. Accipio tamen excusationem, modò quàm citissimè, quod commodo tuo fiat, eos ad me mittas. Nam quod vereris; ut exspectationem de te conceptam possis explere, vide ne, dum modestus haberi studes, parum de nobis amicè existimare videaris. Quid enim? hic tu nos intelligentiæ communis expertes esse putas, ut quàtum à quoq; sperandum sit, videre nequeamus? aut tam parum studiosos tui, ut quemadmodum nobis satisfacias, vehementer sit tibi laborandum? facis tu quidem, quod te decet; ut nihil à te, nisi summa industria elaboratum, atq; perfectum exire patiaris: verùm, sic habeto, tantam esse omnium nostrum erga te benevolentiam eam de ingenio, & doctrina tua existimationem, ut si quid minus dignum tuo nomine editum à te fuisse videremus, id quod accidere nullo modo posse intelligo, sed si quid à te elucubratum scriptorum tuorum dissimile forte legeremus, nobis te potius tantum contendere, quantum posses, quàm quantum contendisses, efficere non potuisse crederemus.

M. ANTONIVS MVRETVS
S. P. D. FRANCISCO BENTIO Societatis JESU.

XLI.

UTraque litera tuæ mihi gratissimæ fuerunt: hæ posteriores eò etiam gratiores, quod subdubitabam, ne ægrè tulisses, nihil à me ad illas SENENSES, responsum esse, etsi videbar satis respondisse, cùm quæ petebas, ad te miseram. Mihi enim videtur melius petenti respondere, qui silentio facit quod rogatur, quàm qui verborum affatim rependit, rei nihil. Gaudeo te Perusiâ venisse, unde opinor crebriùs à te literas exspectare potero. Cupio autem scire, quem potissimum scriptorem explicandũ susceperis. Nam, si nihil aliud, exacuam industriã tuam: ecq; fortassis ad locos quosdam diligentius, quam ab aliis solent, tractandos excitabo. Cave enim putes quidquam mihi accidere posse jucundius, quàm videre te τηλυγέτην, ut ita dicam, disciplinæ meæ alumnum florentem laudibus, & quotidie longius progredientem in ea via quam me tibi olim monstrare memini. Et si tu quidem, ut à me discessisti, multo, quã ego sum meliores magistros nactus es. Sed quid tum? blandior mihi γενναιότερος; & quia te olim nescio quid docui, videor mihi te quantus quantus es, aut potius quantus futurus es, produxisse. Sed ut hæc missa faciam, scin tu me nuper à Pontifice iterum antique, ut ait HORATIVS, inclusum ludo?

Cum

Cùm enim Cæsarius multorum jam stipendiorum veteranus missionem impetrâsset; egerunt mecum primùm Cardinales, deinde etiam αὐτὸς ὁ ἀρχιερεὺς ut eam provinciam susciperem. Multa argumenta allata sunt, quæ me moverent; sed unum ἄλυτον, καὶ ἄφυκτον, quo pro ducentis aureis annuis, quadringentos proposuerunt, Homini autem egenti, & propter imminentem senectutem paulò ad rem attentiori, nullum medicamentum adhiberi potuit efficacius. Itaq; redibo jam ad veteres illos Congerrones meos Ciceronem, Horatium, cæteros, & mihi quodammodo repuerascere videbor. Tumultuantur tamen, qui ex me Pandectas audiebant, & negant se quenquam alium ferre posse. Plerique etiam nisi me habeant, Iurisprudentiæ se multam salutem dicturos profitentur; ipsi viderint. Ego ludibundus quadringentos illos quotannis in arcam, δεσμὸν ἄλυτον, & ἄφυκτον, concludam; ut sit aliquando unde otio frui possim. Beatum te, qui eam vivendi rationem ingressus es, ubi à talibus curis animus liber est. Noli tamen putare à meipso hæc ita curari; ut angar: λανθάνω τὰ δίδυμα, & quia usque huc paulò negligentior fui, ex illa negligentia ita aliquid detrabo, ut nihil detraham ex hilaritate. A
» dolescentem, qui mihi literas tuas reddidit, vidi perli-
» benter; & mihi, quantum ex una colloquutione existi-
» mandi potestas fuit, visus est tua commendatione di-
» gnissimus. Salutа mihi si quos istic nôsti studiosos mei. Vale mi Beati optime & suavissime, & me ama. Ro-
ma 5. Kal. Septemb. M. D. LXXII.

GVLI-

GVLIELMVS CANTERVS M. ANTONIO MURETO S.P.D.

XLII.

ETsi satis audaciter facere videor, vir doctissime, cùm te literis meis interpello; quoniam tamen hunc libellum proximis his mensibus edidi, putavi me non satis ex officio facturum, nisi cùm eundem ad te mitterem, tum veniam à te rerum tuarum peterem. Etenim, cùm id, quo libellus noster est exornatus maximè (Athenæi fragmentum dico) à te primùm in manus nostras devenerit, postquam tu id cùm Aurato nostro communicâras: nemini potius hoc totum, quidquid est mitti debuerat quàm tibi. Iam quod ea fuerim audacia, ut rem à te ἀνεπίγραφον habitam publicare sim ausus, non miraberis, si quanta debeat esse studiosorum hominum inter ipsos rerum omnium communitas, tecum cogitaris. Huc accessit, quod non leviter suspicabar fore, ut alii, nisi ego prævertissem, eam gloriam, cujus ego te participem jure feci, sibi solis essent prærepturi. Quanquam nihil magnoperè video, cur ea res gloriæ tuæ, quæ jam pridem est toto orbe clarissima, multum addere ponderis potuerit. Quis est enim in omni quæ incolitur terra ita barbarus & omnis expers elegantiæ, ut Muretum non cognoscat, amet, exosculetur? Ego certè, ὁ τῶν λόγων ὅσον οὔπω γυμνάσιον, tanti te, liberè ut loquar, facio, quanti haut scio an alium neminem. Sed, ut ad ipsam rediam libellum: in eo si fortè alicui majorem vi-

videbimur habuisse veritatis quàm hominum rationem, suggeret tibi spero memoria tua, qua vales plurimum, quid de veritate Socratem Plato sensisse tradiderit. Quid quod eam præbent optimæ literæ suis cultoribus libertatem, ut in utramq; partem sine periculo disputare possint? nec enim hîc opus est τὸν σὸν ψυχῆς δεσμεῖν. Quocirca, si hoc à te consecutus fuero, vir doctissime, ut nihil huius libelli editione offensum te ducas, non admodum timebo, ne quis de me conqueratur alius: sperabo potius me, quod ille dicebat, sine invidia laudem deinceps inventre, & amicos parare posse. Et quoniam non facile fortassis me, qui sim, agnosces: velim tibi Aurati tui atque mei in mentem veniat cuius ego convictu, cùm tu ante annos duos in Galliam venisses fruebar. Fruterii quoq; cum quo me aliquando, si non es oblitus, vidisti. Si quid etiam dignaberis rescribere (quanquam nos tantum boni non meremur) ad Oporinum, vel Petrum Pernam Typographos Basileenses literas curabis. Bene vale, vir doctissime, & eum te à nobis haberi crede, ut quod aliquando de nobis Auratus, condiscipulorum comparatione, ludens dicere solebat, id meritò tibi doctorum omnium respectu tribuamus, quid hoc? inquies, τὰ δ' ἄκρα κορυφᾶσαι τῷ Μυρήτῳ FRANCOFVRTI nundinis autumnalibus, anni M.D.LXIV.

ALE-

ALEXANDER IVSTINIANVS M. ANTONIO MURETO S.P.D.

XLIII.

TE post tuum discessum VENETIIS in febrim incidisse, aegrè sanè tuli, ut debui: idque statim meis literis significâssem: sed præter morbum, tibi molestus esse nolui. Nam indies experior quam molesta ægrotantibus omnia penè esse soleant. Cæterum mitescente jam morbo, nullum φλαυθικὸν λόγοις in tam magno præsertim elatoq; animo, adversum omnè fortunæ temeritatem mihi locum relinqui video: & sortassis, ipso jam fugato, convalescenti gratulandum potius, aliquid serii ad te scriberem, nisi id mihi Medicorum legibus παρὰ τῶν ἀνακομιζομένων interdictum scirem. Scribam aliàs, & quod toties recepi, tandem cumulatissimè præstabo, præsertim cùm χρύσεα ἀντὶ χαλκείων à te sperare liceat. Interim cura ut valeas, ego verò, & Joannes Datianus noster, valemus, teq; plurimum salutamus, & cùm primùm per valetudinem tuam licuerit à te literas exspectamus. Vale VENETIIS, Prid. Kal. Octobr. M.D.LVIII.

EIDEM.

XLIV.

Veteris illius familiaritatis ac necessitudinis, quæ mihi maxima tecũ olim Venetiis intercessit, mini-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666/phys_0397
DFG

nimè te oblitum esse opinor, neque tot amicorum ἀποσυγχρίσεως, ex animo tuo nostri memoriam effluxisse dubito. Plurimum sane momenti ad vulgaris cuiuspiam amicitiæ diuturnitatem in assiduitate literarum positum esse non diffiteor: mutuam vero inter nos benevolentiam, certo judicio semel susceptam, eam ipsam virtutem, quæ genuit, & continuisse & conservasse certo scio. Namillam sanè προσφιλίαν, quam Athenæus jure μισαλλήλοις τοῖς ἀτιμοτάτοις appellat, ad cuius præscritum τοὺς φίλους αἱρούμενοι, ἐκ εἰσὶ φίλοι, tibi probari nequaquam credo, cùm amicitiam non locorum spatiis; sed amicorum moribus metiendam esse non ignores. Quod si ad meã erga te benevolentiam, accessionem quoq; mearum litterarum à te desiderari, mihi significaveris, non solùm hoc officii genere tibi post hac satisfaciam, sed etiam eius longo tempore à me prætermissi usuram cumulatissime reddã. Quanti vero te faciam, quamq; tui sim memor, testem habes Ioannem Bissonerium, quem tibi cùm morum probitate, tum doctrina singulari conciliatum esse audio. Eum, mi Murete, sic velim tua humanitate complectare, ut ea omnia, quæ in me, si Romæ essem, conferres, in eum conferas. Est enim mihi amicissimus, tuiq; amantissimus, neq; te unquam pœnitebit in eum beneficium contulisse. Experieris me hercle re ipsa & grati animi juvenem, & commodorum memorem. Expectabo litteras tuas, quibus & me à te amari adhuc intelligam, & si quid Genuæ à me agi voles, certior fiam. Vale GENVÆ 7. Kal. April. M.D.LXXV.

MAR-

MARTINUS BELLIVICEIUS Pannonius M. Antonio Mureto S. P. D.

XLV.

Iuvenis quidam natione Gallus, vir clarissime, qui Roma huc venerat, scribendarum ad te literarum ansam mihi præbuit: quarum quidem auctor, vel si sæpius eas percurreris, vix tuo innotesceret animo. Cum enim mense Martio te, Paulum Manutium Romæ salutarim, quid miri, si usque ad hoc tempus in tanta temporis intercapedine, memoria tua, quæ gravissimis studiis continuè fatigatur, exciderim? Hoc etsi persuasum habeo, non tamen dubito, quin facile in tui memoriam redigar: præsertim si & album tuum, in quem nomen meum relatum esse voluisti, intueberis, & memineris quibus verbis Huberti Giphanii, Lucretii editionem collaudaveris: cùm adjiceres nihil esse quod non Giphanii caussa libenter faceres. Quare cùm tibi in mentem rediisse nomen meum existimem, ad juvenem illum revertor à quo cùm quæsissem, quid rerum ageres, an quicquam de Plautina editione cogitares, quam nos jam dudum, & cæteri omnes qui elegantiorum litterarum cupiditate tenentur, avidissimè exspectant: à Philosophia naturali ad civilem hanc nostram Philosophiam, quàm tu ante aliquot annos, humanarum litterarum caussa, intermiseras, te contulisse respondit. Qua in re cum tuum factum vehementer probavi, tum ratus sum, ad studium juris illustrandum, maximum adjumen-

tum allatum iri, si tuum exemplum huius ætatis Iurisconsulti imitarentur, quos & barbarorum interpretum inanissimas controversias toto animi impetu consectari videmus, & omnes suum studium ad calumnias litium, & ad turpem & invidiosum quæstum conferre. Sed quod Cuiacius & tu homines Galli in studiis sapientiæ consecuti estis, id non sine munere divino vobis evenisse credo. Idem sentire videtur Giphanius Cuiacio amicissimus, & tibi charissimus. In hac enim nostra Academia Patavina superioribus diebus fuit, atq; de te sæpius honorificè loquutus est, & nullo in sermone libentius eum versari vidi, quàm cùm de Plauto loqueretur, existimans scilicet, quod res est, bene actum cum studiosis literarum fore, si tam bonus latinitatis auctor tua diligentia, doctrina, opera nitidior & emendatior in lucem proferretur. Cupit sanè esse in tua gratia, quam humanitate tua fretus, tuis verbis ei non solùm pollicitus sum, sed etiam spopondi. Itaq; non erit tuæ bonitatis committere, ut sponsorem appellet, cùm ipse facilè possis dependere. Unũ est quod à te contendendum mihi putem, ut duas orationes tuas ad me mittas: quarum altera de laudibus juris studii scripta abs te nuper est, altera in Collegio Pontificum habita. De Plauto fac promissa appareant. Diutiùs enim deberi politis & ingeniosis hominibus non potest. Et hercle tua maximè gloria agitur. Vale, & salvebis à Giphanio qui Venetiis, apud Oratorem Regis Galliæ degit. PATAVII 6. Kalend. Decemb. M.D.LXIV.

M. AN-

M. ANTONIVS MVRETVS

Francisco Turnonio S.R.E. Episcopo Cardinali S.P.D.

XLVI.

Si tempus ad de scribendi usq; eò differre voluissem, Francisce Turnoni Cardinalis Amplissime dum par à me aliqua tuis erga me plurimis maximisq; beneficiis reperiretur oratio; magnopere mihi mutendum erat, ne & in eo quærendo, quod nunquã consequi possem, inani ipse me labore torquerem, & immodica silentii diuturnitate suspicionem tibi aliquam angusti & humilis animi, neq; satis, quantum à quoq; acciperet sentientis afferrem. Cum igitur, diem assiduè ex die ducens, sine dubio diutius, quàm par fuerat reticuissem, planè obstupefactus admiratione istius erga me tam prolixæ, tamq; beneficæ voluntatis tuæ: confirmavi me tandem; & ad hæc pauca, quoquo modo possem, scribenda me contuli: quibus, quod tam multis, tamq; claris & illustribus signis, me, quamvis nihil prorsus tale promeritum, tibi tamen non vulgariter carum esse declaraveris gratias, quãdo nihil præterea neq; tu exspectare, neq; ego præstare possuxe, tibi agerem immortales. Est omninò hæc tota gratiarum actio perpusillum quiddam, perquè tenue: præsertim si comparetur cum magnitudine eorum beneficiorum, quibus tu me à te ornatum esse voluisti: sed eam tamen, cùm hæc scriberem, pro certo

» atque explorato habebam: tibi non ingratam, neq; in-
» jucundam fore; cùm, ut scis, ne Dei quidem bonorum
omnium auctoris infinitam in nos beneficentiam ullo
alio modo remuneremur. Officiorum vicissitudo eas
amicitias continet, quibus inter se eiusdem sortis ho-
mines, aut certè non admodum dispares devinciun-
tur: vobis, quos supra cæterorum conditionem eve-
ctos, in ipso rerum humanarum fastigio divina pro-
videntia locavit, illud cum corporibus cœlestibus com-
» mune est, quòd ut illa efficientiam quidem suam de-
» clarant in inferiora hæc, viresq; in ea exercent suas:
» sed ab eis nihil vicissim accipere, &, ut Græci sua lin-
N.B. » gua dicunt, pati queunt: sic vos potestatis quidem
» copiarumq; vestrarum documenta, sublevandis in-
» ferioribus, datis: ipsi vicissim quicquam ab eis, præ-
» ter laudem ac prædicationem, testem grati ac memo-
» ris animi, percipere non potestis. Ago igitur tibi quam
maximas gratias Cardinalis clarissime, humanissime,
optime, agamq; dum vivam, tibiq; à summo huius u-
niversitatis effectore ac gubernatore Deo assiduis vo-
tis fausta ac felicia omnia precabor: non quòd me di-
gnum existimem, cuius vota ab eo attendantur: sed
quòd tu dignissimus, pro cujus salute atque incolu-
mitate, etiam eorum, qui per se nullo numero haben-
di sunt, preces non negligantur. Ita igitur faciam:
conservabo diligenter memoriam eius humanitatis,
qua tume immerentem, talis tantusq; vir complexus
es: utq; tuo de me amplissimo atq; honorificentissimo
testimonio, quantum in me erit, respondeam, modis
omnibus operam dabo. Illustrissimo quidem Cardi-

nali

nali Ferrariensi, ad quem tua potissimum auctoritate adductus, me cum primùm potero, conferam, commissurus non sum, ut unquam venire possit in mentem, quod fidem tuam in me recipiendo secutus sit, pœnitere. Vale. 3. Non. Febr. M. D. LVII. PATAVIO.

EIDEM.

XLVII.

NOn puto ulla mihi excusatione apud te utendum esse, quod ad te rarius scribam. Nam tum demùm peccare ipse mihi viderer, si tanti me facerem, ut tibi, tanto viro, tantisque assiduè occupationibus impedito, frequenter literis meis obstreperem, ideoque contineo me: & cùm quotidie de te cogitem, votáque, uti debeo, pro tua salute atq; incolumitate faciam, in scribendo sum rarior, neque unquam id facio, nisi cùm aliquid accidit, ut, nisi scripsero, officio videar defuturus, quale est, quod me hoc tempore, ut scriberem, adduxit. Cum enim nuper octo variarum lectionum libros edidissem: etsi satis intelligebã, eos leviores esse, quàm ut tu, quem nihil nisi præclarum atque eximium capit, allam magnam voluptatem ex eorum lectione percipere posses: judicavi tamen, omnino mihi faciendum esse, ut eorum exemplar unum ad te mitterem: neque dubitavi, quin tu eos libenter accepturus esses: vel quia mei sunt, vel quia scripti ad eum, qui ut à te singulariter amatur, ita te ipse admirabili, non amore solum, sed cultu me-

dius fidius, atq; observantia prosequitur. Unum est, quod quanquam mihi conscius sum, me optimo animo feciſſe, tamen, quia fieri potest, ut confidentius in eo me gesserim, quàm decebat: per illam & aliis & mihi inprimis perspectam humanitatem tuam, mihi ut ignoscas, etiam atq; etiam à te peto. Ausus enim sum quodam ex eis libris loco nominare te: ac versus etiam aliquot ponere, qui mihi in memoria hæserant ex idyllio quod olim ad te misi unà cum tragœdia, quam de C. Cæsaris cæde factam in tuo nomine divulgaveram. Qua in re si quid à me peccatum est, (nihil enim debueram te in consulto facere: præsertim cùm te Venetiis conveniſſem) peccatum est incredibili quadam abundantia amoris erga te mei: quam ut æquo animo feras, omnibus à te precibus, atq; omni obsecratione contendo. Etenim verè hoc dicam, nihil videtur esse ita difficile atq; arduum, in quo ego paratus non sim voluntati & auctoritati tuæ morem gerere. Unum est in quo tibi, ne quid dissimulem, non possem, nisi invitissimus, obtemperare; si me juberes tacere de tuis virtutibus, & continere in sinu immortale illud gaudium, quo efferor, quia me tibi carum esse sentio.
» Hac una in re dum me mihi obsequi, & animo indul-
» gere patiaris; quo minus aliud mihi quidlibet impo-
» nas oneris, non recuso. Quod scribam, aliud nihil est,
nisi omnes hic omnia tibi fausta & prospera precari,
& gratulari aquis istis, quod eas tibi salubres
& fuisse & esse audivimus.
Vale.

COR-

CORNELIVS VALERIVS
M. ANTONIO MURETO S. P. D.
XLVIII.

VIde quãta in te sit humanitas, eruditissime Murete, & quæ opinio apud exteras gentes. Iustus Lipsius, familiaris & idem discipulus meus, literarum & antiquitatis caussa in Italiam proficisci velle cœpit, petiit à me, amicis quibusdam commendari; in primis autem contendit, ut ad te, cuius cognoscendi & videndi studio mirificè flagrat, literas sibi darem. Ego autem etsi videbam puridum esse, me hominem fortassis ne fama quidem tibi cognitum, literas ad te dare eiusmodi præsertim quibus onus aliquod officii tibi imponerem, morem tamen gessi adolescenti tam vehementer petenti. & voluntati eius obsequi volui potius, quàm aut naturæ aut pudori meo. Quod feci eò libentius, quòd non ad aliquem nescio quem duris & asperis moribus scribendum mihi viderem; sed ad eum virum qui cum humanitatis studiis & iis artibus omnibus quæ ingenuo homine dignæ sunt, sit perpolitus, abesse non potest, quin tum in omnes, tum præcipuè in earundem artium studiosos propenso animo sit ac humano. Accedit similitudo professionis studiorum nostrorum, nam & nos pro mediocritate ingenii nostri, eloquentiæ humaniorum literarum studia, voce & scriptis, quod in nobis est, in hac Belgica nostra excitare conamur, & tu M. Antoni antea quidem in Gallia, nunc in illa Italiæ luce hec

ipsa studia cum immortali tua laude & omnium gentium admiratione tractas. Quare non tam quærenda mihi est excusatio & prætextus pudoris mei, quod scripserim, quàm gaudendum, oblatam mihi in amicissimi mei negotio facultatem scribendi simul & testificandi amoris mei. Sed veniam ad id quod caput est epistolæ meæ. Mitto ad te, Murete, hunc Iustum Lipsium, alumnum, ut dixi, disciplinæ meæ adolescentem ea probitate, modestia, ingenio, eruditione, iudicio, quanta testari possum, equidem me in alio nullo, in ista imbecillitate ætatis, adhuc esse experti, » tum verò, quod apud te plurimum valet, studiosum » antiquitatis & artium illarum quas tu amas, & in » quibus maximè excellis, id est, optimarum. Ca- » ve autem existimes, me hæc ambitiosè & supra quam » res est, commendantium more, scribere: immo » verò minus fortasse, quàm virtus & eruditio adole- » scentis merentur scribo, ne, dum eum laudo, videar » nos ipsos institutionemq; nostram velle extollere. Quamobrem rogo te, Murete mi, vel potius precibus omnibus oro atq; obtestor, per communia studia nostra, per illum amorem, quo literas & literatos omnes prosequeris, adolescentem hunc omni studio, amore, benevolentia tua complectare atq; devincias. Et quoniam is honesto quidem genere & optimis parentibus natus, ea tamen mediocritate fortunæ est, ut se in longinqua & extera regione difficulter suis facultatibus sustentare possit, verecundè etiam hoc à te petam (vides quantum mihi sumã) ut, si qua in re commendatione & opera tua juvare eum potes, quod certe potes,

ei ut

ei ut ne desis. Hoc quidē tibi spondeo, & in me recipio, te, si quid ei accommodaveris, non minorem ex eo voluptatem percepturum, quàm nos universos. Impedior verecundia, ne pluribus verbis te rogem. Illud tantùm dicam, quod in sermone sæpissimè mihi significavit, eum pene non alia ulla de caussa in Italiam è tam longinquis regionibus venisse, quàm ut te inprimis tuiq; similes eruditos viros videret & cognosceret, quo erit æquius, eius laborem per te ex parte levari, cui tu laboris caussa fuisti. Quod si tu aut amicorum aut familiarium tuorum aliquem hic habes, aut fortasse habiturus es, utere eadem audacia & familiaritate apud me, qua ego tibi præivi: efficiam ut intelligas mihi ad benignè faciendum nec voluntatem decesse nec facultatem. Literæ hæ meæ si aliquod pondus apud te habebunt, dupliciter gaudeo: primùm enim Lipsio meo, cui vehementer cupio, ac commodavero; deinde mihi ad amicitiam tuam quasi fores & aditum patefecero. Quo nihil mihi potest contingere optabilius. Vale LOVANIO, ante diem 14. Kal. Septembrium.

M. ANTONIUS MURETUS S. D. CORNELIO VALERIO.

XLIX.

REdit ad te Lipsius tuus, & redit magno meo dolore. Ita enim me devinxit sibi præstantia ingenii & doctrinæ, integritate morum, suavitate sermonis

ac consuetudinis suæ ut, eo discedente, à memetipso mihi avelli viderer. Felicem te Corneli, cuius ex disciplina adolescens tam rari exempli prodiit. Equidem antea & magnificiebam te ex scriptis tuis, & amabam pro judicio quod amantissimè de emandatis à me Terentii fabulis feceras. Nunc verò mihi crede, tanta accessio propter Lipsium facta est, & ad opinionem de te, & ad amorem erga te meum, nihil ut magis cupiam quam occasionem mihi aliquam dari declarandi tibi re & factis, quanti apud me sis, cuius rei si licebit periculum facere, quæso te, si qui huc venient, quos tu ames, præcipueq; qui habeant aliquid simile Lipsii, ut eos mihi potissimùm commendandos putes: Nam eadem opera & ego mihi videbor abs te beneficium accipere, & conabor efficere, ut ipsi quoq; eo nomine aliquid se tibi aliquando debere fateantur. Vale Romæ 3. Non. April. M.D. LXX.

M. ANTONIO MVRETO NATHAN. CH. S. P. D. L.

Cum 5 Id. Octob. anno abhinc quarto Romam ex Campenio rediissem, postridie eius diei magna cum admiratione, te, Murete clarissime, orantem audivi, coram Pio V. Pont. Max. cùm Christianissimi Regis legatus, usitata solennitate, magnificè exciperetur. Ea ego oratione, etiamsi jam antea, ex monumentis scriptorum tuorum, qualis esses cognovissem,

vissem, ita sum tamen admiratione tui inflammatus, ut ex omnibus, quos ego antea præstantissimos existimassem, tibi uni in Oratoria palmam deberi, certissimo mihi persuaderem. Quin si animo tum obsequi licuisset, una cum illo exclamare veritus non fuissem: ὦ σωτερις, ὦ λόγοι, ὦ μυθοι, ὦ σωθηκη, μακαρειν δε λέγειν ἅτω, μᾶλλον δε φρονειν ἅτω δυνάμθ. Cum autem id, eo quidem in loco, & in clarissimorum virorum corona me non deceret, illo ipso die te adii, ut amorem tui sanè ardentissimum, qui oratione tam excellenti in animo jam inflammatus esset meo apud te ipsum detegerem, & literis Caselii nostri, quas tunc mecum habebam, amicitiæ tuæ quasi fores mihi aperirem. Accepisti tum me, ut soles, humanissimo amplexu, & literis nondum lectis, notum me tibi esse, ex sermone Caselii, quem tecum ad oppidum Sancassianense paulò antè habuisset, ostendebas. Id certè longè mihi fuit gratissimum, cœpique ut antea doctrinam, & eloquentiam tuam admiratus fueram, ita hinc etiam virtutem & bonitatem tuam suspicere, & exosculari. Verum illa congressio, fato quodam meo infelici, diuturna esse, firmasque radices agere non potuit. Sensi enim cuiusdam interventu, vix dum inchoata collocutio nostra, interrupta est: & ipse etiam, propter comitum festinationem, & hyemem imminentem, celerius opinione, istinc sum avulsus. Quod itaq; tum necessitate quadam impeditum est; quid vetat, quo minus idipsum literis restituamus? cuius quidem consilii auctorem habui eandem

eundem illum qui me primus in animum tuum insinuarit. Cum eo enim ego hîc in isdem literis & studiis, in quibus tuæ quoq; lucubrationes non parum nos adjuvant, vivo amantissimè. Quod si ille, ut primò fuit, ita nunc quoque felix erit, tuamq; mihi hoc modo benevolentiam denuò conciliabit, quis me erit beatior? quis ipso denique in animis hominum conglutinandis fortunatior? Ego certè Mureti notitiam & benevolentiam omnibus Cræsi thesauris longè anteposuero. Vale ROSTOCHIO, Kal. April. anno M. D. LXX.

M. ANTONIVS MVRETVS AGAPETO GIDETO SUO S.P.D.

LI.

VEre es, qui diceris: neque, quàm tu, ἀγαπητὸς quisquam. Itaq; nihil mihi longius videtur, quàm dum Romam redeam, te ut videam: tecum quotidie ut sim: tibiq; vel prosim re aliqua, vel certè prodesse coner: ut voluntatem erga te meam vel declarem re ipsa, vel tibi saltem conatu probem: quorum hoc, si me tantùm respiciam, satis est: illud, quia te ex animo amo, multo optabilius mihi videtur. Et quanquam nihil mihi jucundius est, quam abs te quàm maximè amari: tamen, ita mihi eveniunt quæ volo, ut, si mihi detur optio, malim justam tibi caussam esse, cur me ames, quàm abs te sine ulla justa caussa amari. Agam caussam meam. Debes & tu talem amicam magnificere, qui nihil à te aliud expetens, eò te tantum

tantum amat, quia dignum judicat, qui ameris. Quod M. Antonium Bizonum potissimè delegisti, ad quem itares, cui te crederes, cui te in disciplinam dares, vehementer te, mi Agapete, laudo. & ut eum assecteris, ex eius ore pendeas, eius doctrinam avidissimè combibas, suadeo. Spero me istic fore ante Kalendas Septembres; &, ut sim, operam dabo: eò magis, quia te videre discupio. De Macarano meo, qui mihi perpetuò ante oculos obversatur, quæso, Agapete mi, si quid habes, quod me exhilaret, scribe. Vivere ipse mihi non videor, donec vitam ipsius in tuto esse cognovero. Nolito ægrè ferre quod dicam. Illum unum plus amo, quàm te: &, ne hoc tibi durum videatur, te à me proximum habeo; illum æquè amo ac memetipsum. Vale TIBVRÈ. 3. Non. Augusti, M. D. LXXVII.

EIDEM.

LII.

VIx ausus essem à te postulare, ut ad me Latinè scriberes: veritus ne id tibi oppidò difficile videretur. Quo mihi gratiores fuerunt eæ literæ, quas à te Latinè scriptas nuper accepi: non illæ quidem omni ex parte emendatæ, multò tamen nitidiores & cultiores quam credidissem. Itaque bene te sperare jubeo, neque dubitare, quin aliquando, duce me, aliquam sis hujus quoque generis facultatem consecuturus. Adventus huc tuus quàm mihi optatus ac jucundus futurus fuerit, nihil necesse est affirmari. Satis enim, ut opinor, nosti magnitudinem amoris erga

erga te mei, sed ita multos hic adolescentes, qui Romæ venerunt, ægrotare video, ut veritus sim, ne quid tibi ista hoc tempore cœli commutatio periculi adferret. Ego ante nonum Kal. Septemb. spero fore ut non nihil remittant calores, tunc igitur, si Deus volet, excurram istuc, cupidus videndi tui: tegq; statim accersi jubebo. Non habeo nunc ad manum superiores illas tuas, in quibus nescio quid quærebas de dominio directo & utili, cuius tamen totius quæstionis molestia facile liberare ipse te potes. Dominium enim directum & utile, nusquam à Iurisconsultis, nusquam ab Imperatoribus nominantur, sed commenta ac somnia sunt eorum, qui obscurando & ineptiis suis contaminando jure civili, sibi se acuminis, & eruditionis laudem quæsituros putarunt. Quod usu capitur, fit pleno jure eius qui usucepit. Qui tamen se postea id pro derelicto habeat, æquius est rem redire ad veterem dominum, si eam forte recuperare studeat, quàm adjudicari ei qui neq; usucepit, & sine titulo possidet. Datur igitur vindicatio veteri domino adversus eos qui pro possessoribus, ut dicitur, possident: æquitate quadam: qua fingit lex, eam rem nunquam usucaptam fuisse. Nam cum is qui usuceperat, jure illo sibi quæsito uti velle desierit, prope pro eo est, ac si usucapta non esset. Erat & aliud quiddam in iisdem literis, de quo quærebas: sed nunc non recordor. Huius generis literas, in quibus aliquid est, quod ad studia tua pertineat, & ego libentius scribam, & tu majore cum fructu leges. Heliconio, Antonio, fratribus tuis salutem. De-

De Matthæo vehementer doleo, sed gratum est quod scribis, spem esse, eum, sine ope prætoris, in integrum restitutum iri. Horatio audio meliúsculè factum esse, quod quàm mihi jucundum sit, ipse scis. Vale Agapete mi, meq; ama, ut facis. TIBVRI. 7. Idus Augusti. M.D.LXXVII.

CONSTANTIVS BARGELLINVS EPISCOPVS RHATINVS M. Antonio Mureto S.P.D.

LIII.

AFficior lætitia incredibili, quod ut ex literis tuis accuratissimè scriptis intellexi, à nonnullis Lutetiæ impressoribus urgeris, ut Epistolas tuas mittas, quas prælo subjiciant. Auguror enim ex eo, bonarum literarum studiosos multùm voluptatis, plurimùm etiam utilitatis ad Latinam eloquentiam vel comparandam, vel augendam percepturos. Equidem etsi fateor in his politioribus literis, quæ ab humanitate nomen acceperunt, me nuperrimè non esse versatum, gravissimis occupationibus abductum: Sed tamen, ut sententiam meam dicam, necesse est. Nihil epistolis tuis elegantius, nihil eruditius, nihil uberius fieri posse existimo, nihil, quod ad illam Ciceronis majestatem propius accedat. Atque id antea testatum apud animum tuum reliquissem, nisi me verecundia mea à rei perspicuæ testimonio non necessario revocâsset, nunc, quando te amicis tua scripta flagitantibus invitum gratificari intelleri, audaciæ

notam

notam subire malui, quàm in bonum publicum inofficiosus judicari. Illa etiam non levis conjectura ad id me valdè impulit: his enim diebus, cùm schedas aliquot, quibus olim in arena mea uti consueveram, evolverem, nihil tale opinanti epistola tua in manus venit, quæ me, quòd amantissimè, & disertissimè loqueretur, mirificè delectavit. Itaque cùm eam ipsam vesperi inter alia scripta, quæ forent magis in promptu, retulissem, postridie mane ecce tuæ literæ, quibus epistolam postulabas; sic admirantem ea cogitatio me excepit, ut illam exstare Deus sine dubio velit. »Eius igitur exemplum mitto, teq; hortor, aut si pate»ris, rogo ac flagito, ut negotium conficias, nève in »aliud tempus rejicias. Quòd scire cupis, an æquo animo laturus sim, si quæ à me scriptæ sunt literæ, unà cum tuis emittantur, vereor, mi Murete, ne quod ajunt κολοιὸς τὸν κόσσυφον. Ego profectò non tam tuas admirari, quàm meas improbare soleo: tamen ubi quòvis pacto amicos sub tuo nomine cohonestare possis, tui consilii est, nec est cur aliorum sententiam exquiras. Quod si tibi statutum est, ut illæ horridulæ meæ literæ exeant, impones extremam manum. Sunt enim indiligenter scriptæ: quod res ipsa declarat, nec earum editionem aut probarem, aut paterer, nisi ut nostra amicitia, in quâ non minimum mihi ornamenti pono, omnibus esset nota, vehementer desiderarem. Vale mi Murete, & de bonis literis optimè mereri, quando id vel uni tibi maximè licet, ne desistas, ac BARGELLINO tuo ad omnia utere.

EI-

EIDEM.

LIV.

ITa diu jucundissimè vivam, mi MVRETE, ut allato nuncio de tua valetudine, qua te in vitæ periculum vocaret, acerbam mihi vitam putabam. Equidem ita fui commotus, ut magis fortassis nemo, cuius præcipuum aliquod bonum repentè in discrimen esset adductum. Incredibilis est enim amor in te meus. Nihil eum extrinsecus accedens, nihil adventitium peperit, sed virtus, quæ est ipsa per se amabilis, cuius q̃ omnia in te eluceant ornamenta, & animi inductio cũ perpetuo quodam judicio meo conciliavit. Postea verò quàm te morbo levatum esse cognovi, difficile dictu est, quanto gaudio penè exiluerim. Ex diuturna enim animi perturbatione ad aspiciendam lucem nunc primùm mihi videor esse revocatus. Qua quidem de re tibi magnoperè gratulor, etsi nostra certè gratulatio omnibus qui modò sint & virtutis amantes, & humanitatis pietatisq̃ non expertes jure debet esse communis. Et enim quis te non amet, tanta probitate, virtute, humanitate, tam deniq̃ excellenti eruditione, atque industria virum? cui salus tua æquè exoptanda non sit, ac sua? Eum profectò ferreum, & ab omni humanitate alienum esse dicam, nihil perspectæ, spectatæq̃ virtuti, nihil illustri gravissimi viri gloriæ dare haud temerè affirmarim, qui Muretum omni liberali doctrina politissimã diutissimè vivere non modò non expetat, sed ab immortali Deo precibus ac votis nõ contendat.

tendat. Maximam ex eo capio voluptatem, gaudeo, triumpho. Iam, ut spero, (id quod Deo optimo maximo acceptum referendum est) poteris Musis tuis operam reddere: cum quibus quoq; præclarè actum putem, cùm omnes delicias, amores, omnia denique ornamenta, te incolumi recuperârint; iis omnibus caritate, site, quod Deus omen avertat, patronum, te ducem, infelici ipsarum fato mihi vis eripuisset. Quocirca mihi gratissimum feceris, si illis incolumitatem tuam meo nomine fueris gratulatus, atq; in earum clientelam me quàm diligentissimè commiseris. Hactenus, mitto tibi nonnullas radiculas ex melle confectas conditasq;, quales fert hæc regio. Exiguum, inquis, munus. At tibi maximè consentaneum: è cuius lingua, quod Nestori tribuit Homerus, melle dulcior fluit oratio. Habebit etiam meæ erga te benevolentiæ significationem, de qua etsi te pro tua humanitate non dubitare video, eam tamen & omnibus cognitam esse, & studiis, officiisq; quàm plurimis colere, & confirmare desidero. Quod si per tenuitatem meam assequi non potero, certè hanc voluntatis meæ propensionem liberalissimè, uti soles, complectere. Inservi valetudini: huic quantum studii, diligentiæq; adhibueris tantum te mihi, publicæq; utilitati, cui consulere gloriosum est, elargitum esse cognovero. RHEATE ex ædibus nostris. Non. Febr. M. D. LXXVI.

M. AN-

M. ANTONIVS MVRETVS CONSTANTINO BARGELLINO EPIscopo Teatino S.P.D.

LV.

NVnquam putâssem fore, non modo ut ex tuo, sed ut ex cuiusquam dolore voluptatem capere possem. Et tamen, si vera dicenda sunt, fateor necesse est, jucundissimum mihi fuisse, quod ex literis tuis intellexi, vehementer doluisse te, cùm primùm de invaletudine mea nuncius istuc allatus est. Dolor enim ille aliunde quam ab eximio quodam amore erga me tuo, proficisci non potuit; & mihi, ex quo te primùm vidi, atq; ex aliis plurimis audivi, qua tu eruditione ac virtute vir esses, nihil optatius fuit, quàm ut abs te amarer. Iam optabilium rerum signa atque argumenta omnia jucunda esse notum est. Incredibiliter igitur gavisus sum, Bargelline vir præstantissime, tanti me à te fieri, ut & mirificum dolorem senseris, cùm me graviter ægrotare audivisti; & exhilaratus sis, simul atque Dei beneficio, morbum depulsum esse cognôsti. Quanquam ego ipse nondum satis constitui, vtrum mihi satius fuerit, ex huius vitæ miseriis quam primùm eripi, an diutius hic manere. Certè enim, cùm omnes summo consensu Medici dictitarẽt, nullam prope amplius reliquam esse spem evadendi; ita me compararam, atq; ita animum composueram, ut neq; angerer neq; terrerer mortis, ut putabatur, imminentis metu; neque quidquam aliud à Deo pere-

rem, quàm ut mecum misericorditer ageret; condonaret errata anteactæ vitæ; neq; pateretur me in illa separatione animi à corpore, aut diutius, aut vehementiùs torqueri, quàm vires meæ ferre possent. Hoc ego tum unum agitabam animo; hoc ex animo precabar; hoc cæteros quoq;, qui mihi assidebant, ut à Deo mihi impetrare conarentur, obsecrabam. Spero tamen, relictum esse me à Deo in hac vita, ut maculas superiori ætate contractas, lachrymis deleam: tandemq; omissis & abjectis vitiorum illecebris, saltem jam senex eam vivendi rationem capessam, quam tenere à principio debuissem. Atq; à te, vir clarissime, etiam atq; etiam peto, ut me ad hoc animi mei propositum persequendum, ut exemplo incitas; ita & monitis ac præceptis & fusis pro me ad Deum precibus adjuvare digneris. Iucundissimum mihi fuit munus tuum. Nam radiculæ illæ non tantùm palato suaves sunt, sed etiam ad valetudinem meam valde accommodatæ. Mitto ad te, ut te pro opibus remunerer, librum unum orationum mearum, & poëmata quædam, quæ spero te libenter lecturum esse, non quòd valdè bona sint, sed quòd mea. A te peto, uti me amare pergas: tibiq; pro certo persuadeas te à me ita observari, ac coli, ut paucos admodum habeas tui, quàm ego sum, studiosiores. Vale ROMÆ. 14. Kal. Mart. M. D. LXXVI.

CON-

CONSTANTINUS BARGELLINUS EPISCOPUS REATINUS M. Antonio Mureto S.P.D.

LVI.

Amavi te semper, mi Muretе, ex quo primùm die cognitus es mihi, cùm te nunquā antea vidissem, commotus fama laudum tuarum, postea verò quam te de superiori loco docentem audivi, ita tui studio sum incensus, ut nullam amoris accessionem fieri posse putarem. Acceptis tuis literis 14. Kalend. Mart. datis, (fatear necesse est) ad summum amorem tantus cumulus accessit, quod fieri jam non posse arbitrabar, ut nunc denique videar amare antea dilexisse. Nam si omni observantia insignes doctrina, & gravitate viros colere debemus, quanti fieri à meipso debes, qui omni liberali doctrina ita sis excultus, ut habeas paucos admodum pares, superiorem verò neminem, cùm hæc ipsa sint tibi cum tanta Christiana pietate conjuncta? In qua quidem nemo sapiens veras virtutes omnes inesse negabit, quibus nobis ipsi felicitatem comparamus: hanc unam laudo, & admiror, & ante omnia expetendam esse censeo: hanc non modò Crassi divitiis, sed omnibus etiam animi ornamentis, quæ humanis viribus pateant, antepono, hæc ipsa te olim mihi charissimum, longè jam chariorem reddidit. Hinc illa tua in periculosissimo morbo fiducia modò concepta, non angebaris, non terrebaris mortis imminentis metu, sed ad Deum optimum maximum toto animi

impetu ferebaris, speraus fore, ut eius beneficio post has ærumnas & calamitates, tandem beatiorem vitam consequi posses. Hi sunt nimirum animi fructus, nullius culpæ, quæ Dei Gratiam discutiat, sibi conscij: qui cum à corpore separabitur, licet sit periculis, ac terroribus undique circumfusus, nihil tamen benefactorum conscientia fretus, timendum arbitretur. » Hoc oro non modò ut utrique nostrûm, sed cunctis sa» lutari renatis aqua contingat. Quod autem dubitas utrum satius tibi fuerit, ex huius vitæ miseriis quam primùm eripi, an diutius hîc manere, id, etsi est ejusmodi, ut non facilè explicari possit; tamen est quod Deo immortali gratius agamus incredibiles: qui tibi vitam, optabile suapte natura donum, prorogarit, bonarum artium cultoribus consuluerit, téque sine dubio ad majorem laborum tuorum mercedem reservârit. Præclara enim ista tua à Deo accepta dona » si intelliges te ea conditione accepisse, ut cùm ea ad » communem utilitatem contuleris, reddere cum fe» nore debeas, quis dubitet uberiora, at præstantiora » præmia tibi parata fore? Quare te hortor, ac si æquè est, rogo, ut habeas rationem valetudinis paulò diligentiùs, tequè in dies magis magisque confirmes, sententiasque in eo verti communem causam, quam quidem, ut arbitror, nemo unquam, qui saperet, non privatis commodis antepositit. Ego verò etsi me exiguis omninò meritis adjutum esse probè novi; tamen à Deo summoperè contendam, ut te incolumem diu servet in vita, atque ad eorum numerum adscribat, quos antequam orbis conderetur, elegit. In quo quidem

dem si minus gratia potero, gaudebo me tamẽ pietati, amicitiæq; debitum officium præstitisse. Venio ad Orationum ac Poëmatum tuorum librum, quem sane legi libentissimè. Orationes habitæ de Philosophia me delectárunt, quantum vix credas: omnes verò ea eloquentia, ac doctrina conscriptas esse video, ut, quemadmodum mea fert opinio, quam tamen ab amore falli non credam, summa vigeat eloquentia præstanti cum eruditione conjuncta. Non verborum elegantiam, aut splendorem, non sententiarum gravitatem desideres. Quid est vel antiquitatis, vel historiæ, vel exemplorum, quod non ita proferas, ut nihil ignorare videaris? Sed mirari satis non possum quàm venustè, quantaque cum dignitate Theologiæ locis eas perspergere consueris; ita fit, ut & summum oratorem exprimant, omniq; scientiarum genere perpolitum redoleant. Quas equidem dum lego, etsi ἄφωνοι sunt, crebrò tamen aures meæ præclara illa voce tua, qua prælegens in publicis gymnasiis uteris, personare videntur. Poëmata mirum in modum me ceperunt. Quid enim vel à diuturno studio, vel à divite vena proficisci potest, quod non fueris consecutus? & quidem tum illa prosunt, tum magnoperè delectant. Crebræ sunt, & acutæ sententiæ; miros pietatis igniculos excitant; stilus quoque ita rei consentaneus, ut facile quivis intelligat te parem, eandemq; in utroq; genere laudem assecutum. Quamobrem tibi cùm plurimum debeo, tum verò quibus verbis gratias agam, non reperio. Sed cave suspiceris me hoc auribus tuis dare. Nam etsi mirificè amicos colo: plus tamẽ

veritati tribuo. Quod enim ita sentio, idcirco meam de tuis sententiam aperire non dubitavi. Utinam aliquid esset in me ingenii, ut laudes tuas non deterrem, sed augerem. Scio id à modestia tua minimè postulari: malui tamen judicium periclitari meum dicendo, quàm silentio rem non sine suspicione improbitatis præterire. Da operam ut valeas, atque meipsum unà cum universa familia mea ad omnia tua paratissimum esse confidas. REATE. 6. Idus April. M. D. LXXVI.

AD. M. ANT. MVRETVM. LVII.

Genus est Phaleucium: sed modo — ⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –.

O qui flos hominum politiorum es,
Quot sunt, quot quot erunt, quot aut fuerunt,
Doctrinæ decus elegantioris,
Lumen Italiæ, MVRETE, salve,
Salve, & has aliquid puta esse nugas,
Quas mittit tibi maximo Poëtæ,
Longè pessimus omnium Poëta.
Sic Calvus tenero ausus est Catullo,
Saturnalibus optimo dierum,
Dono mittere pessimos Poëtas,
Quis is continuo die periret.
At tu, ni caveas, MVRETE, nugis
Istis tam illepidis & invenustis,
Plenis ruris & inficetiarum,
Non dies aliquot velut Catullus,
Sed totum male nauseabis annum.

Justus Lipsius.

M. AN-

M. ANTONIVS MVRETVS ALEXANDRO RIPARIO SUO S.P.D.

LVIII.

DUlces literæ tuæ, ut omnia quæ à te proficiscuntur: etsi in eis multa peccaveras. Sed ut filioli balbutientes libenter audiuntur à patribus, suntq; eorum etiam ipsi errores voluptati; sic mihi ista tua in literis infantia jucundissima est. Eas ipsas ad te remitto mea manu emendatas. Scis enim ita inter nos convenisse. Tu, mi Alexander dulcissime & suavissime, sequere magno animo eam viam ad quam & tua te natura fert, & ego tibi hortator atq; impulsor fui. Magnam de te spem meo testimonio apud parentes tuos concitavi: quæ ne & eos & me fallat, omni tibi cura ac studio providendum est. Vale Nonis Iulii. TIBVRE. M.D.LXX.

EIDEM.

LIX.

NE priores literæ tuæ ad te pervenirent, CAROLI incuria factum erat; cuius tu quoque negligentiam nôsti. Nunc unà cum his meis utrasque tuas accipies: simulq; hoc intelliges, quod tibi gratuleris; posteriores multò meliores esse prioribus: ut si ad istum modum pergas; magna mihi spes sit, te præclarè responsurum exspectationi meæ. Vide igitur si me amas, quod & facis, & facere certè debes: ut omnibus aliis rebus neglectis: quantũ quidem valetudinis

dinis ratio patietur, urgeas studia tua: multa legas, multa audias, frequenter cum iis versere, quorum familiaritate, ac consuetudine melior, ac doctior fieri potes. Fac cogites gravissimam esse jacturam temporis: præcipue autem ista ætate qua tu nunc es, hora nulla tibi perire sine magno dispendio potest. Salutata mihi præceptorem tuum, cui meas ad te literas ostendas licet: Eas quidem quas tu ad me missurus es, nemini prorsus ostendi volo: eas enim mihi gratiores faciunt ipsi errores tui. Vale mi dulcissime Alexander. 5. Id. Iulij. M.D.LXX. TIEVRE. Oblitus eram scribere, heri in mensa injectum esse sermonem de comœdia: qua occasione multa de ea quoq; dicta sunt. Valde tibi tunc aures tinniviſſe oportet. Omnino spero fore, ut huc tibi ad me veniendum sit.

EIDEM.

LX.

PErge, ut facis, mi ALEXANDER, amare literas, eis te oblectare, in eis omnia & seria & joca tua collocare. Non magnus labor, magno tibi olim bonori futurus est. Ista via, quam tu nunc ingrederis, multi humili & obscuro loco orti ad amplissimas dignitates pervenerunt. Atque etiam si nulla eiusmodi præmia literis proposita essent; ipsa tamen doctrina amanda est per se: neq; quidquam in homine ingenuo turpius est ignoratione earum rerum, quarum scientia sine literis comparari non potest. Voluptas quæ ex turpibus capitur, celeriter transit; dolorem autem in

anime

animo diuturnum relinquit: at labor in rebus honestis collocatus, ipse quidem effugit; memoriam autem sui in animo relinquit plenam honestissimæ & solidissimæ voluptatis. Hæc cogita & vale. Postrid. Id. Iul. TIBVRE.

EIDEM. LXI.

ETsi nihil erat quod scriberem, ac præterea mirum me quoddam scribendi odium tenebat: nolui tamen verberonem hunc meum sine meis ad te literis istuc venire. Amo te quotidie magis, quòd à te literarum studia eodem modo amari confido. Sed velim ad me diligenter scribas, quo te nunc scriptore oblectes, Cicerone, an Terentio, an quod malim utrog? Dare etiam operam debes, ut in iis quæ ad me scribes, iis loquendi generibus utare, quæ in illorum scriptis notaveris; ut ea ipsa res fidem mihi diligentiæ in eis legendis tuæ. Vale TIBVRE. 5. Kalend. Augusti. M. D. LXX.

EIDEM. LXII.

NEmo est omnium ad quem libentiùs quàm ad te scribam. Sum enim animo ac voluntate erga te planè paterna. Sed vix credas, quàm sim in hoc negocio occupatus; quem tamen plerig omnes esse plenum otii putant, & quotidie quinas aut senas ab amicis literas accipio, ad quas si respondere omnes velim, nil aliud agen-

agendum sit. Gratum est mihi, quod applicuisti te ad consuetudinem P. Æmilii, & Horatii Macaravi. Eorum enim utergue te & doctrina, & exemplo efficere meliorem potest. Tales sectare: qui autem alio ingenio sunt, eorum consuetudinem quasi pestem aliquam vita. Ætati tuæ nihil diligentius providendum est, quàm quibus sodalitatibus utare. Neq; ego severum esse te ac tetricum, omnigq; generi voluptatum inimicum volo. Hoc tantum moneo, non eas amicitias quærendas quæ dulcissimæ videantur; sed inducendum animum, ut quæ honestissimæ sunt, easdem etiam dulcissimas esse ac suavissimas putes. Mi Alexander etiam atq; etiam vale. TIBVRE. 5. Id. August. M. D. LXX.

EIDEM. LXIII.

» VIde quàm te amem, cùm à multis hodie litteras
» acceperim, nihil mihi prius faciendum esse du-
» xi, quàm ut ad te potissimùm rescriberem, cave putes,
» Alexander mi, ipsi te patruo chariorem esse quàm
» mihi. Ac si queras, quæ causa sit huius erga te tanti a-
» moris mei, ne vivam, si aliam adferre possim, quàm
» quod videor mihi animadvertisse in te ingenium ex-
» cellens, &, si tu volueris, ad omnia summa natum.
Sed tu hoc facito tecum cogites: multas res esse suapte quidem natura bonas; sed quæ culpa eorum qui illas possident, interdum pessimæ ac perniciosissimæ fiant. Bonæ sunt opes, sed si quis non rectè utatur, malæ. Bonum forma: Sed id bonum multis exitio fuit.

Ex

Ex eodem genere est ingenium: si recte uteris: nullum propè hominum generi dari potest majus, aut præstabilius donum. Sed si ad bonum ingenium mala mens accesserit, itidem erit, ut gladius in manu furiosi. Quò erit melior & accuratior, eò plus adferat mali. Ego autem te, Alexander, amo nunc, quia ingenio bono es; amare desinam, si tu bono ingenio malè uti cœperis. Sed id spero non fore, teq; bono ingenio benè usurum esse confido, vel tuapte sponte, vel quia videris mihi valde amare amorem ergà te meum: quem tueri ac conservare aliâ ratione nulla potes. Vale, & si me amas, virtutem ac literas ama. Nulla in humanis rebus majora sunt. Iterum vale. TIBVRE. 8. Kalend. Septemb. M. D. LXX.

EIDEM.

LXIV.

Accepi ternas tuas literas: in postremis autem quædam erant ita negligenter scripta, ut facile constaret, aliud egisse te, cum illa scriberes. Ostendam ea tibi, cùm istuc venero, & auriculam pervellam tibi: ut posthac in scribendo attentior sis, & saltem eos soloecismos effugias, quos effugerent etiam pueruli, qui primis literis imbuuntur. Noli tamen ex hac mea admonitione molestiam ullam capere. Non enim propterea volo quidquam de tua hilaritate detrahi, sed ad diligentiam addi. Vale TIBVRE. 9. Kal. Octobr. M. D. LXX.

EI-

EIDEM.

LXV.

VErsiculi, quos ad me misisti, ostendunt illi quidem, te si ad Poëticam ingenium tuum contulisses, & bonos magistros nactus, in eo studio perstitisses, ad aliquam præstantiam pervenire potuisse. Nam & numerosi sunt, & sententias habent, neq; inconcinnas, neque ineleganter collocatas: & ipsum dicendi genus non abhorret à recto. Planeq; sperare posses, te
» aliquando bonum Poëtam fore, si hoc agere velles.
» Sed majora tibi proposita sunt, quæ, quantum potes,
» urgeas, censeo: & subsicivis horis veterum Poëtarum
» scripta manibus teras, non tam ut imiteris, quam ut
» eis te oblectes; simulq; aliquid ex eis assiduè, quod tibi usui sit, colligas. In scribendis versibus tempus à te collocari, verum ut fateor nolim. Malos versus facere, turpe est: mediocres, inglorium: bonos difficilius, quàm & præstari possit ab iis, quibus aliud agendum est. Quid in tuis lima egeat, præsens præsentem monere possem: per literas non æquè facile possum. Rectèq; ac verè mihi videtur Ovidius dixisse, emendandi laborem majorem esse quàm scribendi. Mihi hoc credas velim: me hodie non difficilius ad saltandum, quàm ad faciendos versus adduci posse. Si quid erit serium, in quo meam operam desideres, non dubito: in his levioribus, si quando de me cogitabis, peto à te, illud quoq; cogites, non multò juniorem esse me, quàm erat Horatius, cùm illa de se scriberet.

Nunc

Nunc itaq; & versus, & cætera ludicrapono. Vale, ROMÆ. Id Febr. M.D.LXVIII.

M. ANTONIVS MVRETVS PAULO SACRATO SUO. S.P.D.

LXVI.

TAndem ad te remitto epistolas tuas: neque enim per assiduas occupationes, & per molestissimum oculorum dolorem, quo dies aliquot laboravi, citius licuit. Ea si conquerentur se à me paulò severiùs acceptas esse: recordari debebis, hoc ipsum à te mihi mandatum esse: ut si mollius ac levius eas tractare voluissem, verendum mihi fuerit, ne tibi non satis obsequens viderer. Sed de his satis. Nunc exponam tibi totum illud negotium Polonicum: quando literæ quas ad te, re adhuc recenti, scripseram, perierunt. Stephanus Poloniæ Rex, qui & aliis regiis virtutibus ornatissimus est, & hoc supra cæteros omnes Reges, qui multis abhinc seculis vixerunt, eximium habet, quod & amat unicè homines eruditos, & ipse omni elegantis doctrinæ genere mirificè excultus est, misserunt in Italiam unum è domesticis suis, qui quasi delectum quendam haberet præstantium doctrinæ virorum, eosque opimis admodum propositis conditionibus, in Poloniam invitaret, ad Academiã novam, quam Rex, Cracoviæ instituere parabat. In mandatis autem regiis, quod ad alios quidem attinet, facta erat potestas ei qui huc venerat, optimum quemque

que & in docendo exercitatissimum deligendi: de tribus nominatim perscriptum erat: de me, de Carolo Sigonio, & Fulvio Ursino. Ac mihi merces proposita mille quingenti quotannis aurei nummi. Addebat Rex, si sacris initiari vellem (nondum enim sciebat me Sacerdotem esse) perfecturum se, quò mihi magis liberet manere in Polonia, ut intra breve tempus honesto aliquo Sacerdotio, ex quo non minus quingentos annuos aureos nummos caperem, cohonestarer. Ea de re unus è primoribus illius regni, Ioannes Zamoscius qui nunc magnus regni Cancellarius est literas ad me peramanter perque honorificè scriptas dedit. Commotus sum non tam ipsius præmii magnitudine (etsi his quidem temporibus inusitata) quam tanti regis tam propensa ac benefica erga homines literarum studiis deditos voluntate. Neque me commonebat itineris difficultas: qui exploratum haberem, cùm lectica, una cùm filiolo fratris mei, puero sex annos nato, quem mecum illuc ducere cogitabam, ad fanum Lauretanum (eo enim, religionis ac pietatis caussa, iter facere decreveram) gestatus essem; posse me citò Cracoviam usque commodissimè vehi. Et jam convenerat, ut mihi REGIS nomine ad iter conficiendum darentur trecenti aurei nummi, ad quos ego ducentos de meo præterea addere cogitabam. Iam mihi illud sanctitatis & doctrinæ specimen STANISLAVS Cardinalis Varmiensis gratuitam habitationem in palatio quod Cracoviæ habet amplissimam offerebat. Multæ à summis viris literæ commendatitiæ in Germaniam & in Polo-

Poloniam promissæ erant: ut cùm eò venissem, nunquam ferè in diversoria publica ingredi necesse haberem. Neque verebar illam, quæ in Polonia esse dicitur, inclementiam cœli asperitatemq; frigoris. Sciebam illa omnia re multò minora esse quàm fama: & alioqui sum ipse quoque natus in parte Galliæ maximè montosa ac frigida. Quod autem quidam qui deterrere me cuperent, clamabant, gentes illas feras ac barbaras esse; interdum mihi risum, interdum stomachum movebant. Magna mihi, Sacrate, cum multis Germanis, magna cum permultis Polonis familiaritas, magnus usus, magna necessitudo fuit. Semper eos expertus sum bonos viros: rectos, simplices, apertos, humanissimos præterea, & prope omnes eo vitæ cultu, ac munditia, quæ ad elegantiam potius quàm ad ullam barbariem accederet. Nugæ istæ sunt hominum eos qui adulari, & fallere, & aliud loqui, aliud cogitare nesciunt, barbaros vocantium. Utinam nos eo modo barbari essemus. Utri verò barbariores sunt: nati in media Italia, quorum vix centesimum quemque reperias, qui Latinè aut Græcè loqui sciat, aut literas amet: an Germani, ac Poloni, quorum permulti, & earum linguarum utramque perfectissimè callent, & ita literas ac liberales disciplinas amant, ut in eis tempus omne consumant? Olim illi fortassis, asperi ac barbari fuerunt: hoc quidem sæculo vereor ne ad nos barbaries, ad illos cultus & splendor vitæ, & eruditio atque humanitas, mutatis sedibus commigrârint. Itaque ut verum tibi fatear, libentissimè eò commeâssem,

e si ni-

si nihil obstitisset. Quicquid enim commodi mei causa ab eis petebam, id omnes prolixè ac copiosè offerebant: ut jam constaret inter nos, sine ullo negotio conventurum esse. Quid quæris? Fidem eis dederam venturum esse me, si per summum Pontificem, cui servio, & per Cardinalem Estensem, cuius in clientela ac familia sum, liceret: alioqui enim non posse me, nisi eorum permissu, de me ipso quidquam tale polliceri. Putabam autem, neutrum eorum hoc iniquo animo laturum: cùm Cardinalis quidem gratis me alat. Nullam enim ad rem, mea opera utitur: summus autem Pontifex ingentem copiam habiturus esset eruditissimorum hominum, qui se in locum meum substitui postularent. Contra tamen accidit, quàm putaram. Etenim cùm rumor de meo discessu tota jam Urbe pervulgatus esset, Conservatores populi Romani (is summus Magistratus est eorum qui hodie populi suffragiis deferuntur) ad Pontificem accedunt, cùm præsentes etiam adessent ij ex Cardinalibus, quibus studiorum cura commissa est, remq; ei exponunt: atq; ab eo supplices petũt, ne me abire patiatur: addunt multa de me, quæ malo te ex aliis cognoscere. Pontifex benignè eos audit; bono animo esse jubet: se, quod opus foret, imperaturum esse confirmat. Paucis post diebus, per Ludovicum Castaneum Rupipozeum Christianissimi Regis Oratorem, virum & claritate generis, & virtute, & eruditione præstantem, jubet mihi denuntiari ne abeam: sibi curæ fore, ne me, quòd auctoritati suæ paruissem, pœniteret. Respondi, » nullam pecuniam mihi esse tanti, ut mihi quidquam placa-

placeret, quod Pontifici displiceret: & honorificum quidem mihi visum esse, quod à tanto Rege vocarer: sed multo honorificentius quod & à pontifice & à tali Pontifice retinerer. Pontifex postea epistolam ad me misit amantissime scriptam, qua ad stipendium quingentorum nummorum aureorum, quod jampridem capiebam, significabat se ducentos praterea addidisse. Eodem tempore Matthæus Contarellus Pontificis Datarius vir & eximia quadam integritate vitæ, & singulari Romanarum rerum intelligentia insignis, & mei, ut scis, amantissimus, certiorem me fecit, sibi à Pontifice mandatum esse, ut mihi quamprimum adtribueret & assignaret annuam trecentorum aureorum pensionem, Itaq; Rex tam longinquus effecit testimonio & judicio de me suo, ut sanctissimi Pontificis liberalitate ad veteres fortunulas meas accesserint annui quingenti aurei nummi. Sed & Cardinalis Estensis simul atq; istinc rediit, amplo me atq; honorifico munere donavit: quod ego eò magis prædicare gestio, quòd ipse tacere me jussit. Parendum tamen est, ne dum gratus haberi volo, me illi non satis morigerum prabeam. Sed & ego scribendo defessus sum: & te suspicor, cùm hæc tam verbosè scripta legeris, fessum fore. Vale, ROMÆ, Pridie Kalend. Maij.

M. D. LXXVIII.

M. ANTONIVS MVRETVS JACOBO CUIACIO I.C. S.P.D.

LXVII.

Biennium jam est, & eo amplius, Cujaci V.C. cùm Lælius Ubaldinus & Octavius Bandinus summo genere nati adolescentes, in Galliam se, studiorum caussa, auctore potissimùm atque impulsore me contulerunt. Nam cùm ex me ipsorum propinqui quæsissent, quid eis potissimùm faciendum esse, quáque ratione ipsorum studiis optimè consuli posse censerem: auctor eis fui ut Lutetiam primùm irent, ibique se Græcarum literarum & Philosophiæ magistris recoquendos darent: deinde jus civile, cuius studio incensi erant, neq; usquam hodie nisi in Gallia, neq; in Gallia, nisi à Cuiacio, recte ac verè discì posse sperarent. Ita igitur fecêre: & quòd meo consilio parverint sibi magis magisq; in dies gratulantur. Ego autem Cuiacì, ambitiosum fateor esse me: & (quod Thucydides ait, unum hoc πάθος senii expers esse, verè ab eo dictum demum experior. Quare cuperem eos qui mihi jam multum se debere agnoscunt, quòd indicaverim sibi iter ad fontem, debere etiam mihi, quod à te, mea caussa libenter viderentur, exciperenturq; ea humanitate ac comitate, qua tu excipere omnes ingenuos ac liberali præditos ingenio soles. Sed vereor, ne mea jam sera commendatio sit: neve ipsa qua sunt & morum & ingenii elegantia, ita te jam, hominem τῶν

τῶν τοιούτων ἐπάλωτον, ceperint, ut novæ commendationi nullus supersit locus. Peto tamen à te, quantum me amas: & puto me à te non vulgariter amari; ut, sive aliquid est, quod addi ad tuam erga eos benevolentiam possit, id mea caussa adjicias: sive ita jam eos amas, ut nulla fieri possit accessio; reperias ipse tamen, atq; excogites aliquid, quod commendatione mea adductus, eorum caussa feciss videaris. Ego te, Cuiaci, eximiè amo: & quantum in me est, excito horum hominum ingenia ad evolvendos libros tuos, & ad cognoscendam doctrinæ tuæ præstantiam; te quoq; æquũ est aliquid mea caussa facere. Majus autem facere nihil potes, quam si his duobus adolescentibus ostendas meam commendationem aliquid apud te valere. Vale ROMÆ 7. Kal. Februar. M. D. LXXIX.

JOANNES CASELINVS M. ANTONIO MURETO S.D. LXVIII.

EGo verò quàm sum importunus? Toties te interpello, sive hoc facit tuus in me animus: sive mea de te persuasio: sive hominũ tui sitis. Mihi enim quævis harũ caussa sufficit ad excusationẽ. Ut autẽ prætereã, quæ in nobis mutua esse lubens mihi persuadeo; nemo est vel modicùm tinctus literis, quin & te magnificiat, & si isthuc proficiscatur, audire vocẽ tuam, vultũ contemplari, & humanitatem experiri velit.

Vides quid dicturus sim. Hi amici mei Ioannes Lubecius & Gallus Beccius Germani fama tui nominis permoti, & ipsi te salutare jampridem in animum induxerant. Quod cùm mihi mirificè placere intelligerent, ut qui te jam penitus perspexissem: visi sunt à me epistolam hanc cupere, quam ipsis dedi brevem & incultam, ut vides. Hæc tamen munus suum obierit, si ipsis fores in sermones tuos patefecerit, quod haud dubiè sive illa etiam antequam huc legendo processeris, sive tua humanitas faciet. Si tamen hoc requiris præterea, cognosces viros & virtute præditos, & literis probè excultos, & cùm omnium eruditorum, tum tui observantissimos. Quæ cum in iis deprehendes, erunt tibi me quoq; tacente commendatissimi, cui commendationi, si fiet quædam quoq; ex hisce literis accessio; multo magis & ipsos & me tibi obligabis. Vale Murete clarissime. FLORENTIÆ Kalend. Mart. anno, M.D.LXVII.

ANDREAS DVDITIVS M. ANTONIO MURETO V.C. S.P.D. LXIX.

Pudet me ad te, virum eloquentissimum scribere. Neq; tamen impetrare à me ipso possum, ut nullas potius, quàm eius generis, cuiusmodi soleo exarare literas ad te scribam. In quo tu, humanissime Murete, non quàm in scribendo sim infans: sed quã studiosus, quàm tui cupidus, spectare debes, magnũ me hercule bene-

benevolentiæ cum verecundia fuit certamen; sed vicit tandem benevolentia erga te mea, & ad scribendum me impulit. Neque verò nullos stimulos addidit ingens illa, perspecta mihi & cognita superiore anno humanitas tua; cum ego te officii caussa adirem, qua tu me hominem tibi ignotum ita obstrinxisti, ut quibus plus, quàm tibi, debere me sentiam, quàm pauciſſimos habeam. Admirabar equidem antea doctrinam, atq; incredibilem quandam in dicendo suavitatem tuam, ac summam in familiaritate, atque amicitia tua gloriam statuebam. Nunc verò, non id modò, sed ex quo die te cognovi, ita te amare cœpi, ut illis, quibus tua consuetudine frui datum est, demum invideam; illos solos felices esse ducam. Atque utinam hac eadem & mihi felicitate frui liceret. Sed non licet; at quod licet facio, meumque incredibile hoc tui fruendi desiderium levo frequentiſſimis, & honorificentiſſimis de te, deq; excellenti tua doctrina sermonibus. Ex quo enim ego te die cœpi diligere, omne studium, omnem orationem meam, qualiscunque ea sit, ad laudem, & tui nominis gloriam contuli. Quod sanè non eò dico, quod meis sermonibus, & prædicatione quidquam ad tuam famam putem accessisse, (neque enim tam sum à ratione alienus, ut facibus solem illuminari posse credam) sed ut, quanti te faciam, quàm observem, quanta benevolentia complectar, intelligas. Quod tibi persuasum esse ita cupio, ut nihil optem magis. Audio te habere paratos quosdam annotationum libros, quos in manus hominum emittas; quos

equidem quales exspecto futuros auguror, hoc est, omni doctrina eleganti refertos. Quid enim aliud à tali, tantoq; viro exspectari queat? Peto abs te, ut cujus generis id totum sit, ad me perscribas, &, quæ tua est humanitas, si quid jam est à Typographo descriptum, ad me mittas. Nam planè non fero desiderium legendi eius libri. Superioribus annis, cùm Lutetiæ Parisiorum, magna tua cum laude, & omnium admiratione Philosophiam ita doceres, ut non minus sententiarum gravitatem, quàm verborum elegantiam dicendique artificium homines admirarentur, audio te quiddam in quintum Aristotelis ἠθικῶν Νικομαχέων librum scripsisse, quem ego librum jam ab aliquot annis legere discupio, pergratum igitur feceris, si etiam hunc mihi literis tuis adjunctum miseris. Vale mi optime atque eruditissime Murete, & meæ libertati ignosce, ac hominem tui studiosissimum cupidissimumque mutuo ama. PATAVIO, 6. Id. Maij. M.D.LIX.

PETRVS MORINVS M. ANTONIO MURETO S.P.D.

LXX.

CUm Theologum Græcum prædicatione incitatus tua admirari cœpissem, isque huc venisset cùm ego discipulo meo fortè operam darem, permolestè tuli, eam me conveniendi hominis doctissimi atq; humanissimi potestatem per imprudentiam amisisse. Et quo dolorem meum desideriumq; tanti viri levirem, & aliquid earum literarum elicerem, quibus in primis

primis delector, scripsi ad eum, mandavique ei, cui literas dederam, ut studiosè percontaretur, ubinam esses, ut valeres, quid ageres. Is te ibi esse renunciavit, se veritum esse tecum loqui, & propter redeundi festinationem exspectare non potuisse, dum esset commodum. A te summo studio peto, mi Murete, ut de rebus, de literis, de consiliis tuis ad me scribas; Amiotumne conveneris, & quid ei gratum feceris de Plutarcho, de Victorino: hic si etiam in manibus, an jam divulgaris: consiliumne sit sacros & ecclesiasticos reliquos Scriptores studio & opera simili adjuvare atq; Victorinum. Iam enim leviores literæ, παιδιαὶ tibi sunt: σπουδὴ καὶ διαγωγὴ, sanctiores. Tu illa αὐτοσχεδιάζεις. Ad hæc verò, matura jam ætate, animum studiumq; tuum contuliſti. In quibus te jam arbitror, ut ait Theognis, τὰ μὲν μῶλος, τὰ δὲ δεινύμεναι, ἄλλα δὲ ποιεῖν. Velim item, teq; id etiam atq; etiam oro, si quando erit otium, si quid homini amicissimo & observantissimo tuæ cogitationum tuarum impartiendum putas, perscribas ad me, quid de his miserrimis temporibus sentias quibus ἐν τῶν νωτερισμῶν, ἐν τῷ κινεῖν τὰ ἀκίνητα καὶ τὰ μὲν νῦν γε καὶ χθὲς ζῶντα, in hanc perniciosissimam σασιωτείαν & ἀναρχίαν incidimus. Græcum Theologum meis verbis plurimum jube salvere. Vale CANTILII A.D. 4. Kalend. Septemb.

IDEM M. ANTONIO MVRETO VIRO OPTIMO AC DOCTISSIMO & homini amicissimo S. P. D.

LXXI.

PRoximæ congressionis nostræ grata jucundaq; recordatio facit, ut sermonis vel non necessarii occasionem & facultatem etiam absens quæram. Atq; hoc vel singularis humanitas tua, vel nostra conjunctio, mutuaq; benevolentia patitur, vel requirit potius, ut nullo scribendi argumento; inter nos tamen per literas nonnunquam colloquamur. Tu quidem, quæ mihi epistolæ materia prope una fuerat, ut res meas curæ tuæ benitatiq; committerem, & commendarem, eam mihi singularibus tuis in me studiis, & eximia liberalitate præripuisti. Nam cùm antea semper rationibus meis per te consultum esse voluisti; tum nuper in hac provincia, quam te potissimùm auctore suscepi, sic dedisti operam, ut ea mihi quam honestissima & quam fructuosissima esset; ut si de fratre laborares tuo (etsi me quidem fratris loco semper habuisti) nec diligentiùs à te, nec amantiùs agi potuerit. Quo in munere cùm non solùm rem meam, officium, famam agi viderem, sed etiam existimationem & gratiam tuam; effecì quantam potui, ut id in me judicii, te haud temerè contulisse homines existimare possent. Atq; in eo negotio, quod tuo hortatu susceperam, eò majorem curam & diligentiam mihi adhibendam esse constitui, quòd in eo gerendo me intelligerem auctoritati & volun-

voluntate tuæ inservire. In quo, ut coram tibi significavi, gratiam ab hominibus ineundã mihi duxi esse, τῷ κατὰ τὸν νέον Ὀδυσσέα, χεῖρα ἔχειν ἐργάτιν, γλῶσσαν δὲ νεῦρον modò in opere, reliquis temporibus cessationi suæ veniam speravit datum iri, ἠγνωμόνων ἀνθρώπων τοῦτο : quod ut jam nemo fefellerit; confido quidem certè. Hoc verò docendi officium cùm consilii & moniti tui memor studerem in honorem adducere, processit quidem: sed tamen hominibus valde repugnantibus: Itaq; ἀποταγὴν meditor. Tu, ut spero, conficies, πᾶν ὃ τέλος ἐν τῷ ἔργον. Ego te illud tuum honestissimum otium ad Ecclesiæ historiam literis tuis illustrandam conferre, jamq; tibi, quod de Basilio Magno Gregorius scripsit Theologus, λόγος τὸ πάρεργον εἶναι, mirabiliter lætor. Vivent scripta tua in æterna hominum memoria, & valebunt ad sanciendam & stabiliendam veterem perpetuamq; Ecclesiæ disciplinam, & eos homines errore gravibusq; opinionibus liberandos, οἵτινες, ὡς ὁ ἡμέτερος ἔφη πάσολος, τοῖς θείοις ἐχθρόσιοι ὄντι τὰ θεῖα χρῶνται, διὰ τῆς σοφίας τοῦ θεοῦ, τὸ θεῖον ἐκβάλλειν πειρώμενοι σέβας. Peto à te, ut Niceto, quas ad eum scribo literas, reddendas cures, eiusq; voluntatem tibi quàm maximè ad me tuendum & augendum adjungas. Si quid tu ad me literarum, ut & opto & spero, quod ad Iulianum Granuccium Medicum miseris, is ad me perferendum curaturum se est pollicitus. Vale, POLI. Postrid. Non. M. D. LXVII.

MORI-

MORINVS EIDEM.

LXXII.

Cùm exspectarem, dum aliquod serium argumentum haberem ad te scribendi, literæ à Niceto venerunt comitate tuis, ibi ego agnita manu mihi charissima, teneri non potui, quin vel nulla materia, aliquid tamen exararem, & apud te, qui huiusmodi negotium perbellè devorare soles, φαυτολογίαν ineptirem. Ex hoc, mi Murete, tam diuturno literarum mearum silentio intelligere potuisti, quàm otio & præter consuetudinem nihil agendo languescerem: in qua tamen desidia narro tibi, quid mihi optatissimum & jucundissimum nec opinanti contigerit. Ædes hic sacra est D. Virgini dicata, eius ædis custos & præses, senex optimus ac religiosissimus, cœtum habet virorum summa nobilitate, & humanitate præditorum domi suæ, quæ divinæ juncta est. Quo ex numero cùm apud Archiepiscopum esset vir singulari virtute, doctrina, probitate, in eumq; ego casu incidissem: Quid tu inquit, in hac solitudine consenescis? & simul me humanissimè invitavit, ut secum apud eum quem dixi, æditimum, si quando liberet, esse vellem. Ego eius studium & liberalitatem secutus, paucùlis post diebus cùm me eò, quo vocarat, contulissem, hominem offendi cum illo sanctissimo sene GREGORII Theologi scripta studiosè legentem. Adjunxi me vel auditorem, vel interpretandi arbitrum perlibenter, dedi me utriq;: alterum etiam assiduè in-

Repu-

Republica versantem & studiosum Rhetoricorum Aristotelis, ac Demosthenis orationum, ut potui, adjuvi. Hi etiam viri humanissimi & probissimi aliquid esse credunt, Gregorium nulla meditatione interpretari, cuius ego librum, tuum lectitando, detriveram: & Demosthenem explicari ab homine Manutii, Mureti, talium virorum discipulo mirantur: ut mihi, (fatendum est enim, præsertim apud te) paulò jam beatior esse videar, & hæc nostra studia non adeò contemnenda ducam. Nunc nobis Magnus ille frater Gregorii est in manibus, ut ab ambobus eruditione, sanctimonia, gloria, germanis communia & intelligendi & bene vivendi præcepta ducantur. Tantum est, cuius te participem fieri, & mea caussa lætari cupiebam. Ab Archiepiscopo quidem ita liberaliter & à principio sum acceptus, & quotidie tractor, ut quid illustrissimo Cardinali Sirleto debeam, quid etiam vobis, qui me ei commendâstis, non solùm scribendo, sed ne cogitando quidem assequi possim. Utor inprimis familiaritate Vicarii: qui Iurisdictionem exercens sibi demandatam, & dijudicandis controversiis operam navans, mihi sæpissimè, negotiorum molestia pressu, gratulatur, qui rationem cum multis humanioribus & sanctioribus literis habeam: dum ipse, litibus & turbis implicatus, horridas interpretum Iuris chartas non sine stomacho pervolvat. A quibus etiam, si quando rogem utendas, me deterret, nec à veterum Iurisconsultorum, quos sæpiusculè in manus sumo, usu discedere patitur, nec quicquam proficio, quod dicam con-

consecuturum me, cùm illa degustáro, ut ipsi & Archiepiscopo in consilio esse possim: otium hoc tuear, & nôrim fortunas meas, qui politiorum & elegantiorum literarium studio incultis sordidisq; caruerim. Hoc idem ambo hi mei συνφιλολογοι dicitant. Qui quidem se suaq; omnia liberaliter mihi detulerunt, & nisi meas copias viderent, uti cogerent suis, habent συμπεπληρωτὼ rebus necessariis instructum, non sumptuosum, non gravem amicis, & tamen aliquid à se sumere voluerùt, qui hanc mediocritatem interea tueor. De epistolis, mi Murete, maximam habeo gratiam: iis utar, si opus erit, id est, si Mediolanum proficiscar. Nondum enim quicquam certi consilii cepi, ac minimum unum me hîc mensem etiam commoraturum puto. Vale. GENVÆ. Postrid. Id. Ianuar. M. D. LXIX.

HVBERTVS GIPHANIVS M. ANTONIO MURETO S. P. D.

LXXIII.

ETsi de tua liberalitate atq; facilitate multa sæpe in Gallia Auratum, Fruterium, & Cantorium prædicantes audivi; atq; adeò ipse viderem doctrinam tam egregiam singulari humanitate junctam esse debere: nunquam tamen, qui meus est pudor, impetrare mihi potui, ut, nulla accepta occasione, mea sponte ad te mihi viam aditumq; munirem. Nunc eam nactus percommodam, nihil prius habui, quàm ut studium in te meum, & quo ab ineunte ætate te ob scripta

pta & magnas Dei in te collocatas ingenii dotes, licet ignotus, colui, amorem literis ad te datis testarer. Nam Berzeviczeus juvenis Hungarus, amicus meus, Roma nuper huc reversus, cùm tuos de me, minimè licet idoneo, humanissimos sermones commemorâsset: facilè impulit, ut has ad te literas darem. Ego, mi doctissime Murete, non is sum, de quo tam præclarè sentire & existimare debeas. Dedi quidem semper operam, ut cum Iurisprudentia nostra, encyclia & humanitatis studia conjungerem: sed sentio & agnosco eam esse ingenii imbecillitatem, ut in utroq; (quando ad Iuris scientiam Philosophiam necessariam esse non ignoras) satis mihi respondere votoq; meo non possim. Et sunt tamen subcisiva quædam, quæ suavissimè illi humanitati non possum, quin adsignem. Hinc ea in Lucretium perpusilla, hinc & in Gellium quædam jam diu paramus: quanquam post tam malè acceptum Parisiis à Lambino Lucretium nostrum, aut me potius, haud scio an quicquam in eo genere navare debeam. Mirificè tamen Gellium expolitum cuperem. Sperabam posse me hoc, quod in Gallia non potui, hîc integrum aliquod idque pervetustum ejus exemplum nanciscì. Sed nihil dum reperire potui. Utinam tu, hac in re nos juvare velis. Nam quin possis, non dubito, in tanta librorum veterum, quos Romæ esse audio, copia. Ad solos 7. priores libros vetustum, hoc est, in quo & diphthongi sint pleræq; integræ, & græca exemplum requiro. Nam reliquos ad vetustissimum collatos & emendatos habeo. Ecce autem meam liber-

libertatem, ne dicam impudentiam, qui in primo familiaritatis, ut ita dicam, vestibulo & aditu onus etiam imponere tibi non sim veritus. Sed hoc tuæ humanitati partim ut tribuas; deinde & studiis communibus ut des, rogo. Neq; verò ignoras teneras etiam familiaritates, officiis utrinq; maximè ali & augeri. Quod reliquum est, te oro, ut eorum loco numeroq; me esse velis ac patiaris, qui te & colere & observare ob singularem tuam eruditionem consueverunt. Quibus ego rebus, etsi aliis facilè concedo; fide tamen, diligentia, summoq; in te studio ne minimùm quidem cedere sum paratus. Vale & salve. Si quid rescribes, facilè poteris, ad ædes Legati Regii. Salutat te Alfonsus Delbenius, VENETIIS.

HVB. GIPHANIVS EIDEM. LXXIV.

NE me putes, clarissime Murete, vel oblivione tui, vel graviore culpa tardiùs ad te rescribere; quem cum aliàs & ante hac semper, tum post literas illas ad me tuas omnis liberalitatis plenissimas, amare & in oculis ferre soleo. Longinqua, mihi crede, peregrinatio culpam omnem sustinet, Domum igitur, hoc est, Venetias, tandem aliquando reversus, nihil prius mihi faciendum putavi, quàm ut humanissimis tuis literis responderem. Quibus ut ὁμοιοτρόπως respondeam, scito illustrissimo Legato nostro gratissimam accidisse voluntatem illam tuam, qua munus aliquod illi ostendis. Quod si ille gravioribus

ribus rebus districtus, exigere non curaverit; ego tamen urgere & flagitare pergam; Ne tamen nostros sensus ignores, si fortè hoc tibi utile ad eam rem futurum putas, multus est in Aristotele, eoque inprimis delectatur; maximè Physiologo. Quod equidem sæpe miror, cæteroqui omnia tua illi pergrata esse fore, tibi confirmo. De studio in acquirendo Gellii exemplari gratias tibi agam, cum erit commodum, nunc quam possum habeo maximas. Intellexi postea ab iis qui Romæ superioribus mensibus Fulvium Ursinum, de quo literis meministi, salutârunt, habere illum Gellium satis antiquum, etsi non integrum: vidisse namque se illum apud Fulvium mihi confirmârunt. Quare etiam atque etiam à te peto & quæso, mi Murete, ut mihi librum illum ab Fulvio homine, ut audio, perfacili, tibique amicissimo ad paucos dies nobis impetres: eumque commodè compositum & involutum vel tabellario Veneto, aut amico notóque, si qui certus occurret, des huc perferendum. Dabo operam, ut paucis post diebus ad te istuc referatur. Nam de fide mea ne dubites, tuam tibi prudentiam & constantiam testor, qui & apud quem virum agam, memineris, & ipse me in amicitiam jam susceperis. De fructu & utilitatibus, quæ ex hoc scriptore, mea opera, exspectanda sint, etsi pudor multa polliceri me vetat; quædam tamen hic apponam, ex quibus tu conjector hac in re solertissimus, conjecturam de reliquo capere possis.

Lib. 10. cap. 15. initio: item casus multiplices, legendum ex vetere libro puto, itẽ casus multiplices. Quid

castus, apud Nonium & Festum. Minuebatur, in fine. Eodem cap. legendum cum strue atq; ferto, & mox arborem felicem, & quod in rica, ex vetere libro: etsi in vetere erat IN RITA; de rica Festus, & de ferto. Cap. 21. Ælius illo. Legendum ex veteri codice, L. Ælius Stilo, & mox. Quod extremum, inquit, dicebatur, dici novissimum cœptum vulgo. Cap. 25. rumices, trifaces, de utroq; teli genere Festus. Cap. 24. Sicut pristini & pristinè: legendum præfiscini & præfiscinè. Et mox: Sacerdotes populi Romani cùm condicunt. Lib. 21. cap. 12. Non partitionem solam, tanquam ille. Accipe quoq; versus pulcherrimos Ennii lib. 12. cap. 4. ita emendatos ex libro vetere.

Hæc locutus vocat qui cum benè sæpè libenter
Mensam sermonesq; suos, rerumq; suarum
Comiter impertit, magnam cùm lassus diei
Partem fuisset de summis rebus gerendis
Consilio, endo foro, sanctoq; senatu,
Cui res audacter magnas parvasq; jocumq;
Eloqueret, & cuncta malus qua & bona dicta
Evomeret, si qui vellet tutoq; locaret.
Quo cum multa volupia gaudia clamq; palamq;
Ingenium, cui nulla malum sententia suadet.
Ut faceret facinus levis, haud malus, doctus, fidelis,
Suavis homo, facundus, suo contentus, beatus,
Scitus, secunda loquens in tempore, commodus verbum.
Paucum, multa tenens antiqua sepulta vetustat
Quæ facit & mores veteresq; novosq; tenentem.

Multo-

Multorum veterum leges, Divumq́ hominumq́
Prudentem, qui dicta loquî vel tacere posset.

Et mox, L. Ælium Stilonem.

Et lib 16 c. 19. versu Lucilii ita legendi ex veteri codice.

Illud opus durum, ut Setinum accessimus finem,
Αἰγίλιπος montes, Ætnæ omnes asperi Athones.

Eiusdemmodi complura adferre possem, adeoq́ vellem, nisi illa jam nimia esse vererer. Videbis igitur, humanissime Murete, an expoliendum mihi scriptorem illum putes; hoc est adiuvandum me in Fulvii libro impetrando. In Cæsare similem operam posui: quod ipsum pronuper in Epistola ad lectorem Lucretio præfixa sumus testati. Verùm ab LAMBINO *postea ita verberati: &, quia à jure paulum temporis locique nobis, ut ita dicam, subciditur, omniaque quàm accuratissimè sine librorum veterum copia expoliri nequeunt: tardiùs fortasse quàm debueram, certè, quàm putâram, Cæsarem tamen brevi,* DEO *volente, daturus sum, adjecta explanatione modica: gratum, ut spero, opus Celtis nostris, seu Transalpicis futurum. tua illa epistola (eò namque redeundum est) mirificè recreatus, atque adeò munitus adversus furores illos Dionysiacos; quem jam audio libellum illum, qui vulgò Æmilius Probus à me certissimis rationibus in Lucretium plurimis in locis Cornelius Nepos dicitur, de illustribus imperatoribus Græcis, explanationibus longissimis, ut solet, oneratum in lucē edidisse: in quo libello si quemadmodum in* CICERONE, *omnia illa quæ in*

collectaneis Lucretianis emendata proposui sumpsit, sibique arrogavit: veniam mihi viros eruditos daturos spero, si, manu injecta, illa, quæ mea legitimis documentis ostendero; asseram & vindicem, incusso plagiario pudore, quando aliud non licet. Vale, doctissime & humanissime Murete. VENETIIS. Idibus Augusti. M. D. LXIX.

HVB. GIPHANIVS EIDEM. LXXV.

QUia Tibure Romam te jam reversum puto, auctore etiam Tesserano nostro, qui tuam in me singularem voluntatem prædicavit, tertium ad te scribo de Gellio: teque etiam atque etiam oro, ut à doctissimo Fulvio librum illum auferas, quem vel ad paucos dies huc mittas, vel quod commodius fortasse erit, cum editione aliqua comparandum des, non totum, sed id duntaxat quod in eo exemplo reperietur ad VII. primos libros eius scriptoris. Cave enim putes, mi Murete, ullum scriptorem mendosiorem reperiri posse. Ex posterioribus libris cùm possim adferre loca innumerabilia, tum proximè quædam indicavi. Quo argumento commotus, non dubito, quin priores simili malo laborent; præsertim qui jam periculum, & in his fecerim, adjutus nonnihil à libris quibusdam sed minimè vetustis. Verbi gratia lib. I. cap. 7. expavidusque Demosthenes avertit iter: in vetere codice reperi, avertitur; hinc legendum fortasse avertit, inducto iter, ut Plato in Phæd. καὶ ἄλλα διανοήματα μεταστρέφων ἀπὸ & cap. 20. quales sunt fer-

mè meteæ triangulæ quas. sic scilicet legendum, cap. 26. Convertit ad me, sic vetus liber. Et lib. 2. cap. 8. Sic in actionibus civilibus auctor laudari dicitur, & cap. 7. aut pro reo Catilina aliquo, aut Tibullo, aut P. Clodio. de Tibullo, sæpe hîc. Habeo emendationes aliquot in epistolas Ciceronis famil. quas Manutius (eum explanationes scribere, ex filio eius, qui jam pridem hinc Asulæ abest, cognovi) si me mittere ad se volet, mittam quàm primùm, sed tua fide & auctoritate. Nam Manutium etsi virum doctissimum esse scio, & filio Aldo sum usus perquam familiariter: temerè tamen meis non nimis acutis emendatiunculis interpellare, ipse non ausim. Vale humanissime & doctissime Domine, VENETIIS. 7. Kalend. Decembr. M.D.LXIX.

HVBERTVS GIPHANIVS MURETO S. P.

LXXVI.

MAgnam tibi gratiam habeo, Murete humanissime, qui laborem eum ipse ceperis, quo nemo id melius præstare possit, teq; rogo, ut, quod facis, reliqua item descripta usq; ad lib. 9. quæ quidē reperies mittere velis. Valde gaudebam de Tubulo lib. 2. c. 7. ibi, Catilina aliquo aut Tubulo. Nam ex clarissimi Pinelli libro, minimè tamen vetusto, in quo ita erat, aliquo aut cubāt, aut jam pridem, Tubulo conjectrā, quod an ad te præscripserim, dubito. Sambucus certè, ad quē ea de re scripseram, nuper ita rescripsit. De Tu-

bulo conjectura non displicet: cùm facilis sit lapsus de Tu in Bi. nam de Túbulo qui palam ob rem judicandam pecuniam accepisset, condemnato, viro improbissimo. Cic 2. de finibus, 3. de natura Deorum & pro Scauro meminit. In fragmentis orationis pro Scauro hæc Ciceronis verba. Si me hercule judices pro L. Túbulo: dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratissimum & audacissimum fuisse accepimus, & cætera. Ea inquam verba huic loco inprimis conveniunt. Existimo in veteri codice vestro, cap. 1. lib. 1. desiderari. Scio namq; varietatem aliquam reperiri in aliis, atq; adeò in primis versibus. In cap. 13. lib. 1. Scripsi ad magistrum ἀρχιτέκτονα molis Atheniensium. In veteri codice quodam vidi, ad magistratum Græcum more Athenensium. Ex quibus verbis mendum odoratus, legendum putabam ad ἀρχιτέκτονα Athenensium. Hoc igitur consideres velim. Deinde an eodem libro cap. 24. pro, Orchio traditus thesauro, non sit scriptum, Orcivo, & lib. 2. cap. 10 Favisse, duobus SS. an uno S. exaratum sit. De nomine scriptoris etsi ipse dubito. Nam ea quoq; re in Lucretio infinitè illum voco scriptorem noctium Atticarum: tamen argumenta in utramq; partem, quæ habeo proximis tibi perscribam. Nam Lambinus, qui paulo momento huc illuc impellitur, & in Ciceronem plerumque Agellium vocat, cur nunc ita clamat cõtra se quoq; tu fortasse ignoras: ego nunc etiam tibi indicabo. Et quia vidisse te sentio, ponderosas illas explanationes in Cornelium Nepotem, seu Æmilium Probum, deprehendimus nos, cum omnes

mnes nostras emendationes in eum scriptorem, quas de veteri codice, quem habemus, desumptas, in Lucretiana collectanea conjeceram, sibi sumpsisse omnes. Qua de re memini ad te scribere timidè. Sed ipse faciam ut comperias ita rem se habere, si libebit conferre hæc loca ex collectaneis nostris, & commentario Lambini quæ hic notavi. Sunt hîc eruditi viri, qui, re cognita, fabulam egisse dicerent Lambinum: qui, ut aliis persuadeat, se non legisse nostra, Puteanum ὡσπερ δεύτερα σὺν μηχανῇ adhibet, cùm nodus vindice dignus occurrit. Excusatum habebis, quæ tua est humanitas, mi Murete, qui in rerum nostrarum vindicatione diligentior fortasse tibi videar: in quibus usurpandis vir ille propriis lapsis, maximas etiam adhibuerit, laudat te: quem ita tamen accepit, scit scilicet; quem laudet, & cur, metuit, ne offendat solido. Valde laboro in prænomine Cornelii Nepotis inveniendo: Tu, si potes, me explica. Vale mi doctissime & humanissime Domine. Salutem dixi clarissimo Oratori. VENETIIS. Kalend. Ian. M.D.LXIX.

MVRETVS GIPHANIO S.

LXXVII.

TUm demum non recusabo, quin te mihi aliquid debere fatearis, mi Giphani, cùm tua caussa laborẽ aliquem cepero. Quæ enim usq; huc à te oratus feci, nõ magis caussu tua feci, quã mea. Nihil est enim quod libentius faciã, cùm quid vacui temporis datur, quã ut libros pervulgatos cum veteribus conferam.

Nondum possum ad te mittere quod reliquum est, iis occupationibus, quæ tibi quoq; ipsi non ignotæ sunt, impeditus. Contuli loca, quæ notaveras: & admiratus sum hominis impudentiam: quam tamen in memetipso jam pridem expertus eram. Non enim tantùm, cùm multa à me accepta pro suis publicasset, ultrò conquestus est: sua sibi à me subrepta esse; sed etiam (vide, quæso te, inauditum improbitatis genus) cùm admonitus esset à me de locis quibusdam Horatianis; quos ita stultè interpretatus fuerat, ut omnibus eruditis debere ludibrium videretur; non est veritus dicere ac scribere, eam ipsam sententiam, à qua ipse monitu meo discesserat, meam fuisse; meque ut illius auctorem, exagitare iisdem illis argumentis, quæ à me acceperat. Quid eiusmodi homini facias, aut quid ad tam insignem impudentiam addi posse arbitrêre? Sed benè, quod non in me unum eo modo injurius fuit. Reperiet alios minùs injuriæ patientes, quàm ego sum. Fortassis ne ipso quidem tacitè hoc tulissem calidus juventa. Nunc vix credas, quàm mihi à toto illo controversandi genere abhorreat animus. Tu quoq;, si me audis, non nimis acriter eum insectabere. Ulciscentur hominem mores sui. Vale.

Romæ, Idibus Ianuar.

HVBERTVS GIPHANIVS MURETO S.

LXXVIII.

PAulo tardiùs rescribo, quod de auctoris nomine, quæ requiris denuò mihi conquirenda fuerint. Quæ etsi olim Brugas ad Guidonem Laurinum diligenter collecta perscripseram, cùm & ille de Carsania aliisq; id genus conditionibus monuisset; nunc tamen in schedis, quas huc mecum attuli, reperire non potui. Petendi igitur hinc inde libri, quos ferè nullos hîc habeo. Sed de Lambino φιῦ τῆς ἀναιδείας, in quem ut omnia pulchrè conveniant, accipe & aliud eius stratagema. Cùm Lutetiæ Thyrsum; non Lucretianum illum, sed suum in me quatere instituisset, (ego interim domi virgam tam pueriliter peccanti minitabar) prima concione dixit cum Belgis omnibus familiaritatem sibi esse, me unum sibi malè cupere: protulitq; duodecim ferè Belgarum nomina, qui tum ibi agerent studiorum causa. Multi ex his, admirati hanc publicam testationem & citationem, quòd illum ne salutâssent quidem unquam; me autem uterentur familiarissimè, imò eo ipso tempore epigrammata in illum partim præscripsissent, ad me accurrerunt, & acumen Lambini, artesque eius oratorias mihi exposuerunt. Mirantibus omnibus unde eorum nomina collegisset, intervenit mox eius convictor, Bruxellensis, qui scrupulum illum nobis exemit. Se namq; rogatum & coactum fuisse Lambino petenti

domi ea aliquot Belgarum nomina dictare, causse ignarum. Atq; ita res in risum abiit. De Agellio quæ adferam, te rogo, ut accuratè perpendas: quæ si tibi probabuntur, fac ut ratione aliqua adfirmes. Contuli igitur manu scriptos septem. Lovanii Buslidianum, antiquum satis, sed minimè integrum; alterum Cujacii, in quo decem libri posteriores, item bonum: tertium Mæmianum, clarissimi senatoris Henrici Memii, eiusdem bonitatis ac magnitudinis; duo præterea erant Pinellini; quos tamen, quia minime vetusti, non libuit totos conferre, ut neque Rhedingeri unum, juvenis nobilissimi Germani. Septimus quem Lutetiæ diligentissimè contuli, Danielis, amici cujusdam mei, advocati Parisiensis erat, omnium longè pulcherrimus & antiquissimus; accedat huic, bonitate, ni fallor, proximus Fulvianus. In iis omnibus, uno, eoq; optimo, excepto, in quo A. Gellii ter scriptum reperi: neq; sæpius nomen in eo codice aderat: constanter vidi exaratum Agellii. Itaq; veterum codicum auctoritate sola, usitatam descriptionem mutare nolim. Nam tametsi omnes alii habent, Agellii; unus tamen omnium antiquissimus habet A. Gellii. Rursus hic etsi jam vetustus est; unus tamen habet A. Gellii: cùm reliqui omnes, ex quibus duo aut tres etiam benè vetusti, habeant Agellii. Hos igitur ex vetustis codicibus argumentum in medio relinquendum censeo. Reliqua sunt duo, prius, meo quidem judicio egregium: quod hic auctor nunquam adducatur (sæpe autem adducitur) Gellii nomine, sed semper A. Gellii, ut quidem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666/phys_0456
DFG

dem in vulgatis codicibus perscribitur. Ab Servio in Virgilium, minimum ter adducitur, à B. Augustino usurpatur quinquies, à Prisciano ter. Loca sunt hæc. Priscianus lib 6. A. Gellius noctium Atticarum 9. Historia ex libris Heraclidæ Pontici, & cætera, & eodem libro: A. Gellius noctium Atticarum 6. Sole medio, inquit, & arido, & cætera, & lib 7 Unde A. Gellius noctium Atticarum inscripsit. Augustinus de civitate Dei. lib. 9. c. 4. in libris quibus titulus est noctium Atticarum, scribit A. Gellius, vir elegantissimi eloquii, & multæ ac facundæ scientiæ, & cætera. Mox ibidem: Narrat A Gellius, & cætera, postea quæsivit A Gellius à Philosopho, & cætera, in eo libro se legisse dicit A. Gellius, & cætera, &: hæc ut potui non quidem commodius A Gellio, sed certè brevius, & cætera. Sic Augustinus in uno eademq; capitulo Servius in commentario Virgilii: ad illum versum lib. 5. Et me sævus equis oriens adflarit anhelis. Hæc autem, inquit, plenè exequitur & Cicero in Auguralibus, & A. Gellius in libris noctium Atticarum, & lib 7. ibi. Et quos maliferæ despectent nomina, & cætera, & in Georgicis ni fallor, semel.

Alterum est argumentum quod illis omnibus in locis in codicibus eorum scriptorũ manú descriptis constanter exaratum vidi Agellius & interdũ Agerius. Contuli autẽ codices Prisciani sex manu scriptos, Servii duos, Augustini unum, omnes valdè antiquos, sed Augustini illum antiquissimũ. Possem & áuctoritates doctorum quorúndam hominúm adferre, quibus hæc probarem. Nam Lambinus, ut solet, paulo momento

huc

huc illuc impulsus, in edendo Cicerone Agellius probat: in Nepote detestatur. Accepi Gabrielem Faërnũ Agellii quoq; nomen probasse, commotũ maximè versiculo quodam antiqui nescio cuius Grammatici, in quo hæc vel similis fuerit clausula: ut doctus Agellius inquit. Tu si eum Grammaticum & versiculum (Fulvius fortasse eum tibi subjiciet, quem valdè familiarem Fœrno audio fuisse) mihi indicaris: magnoperè hanc opinionem confirmaveris.

Agellii autem nomen Romæ usitatum fuisse (ut & Agerii, de quo cùm alia in pandectis loca, tum l. qui Romæ Agerius de verbor. obligat.) cùm ex inscriptione quadam antiqua, quam reperi in iis, quas multas, & fortasse nimis multas, in parvum libellum suum de orthographia retulit Aldus junior, & ex Statij Poëtæ matre, quam vocatam Agellinam scribunt, tum ex Prisciano, qui mihi nostrum auctorem αὐτόπτην videtur. Sic igitur ille lib. IV. In ius desinentia sive à nominibus, sive à verbis derivata, servant i ante ius, & cætera, ut servus, servi Servius: servilis, Servilius, agellus agelli Agellius: silva Sylvius: virgula Virgilius: & cætera. Nunc respondeamus objectionibus, quas puto esse posse duas. Una est, potuisse depravari manu scripta contractione quadam facileq; lapsu, scripto Agellio pro A. Gellio, ut in Carphania & aliis nonnullis accidit. Altera est, Romani hominis nullum fore prænomen, quod novum sit & inusitatum. Prior nullam vim mihi videtur habere. Proferat enim quis nomen aliquod scriptoris noti, quod constanter & perpetuò ita contractum

& da-

& depravatum in plurimis locis reperiatur; quod certè nemo unquam (aut valde erro) facturus est. De prænomine. ea ætate mirum non sit, qua certum est multa Romanorum propria instituta jam exolevisse. Fortasse & prænomen & cognomen habuit hic noster, quæ tamen intercideriut, aut quæ ipse auctor, Agellii nomine notior, prætermiserit adscribere. Pauli & Ulpiniani & omnium ferè Iuris auctorum prænomina, quis unquam audivit? Possem fortasse probabiliter, A. Agellium dicere appellatum, sed conjecturis huiusmodi non puto esse opus. Hæc ferè sunt quæ de Agellio habebam, quæ, si probas, obsecro si potes, adiuva, maximè illo Faërni versiculo: si minus probas, tamen ut versiculum illum, & tua perscribas. Sed enim volumen ut habeas, teq; civiliter lacessam, cupio mihi explices, tuamq; indices sententiam, cur Ulpianus Ius à justitia deducat. Ego quidem etymon hoc non grammaticum, sed philosophicum esse puto: Ius enim ut actionem ex habitu justitiæ manere. Quæro etiam, cur Iuri gentium Florentinus adscribat vindicationem in l. tertia: cùm & beluis ea sit communis. Plura aliàs, jam satis. Vale mi doctissime Murete 5. Kal. Febr. M. D. LXX.

JOAN.

JOANNES ZOMOSCIVS REGNI POLONIÆ VICECANCELLARIVS, Belzensis, Knissynensis Zamchensis Capitaneus, &c. M. Antonio Mureto S.

LXXIX.

TUm ex constanti fama, tum ex scriptis tuis, quæ in lucem à te edita, manibus omnium, ob eorum elegantiam teruntur, cognovi quantus sis in literis. Facilè igitur tua virtus me, etsi tanto locorum intervallo à te remotum, & eum, qui te nunquam viderim, in tui amorem trahere potuit Cùm & ipse eas, licet earum ignarus, ac in vita civili occupatus, amem. Id tibi literis hisce meis breviter significare volui Plenius verò per Generosum Ioannem Zamoscium, Serenissimi Regis nostri Secretarium, qui istuc à Rege missus est. Cui tu fidem, in iis, quæ tibi nomine meo nunciabit adhibebis, & me tui amantem, redamabis Vale, ex castris ad Gedanum, 3. Kalend. Iulij. M. D. LXXVII.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI STEPHANO, DEI Gratia Poloniæ Regi, &c. M. Antonius Muretus S.P.D.

LXXX.

NIhil in vita aut optabilius, aut honorificentius mihi contingere potuit, Serissime Rex, quàm ut homo neq; ingenio, neq; doctrina, præter cete-

ros

res præstans, amplissima & honestissima conditione proposita, à Majestate tua in Poloniam vocarer. Quo equidem venire cupiebam; non tam privati commodi spe, quàm mirifico quodam studio incensus videndi ac venerandi cominus eum principem; qui solus hodie confirmat vetus dictum, hominis sapientissimi: tùm demum beatas civitates fore, cùm aut Philosophi regnarent, aut Reges Philosopharentur. Sed id, cùm ita cuperem, ut nihil unquam cupierim ardentius, cur efficere non potuerim, Regia Majestas tua ex Ioanne Zamoscio Secretario suo intelliget. A. qua supplex peto: ut ne propterea dedignetur me in suorum numerum adscribere: neq; iniquo animo ferat, me; dum vivam, quibuscunq; modis potero, & loquendo, & scribendo, quantum Regiæ ipsius liberalitati debeam profiteri ac prædicare. Deus Opt. Max. Regiam Majestatem tuam rebus omnibus florentissimã quàm diutissimè servet. RÔMÆ, Kalend. Decemb. M. D. LXXXII.

M. ANTONIVS MVRETVS IOANNI ZAMOSCIO REGNI POLONIÆ Vicecancellario, Belzensi, Kniffynensi, Zamchensi Capitaneo &c. S. P. D.

LXXXI.

PRater spem & opinionem meã accidit, ut cùm inter me & Ioannem Zamoscium Serenissimi Regis Secretariũ omnibus prope de rebus convenisset: in eaq; cogitatione totus essem: subitò ostenderit Gregor. Pontifex Maximus profectionem meam sibi non placere: m. q.

meq; per viros summa auctoritate praditos monendum curaverit, ne ex urbe discederem: sibi curæ fore, ut ne in urbe deteriori conditione essem, quàm quæ mihi in Polonia deferretur. Quid etiam ad quingentorum aureorum nummorum stipendium, quod mihi jam pridem constitutum erat: statim ducentos adjici jussit, mandavitq; Datario suo, primo quoque tempore quoquo modo efficeret, ut aliunde mihi trecenti aurei nummi quotannis penderentur. Ea re factum est, ut coactus sim deponere consilium, quod ceperam veniendi ad vos: à quo, nec vivam, si me alia ullares, quàm summi Pontificis voluntas atque auctoritas abducere potuisset. Interea etiam tacente me, facilè omnes vident, quantum Serenissimo ac potentissimo Regi Stephano, quantum tibi, Zamoſci clarissime, debeam. Vobis enim, nisi planè ingratus sim, hanc tam luculentam fortunarum mearum accessionem acceptam feram necesse est. Quare dum vivam, me utrique tantum debere fatear oportet, quantum ab homine deberi homini plurimum potest. A te etiam atque etiam peto, ut mihi veniam à Serenissimo Rege impetres: tibique persuadeas, si ullum tempus unquam eveniat, ut me vitam ipsam vel pro Majestate ipsius, vel pro tua, clarissime Zamoſci, dignitate in discrimen exponere oporteat, neminì me concessurum, qui id promptius aut majori animo faciat. Vale. ROMÆ Kal. Decemb. M.D.LXXVIII.

JOAN.

JOANNES ZOMOSCIVS REGNI POLONIÆ CANCELLARIVS, BELZENSIS, KNISSYNENSIS CAPITANEUS, &c. M. Antonio Mureto S. P. D.

LXXXII.

NOstrum tui studium tam bene cessisse tibi, ut scribis, tibi quidem gratulor; mihi gaudere non possum, qui te hîc careo, ubi & frui è propinquiore loco poteram tuis literis, & eas etiam ornare magis, uti quidem summoperè cupiebam. Sed hæc Deo committamus, cui necessariò obtemperandum est. Tu vide, ut ad nos quam sæpissimè scribas, & cùm quid habes, quod tuus ipsius oculis etq; auribus dignissimum esse arbitrere, nos quoq; eo beare ne prætermittas. Rem nobis feceris gratissimam, & nostra amicitia dignissimam. Vale. Datum. VARSOVIÆ, die 25. Mart. anno Domini M.D.LXXVII. Scias te Regi nostro inprimis commendatum esse.

MVR. GERARDO SVO. S. P. D.

LXXXIII.

MIhi crede. Iraſcerer TITIO noſtro, niſi vererer, ne ipſe eandem rationem iniret placandi mei, quam iniit abhinc biennium. Etenim, ſi neſcis, cùm ego eum, neſcio qua de cauſſa ſubaſperè appellaſſem, meq; illi iratum eſſe dixiſſem; renidens ille, faxo, inquit,

inquit, istud verbum magno redemtum velis ; Eo ipso die sub vesperam, cùm mihi jam parata cœnula esset ; ecce tibi homo ad fores. Quid tu, inquam, huc ? Tecum, inquit, ut cœnem, si fortè placare te possim. + φιλίαν ἀμφὶ τεύξεσθαι. Tu verò cœnare mecum potes ; placare me neq; tam citò, neq; tam facile potes : Inter cœnam, multa, ut solet festivè narrare, multa urbanè dicere : quæ omnia ego, non facilè quidem, sed tamen, mihi imperans silentio audiebam ; ita composito ad severitatem vultu, ut ne illud quidem facerem, quod canes iratæ solent. Discessurus. Etiamne, inquit, iratus es ? Multò, inquam, iratior, quàm prius. Postridie eadem hora, cùm, tanquam ad constitutum venisset ; quærenti mihi. Quid tu huc denuo invocatus ? + Τί δῦα- τοι δ' ἀγαθοὶ, inquit ille. Itane, inquam, falsis dictis & versiculis cœnam te quotidie naturũ putas ? At ego, ne erres, hodie non cœno. Rectè sanè, inquit, ego igitur, te spectante, bona tua comedam. Scio enim, quid tibi in cœnam paratum sit. Fortè autem eo die amicus quidam ad me turdos & ficedulas aliquot miserat. Quarum cùm partem coqui, partem in crastinum servari vellem, præteriens ipse coquo meo, homini simplici ac credulo, apud quem valdè gratiosus est persuaserat, ut omnes coqueret : alioqui enim fore ut corrumperentur. Ita mihi denuo hospes habendus fuit non multi tantùm joci, sed multi etiam cibi. Ubi adsedimus, tam multa dixit, ut non cæteris tantùm domesticis, risu ilia distenderit ; sed postremo mihi etiam ipsi, qui tristitiam simulare cupiebã, risum invitissimo excusserit. Facile jam perspicere poterat, iram in se meam aut nullam

+ amicitiam apud me sam. + hospites respondit oblabi bo. nf.

nullam fuisse: & ita erat: aut planè depositum esse: sed expediebat homini, putare me adhuc iratum sibi. Redit tertio: & quærenti, quid hoc negotii esset: Volo, inquit, parere veteri sententiæ. Οὐ δεῖ συμποσίοις ἑταίρων φίλων ἀπέχεσθαι ἑταίρων δηρὸν. Tum tu igitur, inquam, unum me sodalem habes? Ego verò, inquit, te unicè magis unicum, neq; mihi unquam benè est, nisi cùm & esse & comesse unà tecum licet. An tibi igitur diu videris abfuisse, qui mecum & heri & nudius tertius cœnaveris? Quinimò, inquit, ita erga te affectus sum, ut Medus ille erga Cyrum ὃς ἔφη σὺν σοὶ μὲν δοκεῖν ἥδιστα πάντων ἀπολωλέναι. Abi, inquam, quò dignius es, cum istis tuis ineptiis, an te mihi pro ignoto verba dare postulas? Licuit dicere licuit objurgare: ipse tamen absterreri nunquam potuit, quin mecum cœnaret. Sublatis mensis. Quæso, inquam, amoto ludo, an hoc quotidie facturus es? Quotidie, inquit, donec te mihi planè placatum esse cognovero. At ego, inquam, potius juxjurandum in eam rem arbitratu tuo dabo. Quid quæris? Nisi irasci desiissem, adhuc opinor eum σύνδειπνον quotidianum haberem. Itaq; quidvis jam perpeti possum potius, quàm ut istis irascar, qui se tam benè vindicare nôrunt. Extra jocum, mi Gerarde, neque Titio quisquam vir melior est, neque officii plenior, neque cuius aut sermo aut convictus mihi dulcior sit: sed tamen interdum in me nimis sibi multa permittit. Nihil est in bibliotheca mea ita abstrusum ac recõditũ, ut ei nõ pateat: omnia inspicit, omnia perscrutatur. Fuit etiã tẽpus, cùm, quicquid visum erat,

etiam me inconsulto, auferebat, ac deinde referebat, sed id facere desiit, postquam me ægrè ferre animadvertit. Et tamen sic quoq; absente me, pervolutat omnia, omnes forulos excutit, neque si quid modo absolutum ac perpolitum est, sed rudia etiam, si collibuit, & inchoata describit. Quis neget hoc nimium? ait Hispanus Poëta: sed sit satis, saltem ne me traduceret: sed, quod semper pollicetur, nunquam præstat, nugas meas legeret solus. Nunc, quia ita me amat, ut mea omnia miretur, vos quoq; sibi esse huius erroris socios putat: & ea sæpe vobis, ut admiranda dilaudat, quæ vos, sat scio, contemneretis. Muto cætera. Hoc de græca tragœdia quale est? Neq; enim uni tibi, ut putas, sed aliis compluribus amicis dixit, vidisse se apud me tragœdiam quandam græcam admirabilem: cùm tamen ego latinè quidem duas tantùm adolescentulus tragœdias scripserim: de græca tragœdia scribenda nunquam, ne per somnium quidem cogitârim. Non ea vis animo. Et tamen vix credas, quot mihi tragœdias ficta illa tragœdia concitârit: multis qui ex eo illud audierunt, eius legendæ potestatem sibi fieri postulantibus, mecumq;, quod id non facerem, expostulantibus. Narrabo tibi rem totam, ut tu porrò narrare aliis possis. Sumpseram haud ita pridem otiosus in manus Senecæ tragœdias, easq; animi causa evolvebam: ac fortè incideram in principium Troadum. Ita enim vocandam puto, quæ vulgò dicitur Troas. Libuit tentare, num quid græcè simile possem: & subitò quodam impetu ita exorsus sum:

Ei tis

Εἴ τις τυράννῳ θυμὸν ἐξαρθεὶς τύχῃ
Φρένας γένηθε ταῦρος, ἢ κομπάζεται
Ἐς αἰὲὶ θεῖον ταυτὸν ἐλπίσας μυρεῖν,
Ἐμοίτε κἠ σοι δύσμορε ξεῖ' ἐμβλέπω.
Οὐ γὰρ πόθ' οἱ θεοὶ τὰ παρὰ τοῖς δυνατοῖς σεμνὰ
Σαφέστερον ἀπέδειξαν, ὡς πάντ' ἀδεῆ,
Παίδων τ' ἄθυρμα, κἠ καπνὸς σκιῆς ὄναρ,
Φεῦ, φεῦ τὸ κλεινὸν ἔρεισμα τῆς πρὶν ὀλβίας
Ἀσιάτιδος γῆς, θεῶν πεπομφότον χρεὼ,
Ὡς ὤχετο πολεμίῳ κατασκαφθὲν δορί,
Κεἰταί τι φέρδος οἷον ἐξ οἵου φανέν;

Vereor ne projicias epistolam, si perrexero. Et tamen blandiente progressu, persecutus sum totam illã Hecubæ ἔξοδον. In illud αὐτοσχεδίασμα absente me, inciderat Titius: & putans se reperisse quod pueri in fabâ, avidissimè legere exorsus, superveniente me, destitit. Vix à me digressus erat, cùm, ut in quemcunque amicorum inciderat, spargit, mirificum Poëtam esse me: visam à se tragœdiam græcam meam, δαιμόνιον τι ἔνημα: sed me non temerè quemlibet ad mea legenda admittere: Jovis, ut ait Horatius, auribus illas servare. Paucis post diebus, ut quisque amicorum mihi obvius factus erat, ita omnes orare, obsecrare & obtestari, uti sibi saltem inspiciendæ præclaræ illius tragœdiæ facerem copiam. Cùm ego, qui vix jam illorum versuum memineram, negarem ullam unquam à me scriptam esse tragœdiam græcam, idque etiam jurejurando confirmarem; neque tamen aut hoc persuadere possem, aut ab eis cognoscere, quis eius

fabulæ auctor fuisset, exstitit tandem unus, qui Titium nominaret. Audito hominis nomine, statim suspicatus sum, id quod res erat. Itaq; cum quibusdam eorum, iis præcipuè, quos videbam iniquiore animo ferre, quod parum amicè agere me secum putarent, eos versus ostendissem, feci, ut tragœdia in mimum verteretur. Video tibi quoq; illud mendaciolum aspersum. Tu verò, mi Gerarde, cave quidquam meorum esse arbitreris, quod ego non tecum libentissime communicem. Quod si tanti essem, ut quidquam tale scripsissem, non te modo auditorem, monitorem, censorem admitterem: sed alios operis inspectores, quàm possem, plurimos corrogarem. Neq; enim mihi cornea fibra est. Neq; quisquam unquam qui bonos versus aut fecisset, aut fecisse se putaret, occultos illos habere voluit. Ego de tua valetudine, de studiis tuis, quid in isto amœnissimo secessu legas, quid scribas, cognoscere discupio. Vale, & alumnum tuum præstantissimum adolescentem, Ascanium Columnam, quando me ab eo amari scribis, meo nomine saluta. ROMÆ, Prid. id. sextil. M. D. LXV.

M. ANTONIVS MVRETVS AUGUSTINO VALERIO EPISCOPO Veronensi S. P. D. LXXXIV.

SOleo libenter, quoties incidit occasio, de summis virtutibus tuis loqui, & cõmemorare in omni sermone

mone eum usum, qui mihi tecum olim Venetiis maximus ac suavissimus intercessit: cùm & ego te propter tantam doctrinæ copiam tantamq; morum sanctitatem, quantum in homine adolescente nunquam videram, colerem, atq; adsectarer: & tu mecum quæ tua est humanitas, tua omnia familiarissimè communicares. Ex eo igitur plerique, qui mecum versantur, in eam opinionem venerunt, ut putent me apud te aliquid posse: neq; ego: ut verum fatear, hanc ipsorum opinionem, aut refello, aut imminuo: confirmo potius, & quantum in me est, augeo: qui præclarè intelligam, quantopere mihi pulchrum atq; honorificum sit, arbitrari quam plurimos me à te tali viro amari: Sæpe igitur multi, qui à te obtinere aliquid vellent, egêre mecum, ut ad te sua caussa scriberem: quod tamen facere usq; adhuc nolui: quod, quæ ipsi volebant: non erant eiusmodi ut ea vel me à quoquam, vel à te quẽquam petere debere arbitrarer. Nunc cùm ea seres obtulerit, in qua non modò clarissimi viri mihiq; amicissimi commodum; sed quod multo pluris est, existimatio tua quodam modo agitur putavi me, nisi ad te, præsertim rogatus, scriberem, officio defuturum. Iam diu est cùm qui hîc Pauli Sadoleti Carpentoractensis Episcopi, viri præstantis, planeq; magno illo patruo digni, negotia gerunt, conqueruntur, non solui pensiones annuas; quarum alteram ipsi, alteram eius fratri patrueli Camillo ex Eccl siæ tuæ proventibus deberi adseverant. Iamq; hic tertius mensis est, cùm ad te super ea re, ipsorum rogatu, Hippolitus Cardinalis

Farrariensis, cuius ego, ut scis, in familia sum, literas dedi: Cùm hoc omnibus qui te norunt, novum atque incredibile videtur, dare te cuiquam caussam ullam de te querendi: tum te nihil dum ad Cardinalis literas respondisse, non alii tantùm, sed & ipse miratur. Hic ego, te Valeri optime ac sapientissime non orabo: des operam, ut Sadoleto quamprimùm satisfiat: novi non integritatem modò; sed & altitudinem animi tui longissimè remoti à sordibus, & pro honestate nihili cætera omnia facientis. Hoc tantum petam, ut cùm ei satisfaciendum curaveris, quod te celeriter facturum non dubito, & certò mihi persuadeo per te non stetisse quò minus suo tempore factum sit; hoc igitur cùm feceris, ut significes Cardinali literas ipsius tantum apud te quantum debent, ponderis habuisse. Vale. ROMÆ. Idibus Mart. M.D. LXVIII.

M. ANTONIVS MVRETVS JOANNI ANTONIO ODISCALCO suo S.

Hæc Epistola etiam in secundo volumine Epist. 40. verbotenus legitur.

LXXXV.

ETsi pro mutua inter nos voluntate tibi dubium esse non potest, quin tua omnia mihi chara ac jucunda sint; tamen mihi hoc affirmanti credas velim, literas tuas mihi etiam jucundiores fuisse, quàm tu existimare facilè possis. Nam & quod ego summo opere cupiebam, continebant τὰ ἀναγκαιότατα totam rationem itineris tui, & quæ istic vita, qui mores, qua

cùm

cùm cæterarum artium, tum juris docendi ratio, ita
disertè ac luculenter explicabant, ut Ulixis Homerici
narrationem Alcinoo, ac Phæacibus minus fuisse ju-
cundam putem. Admiscueras etiam eis plurimum
nativi illius leporis & αὐτοφυοῦς urbanitatis, qua præ-
sens sermones tuos condiebas, ut eas legens, tan-
tùm non spectare te ac tecum confabulari viderer.
Accessit ad voluptatem meam, quod patruus tuus V.
C. qui eas mihi usque in Quirinalem, ibi enim nunc
sumus, ipsemet attulit: ostendit mihi etiam eas, quas
ad alterum patruum scripseras; quibus eadem prope
quæ in meis, sed latinè expressa continebantur. Tum
demùm agnovi, quid te adduxisset, ut ad me populari
sermone scriberes. Neq; enim illud te movit, in quo
jocaris Phormionis exemplum: sed id potius fecisti,
φιλοτιμούμενος παρὰ ἡμῖν δὴ τῇ ἀκριβεστέρᾳ τοῖς ἰδιώμασιν ἐξετάσει. Quod artificium tuum cùm jam dete-
ctum esse videas: censeo posthac ad me quoque latinè
si videbitur, scribas. Quod tamen ea lege à te pe-
to, ut ne propterea minus crebras, aut minus longas
literas des. Quidvis enim malo, quam earum fru-
ctu carere. Gaudeo metum meum de iis qui istic
Jus civile profitentur vanum fuisse: & eos scripto-
res, quos ego tibi dilaudare consueveram, etiam istic
vigere. Felicius hac in parte tecum actum est,
quàm cum quibusdam aliis, qui, ut à me digressi sunt, inter illos σοφιστὰς ac ῥαψῳδοὺς splendidarum ineptiarum magistros consene-
scunt. Ego & tibi hoc nomine, ut debeo, gratulor, &
cupidè tempus illud exspecto, cùm ad nos non illa inani

δουλιτροφίαν, sed vera, ac solida Iurisprudentia instru-
ctissimus, revertaris. Nondum audiisse te puto, me hic
Pandectas publice interpretari, non sine aliqua mo-
lestia eorum, qui nollent configi oculos cornicibus, &
quæ juvenes didicere senes ridenda fateri. Equidem
dabo studio & operam, ut eripiam ex animis hominum
stultissimam illam opinionem, nihil in Iure, aut sapi-
enter cogitari posse, quod non ex illis lacunis hauria-
tur, aut erudite dici, quod non insulsè ineleganterq;
dicatur. Spero me his æstivis mensibus, quibus res pro-
ferentur, in Tiburnio secessu aliquid novi adolaturum.
Quidquid erit, si quid modò erit, sum enim mirificè
Callipides, ad te mittetur. Interea ama bis me, ut fa-
cis. Scis enim te id mutuò facere, & ad me, quàm se-
pissimè poteris, scribes. Vale Romæ. 3. Non. Ianuar.
M. D. LXVIII.

HIPPOLYTVS CARDINALIS FERRARIENSIS ARCHIEPISCOPUS Auscitanus A. Sorbino Theologo S.P.D.

LXXXVI.

Cum allatum esset ad nos de doctrina, & eruditi-
one tibi in rebus sacris à Deo concessa, deq; stu-
dio quod à te perpetuò adhibetur in vera & Catholi-
ca religione defendenda, atq; in pravis opinionibus re-
fellendis, ac labefactandis, libenter sane fecimus, ut
te potissimùm deligeremus, qui in Ecclesia nostra Au-
scitana Theologi locum ac gradum obtineres. Quod

munus, hortamur te, ut magno animo suscipias, utq; te cùm primùm poteris ad ipsam Auscorum civitatem conferas: ut animus noster de populo illo dies noctesq; sollicitus, aliqua ex parte in tua fide, ac diligentia cõquiescat. Multa nobis de te pollicemur, neq; diffidimus ea à te, Deo adiutore præstitum iri. Laborum ac vigiliarum quas in populo illo docendo collocabis, vera quidem & solida præmia ab ipso Deo, cui servies, exspectare te convenit: sed ne nobis quidem ullo aut loco aut tempore ornandi tui voluntas defutura est. Hoc re ipsa verum esse comperies. Vale ROMÆ. 6. Idus Mart. M.D.LXVIII.

PETRVS VICTORIVS LVDOVICO CASTANÆO RUPIPUZÆO Oratori Regis Christianissimi ad Gregorium P.M.S.

LXXXVII.

NOsti maximè illustris, & omni liberali doctrina erudite Orator, quod literis proditum fuit à M. Cicerone de Themistocle sapiente ac forti viro, respondisse eum, cùm quidam illi pollicitus esset, se artem ei memoriæ traditurum, oblivisci se malle discere. Quæ sanè vox egregia est, & summo hoc homine digna: rectèque fecisset, quicunque literis mandâsset, ne prudentiæ plena sententia vetustate interiret. Laudo igitur Ciceronem, qui in illustri loco ipsam collocavit. Nam Plutarchus, qui

qui vitam eius diligenter scripsit, in aliis pluribus ejus ἀποφθέγμασιν hanc non commemoravit: non tamen, cùm de ipsa sæpe mecum accuratè cogitârim, probo declarationem ipsius, qui putavit hoc à Themistocle dictum esse, quòd hærebant in memoria, quæcunque audierat aut viderat. Etsi namque hoc præstare potuit, ut novum illud artificium despiceret, cùm minimè ipso egeret; nihil tamen valebat ad acrem cupiditatem, sitimque explendam, quæ in animo Themistoclis vivebat, eiiciendi inde, quod tùm molestum erat, ac dolorem ingentem homini inurebat. Arbitror igitur (ut liberè, quod sentio, loquar) hoc summum illum virum significare voluisse, se valdè omni mortali obligatum futurum, qui rationem ipsi viamq; monstrâsset, qua penitus obliteraret cuncta, quæ non sine dolore in memoria insiderent; præsertim cùm feratur Themistocles in adolescentia culpas non parvas admisisse; famaq; ipsius eo tempore, quasi ad metas hæserit; quod postea ipse quoque confessus est: & simili ad rem declarandam satis accommodato, purgare conatus est. Et sanè existimo ego paucos mortales inveniri, qui vacui penitus fuerint ab omni labe ac vitio in lubrica illa ætate, & cui voluptas corporis libidoq; dominatur, quæ imperium suum durum atq; injustum, exercet aliquando etiam in graves & moderatos viros. Cùm igitur mecum multum jam de hoc quæsiverim, exspecto modò de ipso judicium tuum: teque judicem hujus quæstionis statuo, quem ob exquisitam honestarum artium scientiam, magnumque usum rerum spero fa-

cile

cilè cogniturum, an verum ego in hac re attigerim, sive contra lapsus opinione fuerim valdeq; peccârim, qui temerè à tanti viri auctoritate discedere, ausus sim. Vale. FLORENTIÆ. 6. Kalend. Ianuar. M. D. LXXVIII.

LVDOVICVS CASTANÆVS RVPIPOZÆVS P. VICTORIO S. P. D. LXXXVII.

FOntes quidem ipsi, quod dicitur, sitiunt, Victori, cùm tu, talis tantusque vir in hoc genere literarum de eo quod ipse statuisti, cujusquam tibi sententiam præterea exquirendam putas. Sed si maximè aliquem quærebas, qui de tuo judicio judicaret; ego tamen minimè omnium ad eam rem idoneus videri poteram: qui dicis tantùm caussa, ut vos loquimini, hæc studia attingo: multisque ac gravibus curis impeditus exceptas tantum & subcisivas horas eorum tractationi tribuo. Facilè itaque adducor, ut credam, te magis, ornandi mei causa fecisse, ut quæreres, quid mihi de tua Themistoclei dicti interpretatione videretur, quàm quod me valde bonum talium rerum existimatorem esse judicares. Sed tamen, si mihi quoque in vestro eruditorum hominum senatu sententiæ dictio est, adsentior tibi, Victori, atque ita adsentior, nihil ut putem super hac re verius aut sapientius cogitari posse. Nam ut tu rectè ratiocinaris somnia in animo Themistocli, quæcunque aut audierat, aut viderat hærebant; poterat quidem desilire

spicere artem illam memoriæ, ut sibi minus necessariam : sed nihil tamen erat causſæ, cur artem præterea requireret obliviscendi. At cùm gaudium, quod cupiebat è rebus suis præclarè gestis, contaminaretur recordatione eorum, quæ adolescens libidinosè ac nequiter fecerat, non immeritò cupiebat, eorum oblivisci posse, ut illo gaudio liquido sinceroq; frueretur. Habes igitur me adstipulatorem sententiæ tuæ : quod tu quanti facturus sis, nescio : ego ita demùm à te non omninò parui fieri putabo, si me, quod tuo commodo fiat, talibus epistolis sæpe provocaris. Interea, mi Victori, si quid vides, quod ego hîc aut tua, aut tuorum causſa facere possim, fac ut sciam : atque hoc profecto habeto, tua omnia majori etiam studio, quam mea semper à me procuratum iri. Vale. ROMÆ. 6. Non. Ianuar. M.D.LXXIX.

M. ANTONIVS MVRETVS S.D. HERCULI CIOFANO. LXXXIX.

ITa crebra sunt tua erga me officia, ut ego, quia nihil adhuc causſa tua ex animi mei sententia efficere potui, quoties de te cogito, id quod facio sæpissimè, totus pudore suffundar. Sed tanta his temporibus in urbe est περιστασις conditionum, quæ quidem ex usu tuo esse possint, ut nunquam fuisse majorem putem. Video hîc quotidie homines adolescentes optimo ingenio, amabilissimis moribus, mediocri utriusq; earum linguarum, quæ in precio sunt intelligentia; qui, cui us domi

domi vivant, reperire neminem possunt. Non defatiscar tamen experiri, eniti, laborare, πάντα λίθον, ut Græci dicunt κινεῖν, donec aliquam rationem reperero, qua nobis unà vivere liceat. Remitto ad te orationes, quæ mihi non magno usui fuerunt. Liber est neq; antiquus, neque descriptus ex ullo valdè antiquo, & negligentissimè scriptus. Ago tamen de eo tibi gratias sane maximas. Priscianum, qui mihi incredibiliter gratus fuit, spero, aut potius video multò meliorem fore. Si frater Vincentii Stampæ eos ad me libros, de quibus scribis mittere voluerit, obstringet me sibi memoria beneficii sempiterna. De Gellio, amabo te, da operam, ut noster sit. Sumptuum quidquid factum erit, statim tibi diligenter & cum fide curabitur. Sardum tuum, aut potius meum quoque salutabis meo nomine diligenter. Velim, dum istic es, si qua ratione potes, græci sermonis saltem prima elementa perdiscas. Ex labore non magno maenos fructus, si feceris, capies. Mi Ciofane optime & suavissime, etiam atq; etiam vale. 14. Kal. April. M. D. LXIX, Ex urbe. SARDVS ecquid literarum à me acceperit scire cupio.

MAN-

M. ANTONIVS MVRETVS M. Antonio Ciofano S. P. D.

XC.

Tu vero neq; mihi illiberalis visus es, neq; videri unquam potes: neq; tantum apud me pondus habere debuit abjectissimorum hominum cupiditas, ut quidquam de te suspicatus sim alienum à moribus & natura tua. Munus quidem tuum mihi suprà quam dici potest gratum atq; acceptum fuit: partem autem illius interceptam fuisse, antequam ad me pervenisset, ex tuis primùm literis intellexi. Factum quidem ab eis est sordidè & illiberaliter, qui si quid à me eo nomine amplius pecuniæ postulâssent, dedissem non invitus plús etiam, quàm quanti erat, quo ipsi me fraudârunt. Sed in eo res est, quod tibi gratias agam, ut sanè ex animo facio, valdeq; cupio occasionem mihi aliquam objici declarandæ voluntatis ergo te meæ. Ipsos propterea in judicium vocari nolim: objurgari modestè possunt: ut discant posthac, si possunt esse fideliores. Ad Herculem fratrem tuum quod attinet, ego in eo amando vix tibi cedo. Itaq; curabo & adjuvabo gratiâ, re potero, ipsius commoda; neq; committam: ut ullum à me munus hominis verè amici, aut ipse aut tu ullo aut loco aut tempore desiderare possitis. Interea peto à te, ut amare me pergas, & tibi planè persuadeas te à me fraternè amari. 10. Kalend. Maij. Romæ. M. D. LXX.

EI-

EIDEM.

XCI.

ET ad literas tuas, & adversus suavissimi adolescentis Iulii Roscii citiùs respondissem, si habuissem per quem arbitrarer literas meas ad vos perlatum iri. Cepi tandem hoc consilium, ut eas mitterem ad amicum quendam, qui mea caussa eas perferret in seminarium ad Roscium; à quo spero has quoque tibi redditum iri. Eadem caussa est, cur nihil rescribam ad literas Germani illius, quas tu à Manutio tibi datas ad me misisti. Scribit enim ad me Rostochio, cuius ego oppidi nomen nunquam antea audiverã, neq; ubi terrarum sit scio. Et alioqui, ut verum tibi fatear, nõ admodum libenter scribo ad homines ignotos: præsertim ortos in iis regionibus, ubi vulgò à recta & vera religione homines desciverunt: vereor enim ne imprudens ad aliquem τῶν μιαιτσωλίων literas dem: cum quibus ego nihil mihi esse aut familiaritatis aut commercii volo. Nec caussa quidem ulla est, cur hoc quidem tempore, præsertim occupatus, respondeam ad literas fratris tui, quibus mihi gratias agit, quod se Episcopo Sulmonensi commendandum curaverim. Ego semper, quæ ad te, quæq; ad illum pertinebunt, studiosissime procurabo: neq; in tanta nostra conjunctione ullus unquam gratiarum actioni futurus est locus. Manutium, si adhuc ibi est, meis verbis salutes velim; eique adfirmes, invaletudinem ipsius mihi summo dolori esse: qui si forte animum induceret huc ad nos

 secede-

secedere, & nobiscum transigere hos æstivos calores, fortasse perciperet eandem utilitatem è salubritate cœli Tiburtini, quam multi alii capiunt: à me certè exspectare posset ea omnia officia, quæ vetustissimæ inter nos amicitiæ & summis ipsius erga me beneficiis debentur. Salutabis etiam meo nomine optimum & eruditissimum hominem FVLVIVM Cardulum; eiq; quod adductus mea commendatione rationibus tuis consulere conetur, ex me quoq; gratias ages. Plura scriberem; sed avocor. Vale 11. Kalend. Sextil. M. D. LXX.

EIDEM.

XCII.

GRatulare mihi, Cæsar valet: cuius invaletudo tantum mihi mœrorem attulerat, quantum ego ipse nunquam credidissem. Mihi crede, non putabam eum tantoperè à me amari. Fuit ille quidem ita propinquus, ut Poëtæ loquuntur, ἄδε πύλας, ut jam jamq; efflaturus animum videretur. Aliter Deo visum est, qui maluit eo conservato, quàm sublato, sibi gratias agi. Potero nunc, antea enim non poteram, ad fratrẽ tuum scribere, eiq; ut decet, gratias agere, & de vasis quatuor quæ ad me misit sanè elegantibus & operis
» eximii, & de literis amantissimè scriptis. Interea tu
» cùm ad eum scribes, significabis ei, munus mihi fuis-
» se gratissimum; purgabisq; me, quod ad ipsum non
» statim scripserim. Nihil tunc aliud quàm de Cæsare cogitabam. Nunc quoq; exspectandum est, dum hoc recens gaudium conquieverit. Ita sumus homines: &

dolore

dolore & gaudio æquè impedimur. Vale TIBVRE. 5. Idus Sept. M. D. LXX.

M. ANTONIVS MVRETVS IVLIO ROSCIO S.

XCIII.

EX elegiis, quas à te nuper accepi: dici non potest, quantum ceperim voluptatis: non tantum quia me laudabant, etsi ἀδέκαστα ἐπαινῶ, sed quia ed elegantissimè venustissimèque faciebant. Omninò multa mihi Hercules noster de ingenio tuo, déque præstantia in pangendis versibus dixerat: Sed tu eam opinionem, quam ego ex ipsius sermonibus de te conceperam, longè multumque superâsti. Verè hoc tibi affirmo; nullum à multis jam annis vidi æqualem tuum, quem tecum in hoc genere conferendum putem: neque dubito, si perrexeris, quin possis aliquando inter optimos hujus seculi Poëtas censeri, insignemque tuo capiti petere inde coronam, Unde prius paucis velârint tempora Musæ. Sin te, quod fore auguror, gravius aliquod studium, progrediente ætate, ab amœnitate poëmatum abduxerit; tamen te, mi ROSCI optime & suavissime, hortor, ne Musas unquam planè deseras, néve unquam ita te addicas cuiquam illarum severioris, ut ita dicam, supercilii artium ut non tibi identidem ex Musarum cantibus si nihil aliud, petendam certè graviorum cogitationum alievationem putes. Neq; te hoc facturum esse diffido. Μῶσαι γὰρ ὅστις ἰδὼν ὅμμασι παῖδας,

Αχεὶ βίν πολίυς ἐκ ἀπέθαντο φίλυς. *A me verò ut postac omnia officia exspectes, quae à homine amicissimo exspectari possunt, te etiam atq; etiam oro. Cùm istuc rediero, erit mihi gratissimum, si interdum ad me, quod modò permissu eorum fiat, apud quos educâris, ventites: meq; ac rebus omnibus meis æquè libere utaris ac tuis. Spero autem consuetudinem sermonesq; nostros ad istam ipsam laudem, ad quam adspiras, consequendam tibi non prorsus inutiles fore. Vale mi Roscì, tibiq; persuade, te à me planè in filii & quidem ὀλιγοστῷ loco amari. II. Kalend. Sextil. M. D. LXX. Literas quas cum his accipies, peto ut Ciofano, cùm primùm poteris, reddendas cures.*

EIDEM.

XCIV.

IN hac commutatione consilii de instituenda ratione studiorum tui, nihil me magis sollicitum habet, quàm quod nescio, quos progressus in Græcis literis feceris. Quarum sine mediocri saltem cognitione cave putes ad ullam doctrinæ præstantiam perveniri. Eis si ita imbutus es, ut possis Aristotelem suapte linguâ loquentem intelligere, eiusq; etiam interpretes Græcos, sine cuiusquam interpretatione latina consulere, non invitus partiar te ad studia Philosophiæ gradum facere; etsi, ut verum fatear, Demosthenì, Thucydidi, Herodoto, Xenophonti, & huius generis scriptoribus, prætereaq; Poëtis Græcis annum adhuc unum dari maluissem. Volo equidem, quicquid ages, prosperè tibi

tibi ac feliciter evenire: sed tamen non committam, ut si absque illo instrumento te ad Philosophiam contuleris, dicere unquam possis; Muretum tibi eius consilii auctorem fuisse. Neque hæc à me ita disputantur, quasi tibi in iis literis, quæ humaniores dicuntur, consenescendum arbitrer. Longè semper ab ea sententia meus abfuit animus: sed tu & ea ætate es, ut properare non debeas: & eo ingenio, ut, si firma ac solida doctrinæ fundamenta jeceris, ad summa omnia facilè perventurus esse videaris. Nam quod ais, sine eloquentia multos ad summam amplitudinem pervenisse, sine sapientia neminem: verius dixisses & sine sapientia, & sine eloquentia, & sine ullo vero bono multos ea, quæ vulgò habentur amplissima, & olim consecutos esse, & quotidie consequi. De quibus constitueram hoc loco pluribus disserere: sed avocor. Tres enim hîc habemus Cardinales, Augustanum, Varmiensem, Alciatum: qui mihi omne propè tempus eripiunt. Mi Roscî, ignosce occupationibus meis & vale. TIBVRE. 3. Non. Octobr. M.D.LXX.

M. ANTONIVS MVRETVS HERCULI CIOFANO SULMONENSI. S.P.D.

XCV.

ACcepi volumen orationum: de quo amo te, ut debeo, plurimùm, eò simul atq; usus ero, remittam. De-

Demere partem de solido die apud Horatium sine ulla dubitatione est, meridiari, id est ipso meridie horam unam aut alteram dormire: quod qui faciunt, diem quodammodo frangunt: ac dividunt; neque eum unum ac solidum & ὁλόκληρον esse patiuntur. Itaq; is, qui demit partem de solido die, dicitur id facere, nunc viridi membra sub arbuto stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ. Et hoc ipsum Varro alicubi vocat, diem dividere. De verbo deducendi, cur eo vim ullam significare putes, non sanè video. Cleopatra quidem neq; volens, neq; invita in triumpho ducta est. At non est tamen dubium neminem volentem ἑκόντα ducere. Nemo enim volens vincitur aut pœnas dat ei adversus quem bellum gessit. Versus tui non insuaves sunt: & erit mihi gratum, si te, cùm licebit in hoc quoq; genere exerceas. Vale. ROMÆ 4. Idus Mart. M. D. LXXI.

P. GILBERTVS MALLOCIVS
M. ANTONIO MURETO
V. C. S. D.

XCVI.

Dupliciter sum delectatus tuis literis, & quod me ad amicitiã applicare, propiusq; adjungere cupientem, tam humaniter tamq; bene volè exceperis: & quod Francisci Flebardi Episcopi nostri caussam ita amplexus: ut in ea juvanda, & consilio tuo promovenda, non mediocrem naturæ tuæ bonitatem, & humanitatem expresseris. Quæ quidẽ de re, non solùm apud me,

me, qui tibi multa debere cupio: sed apud illum quoq; suos q; omneis, summam, mirificamq; gratiam iniisti. Ille igitur te admonente & hortante, maximè sacris initiatus, in numerosq; relatus est, ut quæ antea rebus absolutè perficiundis difficultas opponebatur: nunc penitus sublata, ereptaq; videatur. Adeò ut ex postrema literarum tuarum parte, in spem certam venerimus: totam negotii istius explicandi rationem perfacilem jam fore atq; expeditam. Quod totum prudentissimis tuis consiliis, amantissimisq; admonitionibus acceptum ferre volumus. Episcopum itaq; nostrum rursus tibi commendare, necesse non habeo: commendo tamen; hoc enim ad officium meum adeò pertinere arbitror, ut nunquam nisi re perfecta, & absoluta, de illa, & laborare, & sollicitus esse desinere neque possim, neque debeam. Te verò vehementer oramus, obtestamurque, ut quemadmodum præclarè initio posuisti, ita in eadem voluntate perseveres. Quod de te, & speramus, & sanè confidimus. De turbulento rerum nostrarum statu, nolo quicquam ad te scribere. Neq; enim id ego præstare possum sine mœrore, neq; tu sine summo dolorus sensu intelligere posses. Satius est igitur res nostras silentio involuere & obtegere: quæ aliud nihil sunt, quam bella infanda, neces, incendia, furta, rapinæ, ut uno versu complectar omnia. Nolo enim tibi esse molestus in recensendis particulatim nostris miseriis. Tametsi non dubitem, te patriæ quoq; calamitatibus etiam longè dissitum, non mediocriter affici, & commoveri. Neq; enim solus

Vlysses amans est Patriæ. Ad rem nunc redeo: Ego certè, Murete, vir clarissime, nisi pro illo tuo tam propenso, ad me amandũ complectendumq́ studio, proq́ illa, quam de me habes, opinione, tibi perpetuò devinctus, obstrictusq́ permaneam: ingratus planè sim, meiq́ dissimillimus. Quod nulla neq́ dies, nec anni efficere poterunt consequentes. Extremum illud erit, ut Drachium ad nos, re peracta, lætum contentumq́ quàm primùm dimittas. Vale GRATIANOPOLI *12. Kalend. Octobr. M. D. LXX.*

M. ANTONIVS MVRETVS S.D. SINIBALDO ANTONIO SUO.

XCVII.

IN summis occupationibus meis, Sinibalde Antoni ne, quæ me respirare vix sinunt, legi tamen Dialogum tuum, & voluptatem longè maximam ex eius lectione percepi. Delectárunt me argumenta, & ingeniosè excogitata, & densa, & vivo (ut ita dicam) ac spiranti orationis genere expressa. Itaque ut Pythagoram aiunt è modulo pedis, quanta corporis mole fuisset Hercules, judicasse: sic & ego ex hoc brevi commentario facilè de tui ingenii magnitudine, ac præstantia judicavi. Amor autem erga me tuus, quem planè singularem omni ex parte declaras, noli quærere, quantopere mihi gratus ac jucundus fuerit. Neque ullum unquam mihi majorem fructum vigiliarum, ac laborum meorum proposui, quam ut à tuis

à tui similibus amarer. Quare etsi non agnosco eas laudes, quas tu αὐτῷ τῷ ξυλάκῳ, ut aiunt, in me congeris: summè tamen amo istum amorem, qui tibi homini tam acuto, ac perspicaci tenebras offuderit; eaq; de me sentire, ac prædicare coëgerit, quæ ne tu quidem quanquam disertus es, alii cuiquam facilè persuadere posses. Dialogum edas, censeo: nolo enim ita modestus videri, ut gloriæ tuæ mea modestia obstet. Auctor enim tibi sum, ut alta meditere, ac procudas: neq; reformides obtrectatorum voculas: quæ in proscenium prodeunti nonnihil fortassis molestæ futuræ sunt: ubi tibi semel ipse audientiam feceris, conticescent. Vale Romæ, Idibus Decemb. M. D. LXXVIII.

M. ANTONIVS MVRETVS FRANCISCO BENTIO, E SOcietate JESU S. D.

XCVIII.

Quod non difficilè modo factu, sed prope incredibile suapte sponte videri potest, id mihi tecum usu venit, Francisce Benti: ut inter homines summa inter se caritate devinctos, intercedat tamen propè quotidiana contentio: dum & tu, & alienorum officiorum benignissimus æstimator, summa quædam mihi debere te prædicas: & ego contra tantùm mihi à te tributum esse profiteor, ut omnis mihi spes planè præcisa sit tecum unquam paria faciendi. Nam si rationes putandæ, & ad calculum,

res vocanda sit: quid à te mihi aliud ferri potest, quàm quod multos ab hinc annos efflorescentem ingenii tui vim admiratus, ducem me tibi ad eas artes præbui, in quibus postea Deiope, & industria tua fretus, eos progressus fecisti, ut in te jam pridem & eximia dicendi vis, & minimè vulgaris eruditio, uno omnium ore celebretur? Cuius qualiscunq; officii erga te mei abunde mihi magnam gratiam percipere videor, cùm qui ad te audiendum confluunt, ad Mureti auditorem atq; alumnum ire se prædicant, eaq; in te viva ac spirantia agnoscunt, quorum in me olim umbra fortassis aliqua ac simulachrum fuit. At ego nisi prorsus ingratum haberi me velim, quæ quantaq; tibi à me deberi agnoscam, necesse est. Tu me primus; tanto adolescentior tanto seniorem, humana contemnere, & pleno gradu ad divina properare docuisti: cùm in ipso vernantis ætatis flore, posthabitis voluptatibus, ambitione deposita, rejectis aliis omnibus curis, in istam te sanctissimam & orbi terrarum fructuosissimam hominum cultui divino mancipatorum sodalitatem contulisti: cùm in suscepto semel consilio tam constanter perstitisti: neq; cessisti illorum vocibus, qui cùm in collegiis vestris educati essent, & illic didicissent, istuc nescio quid quod jactant literarum, à quo ipsi ordine flagitiosè defeciverant, in eum ne nomen
» dares absterrere te conabantur. In quem tu semel ad-
» missus, ita vitam instituisti, ut facilè declaraveris,
» non illum cœcum quendam, ut ipsi mentiebantur, ac
» temerarium impetum, sed divini numinis instinctum

atq;

atq; afflatum fuisse: &, ut adea redeam, quæ ad me ut propriè pertinent, nunquam ex illo consiliis præceptis, cohortationibus juvare me, & faces ac stimulos animo meo ad pietatem subdere destitisti. Meritò itaq; ita te amo, & ut patrem filius, & ut filium pater: his enim nos, quæ maxima sunt, caritatis vinculis bonitas divina copulavit. Quare quod & in cæteris rebus, quoad potero, sedulo faciam, libenter his paucis diebus obsecutus sum studio tuo, & qui pridem conatus essem secundum Rethoricorum Aristotelis librum latinè reddere, quanquam hoc tempore & multis, ut nôsti, occupationibus obrutus, & molesto ac difficili pedum morbo octavum jam mensem impeditus in tuam tamen gratiam, etiam primùm addidi. Tertium, ut sæpè ex me audisti, latinè reddi posse vix puto. Sed si quid unquã mihi vacui temporis dabitur, quod optare magis quàm sperare possum, non ego quidem illum interpretabor: sed Aristotelea præcepta, quæ eo continentur, meo more tractare, & latinis exemplis illustrare conabor. In his autem quos nunc ad te mitto, quosq; amoris erga te mei monumentum esse cupio, facilè prospicio fore, ut multi multa mirentur, partim longè aliter à me accepta, quam ab aliis, partim etiam à vulgata Græcorum librorum editione discrepantia. Qui hoc velim cogitent, neq; caussam mihi ullam fuisse suscipiendi novi laboris, si nulla in re dissensissem à cæteris: & ipsos inter se Græcos libros ita variare, ut à multis discedere necesse sit, quicunque unum sequi velit. Spero autem me brevi breves quasdam notas

notas in hos libros editurum, ex quibus quid in eis aut præstiterim, aut præstare voluerim, curq; locis aliquot, non ab aliis modò, sed ab ipso quoq; eruditorum Coryphæo Petro victorio, cui debetur, quidquid fructus hac ætate ex horum librorum lectione percipitur, dissentire ausus sim, commodius intelligatur. ROMÆ, Idib. Febr. M.D.LXXXV.

M. ANTONIVS MVRETVS IACOBO PONTANO, E Societate IESU S. D.

XCIX.

QUod ad te scribendi principium capiam, nescio, ita me pudet tam diu in ære tuo fuisse, & humanissimè scriptis à te literis nihil adhuc respondisse. Sed magna mihi spes est in facilitate & comitate tua, daturum te non gravatè veniam occupationibus meis, quæ me ita undiq; districtum tenent, ut erga plerosq; amicos parum officiosum videri cogant. Magnam etiam meæ partem mihi demit Franciscus Bencius, qui mihi omni adseveratione confirmat, ita te cupidum esse literarum mearum, ut quidquid à me mittetur, in solutum accepturus sis. Quod ego te, ut faciat, Pontane optime, vehementer oro: idq; ea lege, ut me posthac, jam enim, ut spero, liberior ac solutior futurus sum, copiosius tibi satisfacturum esse pollicear. Interea, quoniam δῶρα Deos placant. gratiam cum illo ait, δίδου πείθει, mitto ad te, quo te facilius placem, λογάριον quoddam meum, &

versus

versus nescio quos illustratos notis cuiusdam familiaris mei. Hoc munusculum qualecunque est, peto à te ut boni consulas, meq; quanquam immerentem amare pergas. Vale ROMÆ. Idibus Iulii. M. D. LXXXIV.

EIDEM. C.

CUr ego tam rarus, & tam brevis in scribendo sim, puto te ex Benci nostri literis cognovisse: cui cùm promisissem, heri me hac nocte aliquid ad te scripturum: ita postea sum totam propè noctem acerbissimo sinistri pedis dolore vexatus, ut neque de legendo, neque de scribendo cogitare potuerim. Nunc albescente cœlo, cùm paulùm se remiserit dolor, cuperem quidem scribere; sed quod scribam hoc quidem tempore nihil habeo, nisi te à me mirabiliter amari, quod tibi etiam tacente me, dubium non esse arbitror. Utinam quidem esset aliquid, in quo id tibi re ac factis testari possem: sed quando aliter non licet, curabo, ubi quid scriptorum meorum edetur, ut ad te quamprimùm perferatur. Et si hoc ipsum non video, cur aut tibi, aut cuiquam valdè gratum esse debeat: quid enim tale in scriptis meis inest, ut non satius sit, vel nihil agere, quàm eis legendis operam perdere? Obsequamur igitur studio vestro: ne dum arrogantiæ crimen effugere conor, hoc ipso in id incidam, si judicium meum judicio vestro anteponere voluero. Quid jam? quid scribam aliud? etiam ut & tu, & quos

quos istic habere diceris tui erga me amoris socios, hunc miserum senem precibus vestris Deo commendetis, atq; ab eo petatis, ut qui tot annis in vitiorum sordibus vixi, beneficio ipsius, hac saltem extrema ætate aliquid efficere & edolare possim, quod & ad gloriam ipsius, & posterorum utilitatem pertineat. Vale, Pontane mi, vale & me ama ROMÆ,

16. Kal. M.D.LXXXIV.

finito mense januario
Laus Deo absoluta.

M.AN.

M. ANTONII MURETI PRESBYTERI, I.C. ET CIVIS ROMANI, EPISTOLARVM ET PRÆFATIONVM LIBER SECUNDUS, qui recens nunc adjungitur.

M. ANTONIVS MVRETVS S.D. IUSTO LIPSIO SUO.

EPISTOLA PRIMA.

NIHIL est aut te amabilius, aut literis tuis dulcius, ad quas ego nudius tertius acceptas statim respondissem, si aut fuisset plus otii, aut statim responderi tua interfuisset. Cùm & esſem paulò, quam soleo, occupatior, & in unius diei mora nihil esse incommodi viderem, indulsi naturæ meæ, qui perspectam haberem facilitatem tuæ. Desiderio tibi esse mutuam consuetudinem nostram, si vis me apertè ac simpliciter loqui, ut mea consuetudo fert, & ut nostra summa conjunctio postulat, gaudeo: quodque ipsi mihi admirabile videtur, ex molestia

stia ipsa tua voluptatem capio. Nam neq; tu, nisi me valde amares, tam iniquo animo ferres absentiam meam, & mihi nihil jucundius est, quam à te valde amari. Nunc & dicito verum esse illud Euripideum * εἰς κοινὸν ἀλγεῖν: cùm dñorum qui certè inter se amicissimi sunt, videas, unii alterius ægritudinem esse jucundam. Cave tamen putes, minus à me sermones tuos requiri quam à tuis. Hic enim etsi affluimus omnibus deliciis planè, Pharia tamen vita vivimus, ubi

ἐυφροσύνη δὲ πάντα δίκαια σύμμορα πάντα,

Omnia conferantur, perpendam animis, & cantorem,
Hom: Odyss. Δαιτυμόνων δ' οὐκ ἄμμα δίκαιον ἀκούειν ὅππως ἀοιδὸς
Sedente formosa, pulcra autem inspectatur mensa,
Ἱμερόεις ἐστίν, ὅτε δὴ πάντῃσι τέρπεται
pace et carnibus
Σίτῳ καὶ κρέασιν. nemo tamen est qui iisdem, quibus nos, studiis delectetur: ut jam verear, cùm istuc rediero, tam diu à Musis & à literis omnibus peregrinatus, ne quis vestrum, quibus adsiduè in libris versari licet, mihi illud occinat. Βαρβάρῳ πρὸς βάρβαρον. ὦ ὁ βαρβάρου. At tu mi Lipsi, si me audis hominem si non valde prudentem, certè quidem insigniter amantem tui, obdura, & noli tam citò de Roma relinquenda cogitare. Mihi crede, Iste tibi quandam lentitiã feret labos. Conventum esse à te Manutiũ meum gaudeo, & talem repertum, qualẽ ego tibi eum sæpe descripseram. Hoc tibi liquidò confirmare possum, eum virum bonum esse, φιλόφιλον & studiosissimum benefaciendi quamplurimis. Quare auctor tibi sum, ut te, quantum potes, insinues in illius consuetudinem. Cogitabam de eodem oleo & opera ad Plautum nostrũ scribere: sed aliò vocor. Interea salutabis

tabis eum nomine, &, ut cœpisti, reddes quotidie tua consuetudine doctiorem. Cras ad eum scribam. Bene vale mi suavissime Lipsi. TIBVRE. 12. Kalend. Septemb. M. D. LXIX.

M. ANTONIVS MVRETVS S.D. JUSTO LIPSIO SUO.

II.

NEque enim puto aut malevolorum rumusculos, aut tenues quasdam & obscuras suspiciones tantum potuisse: ut meus esse desieris: cùm ego planè sim tuus. Quod inter amantes solet, Zelotypia me quædam incesserat, quòd alios quosdam, de quibus inter nos ridere interdum & jocari solebamus, & qui certè te, cùm hîc esses, non æquo mecum amabant: si verum audire vis, ne nunc quidem amant, qui ex eis superstites sunt: eos igitur subiniquo animo ferebam à te & sæpius & honorificentius quàm me, pro quo illos contemnere solebas, nominari, sed missa hæc faciamus. Electorum tuorum γῦῶα mirificè mihi placuit. Cætera expecto, & cùm Saturnalia, tum multò etiam magis de vita ac scriptis Senecæ: quæ ut accepero, in eodem te genere, ut potero, remunerabor. Illis quæ ais in undecimo meo aliorsum ab iniquis capi posse, medêre, ut vis. Sin fortasse integrum non est, omitte sanè istam curam. Ego ante tres aut summum quatuor menses efficiam, ne quis aut de voluntate mea erga te, aut de judicio dubitare possit. Ni fe-

» cero, tum tu sanè de me, ut de homine parum bonæ fidei, conqueritor. Amemus inter nos, mi Lipsi, eò constantius, ut urantur ac ringantur isti, qui amicos esse nos nollent. Quæso de tuarum omnium rerum statu, fac me, cùm primùm poteris, certiorem. Vale mi Lipsi: cuius ego nunc suavissimum os intueri mihi videor. 6. Idus Februar. ROMÆ. Literas tuas Kalendis ipsis Februarii accepi: ne me tardiorem fuisse in » rescribendo putes, neque antea fuit tabellariorum » copia.

M. ANTONIO MVRETO S. D. JUSTUS LIPSIUS.

III.

CAussa mihi scribendi nata ex tuis ad Plantinum literis: quas cum gaudio vidi, cum motu animi legi. Vel in manu tua conspectâ lætabar: quanto magis in hoc animo, & tam insigni testimonio amoris? quem si à quoquam mortalium, à te certè volo. Ita a» dolescens judicavi, ita nunc, consensum quendam esse » conspirantis judicii nostri & naturæ, qui ad conjun» ctionem, quæso te, valeat; non ad æmulationem, aut, » quod pudet me dicere, simultatem. Et fuêre tamen improbi homines, qui id sperarent: à quibus alia quædã ad me delata olim, non nego: sed vana, falsa, ut nunc video; & quibus caput, homines non professi solùm, sed utrique nostrûm infesti. Ea; per communes Deos, deasq; obliteremus mi Amice: & beneficiis inter nos certemus, non querelis. Electorum librum jam nunc vul-

vulgavi: paro Saturnalium sermonum, & de vita ac scriptis Annei Senecæ, quem nec invitus ad te miserim, quasi vadem amicitiæ coëuntis & senescentis. Esti quid in eâ ægrum? nec aliud peccatum utring, quàm cessatione, & amicitiæ, ut sic dicam, in usu. Quod ipsum emendemus. Viximus amicissimè unâ, vivamus porrò, & moriamur. En ego ille, cuius ingenium & os coram probasti: nec amorem absentis requires profectò aut fidem. Te ut eundem sperem, faciunt pauncula, sed impressa & signata epistolæ tuæ verba: quæ ruminor identidem & examino, ut solent amantes. Vale LVGDVNI in Batavis, ad magnum & sine termini mare. 3. Kalend. Decemb. M. D. LXXI.

M. ANTONIVS MVRETVS HIERON. MERCURIALI S. P. D.

IV.

CUm tuæ literæ ad urbem allatæ sunt, Tibur jam omnes, ut nos quotannis facere solere scis, secesseramus, eò illas accepi biduo, aut triduo serius: Tibure autem neq; Hippocratem habebam, neq; Gellium, expectandum denuò fuit, dum Roma arcesserentur. Allatæ; ecce tibi aliud incommodum, corripit me febricula, non illa quidem, ut eventus postea docuit periculosa: sed quæ tamen animũ nonnullo metu suspensũ ab omni scribẽdi cogitatione avocaret. Hæc ideo, ne mireris me ad tuas tardius respõdere. Locus est ex li-

bello τοῦ πρόφης. οὐκ ἔστι, γίνεται ἢ ἐν τούτοις τῷ πλέω τῷ ἐλάσσω. Hunc ego addebam illa ex Gellio: aut potius pro illis, οὐκ ἔστι τῷ ἔστι, supponebam illa, ἔστι δὲ τῷ οὐκ ἔστιν, καὶ τάμνω καὶ πάστις. Quod si tibi quoq; ita videtur, non dubito quin verum sit; sin tu secus judicas, nunquam mihi dubium erit, quin tua sententia verior sit. Semper enim non in his modò rebus, quarum tua propria possessio est, sed in omni literarum genere, judicium tuum libentissimè anteponam meo. Vale, meq; ama, & certò tibi persuade, te à me mirificè, & amari, & coli. TIBVRE. Kalend. Sept. M. D. LXX.

M. ANTONIVS MVRETVS HUB. GIPHANIO S. D.

V.

Literæ tuæ, supra quàm dici potest, mihi gratæ fuerunt: cùm enim jam pridem te valdè amarem, mirificè cupiebam animum illum meum tibi notum esse, non dubitans, fore, ut vicissim abs te amarer. Sed ad eas idcirco serius opinione tua respondeo; primum quia eas quoq; serò admodum accepi, hoc est, Kalendis Ianuariis ipsis: in quo mihi visum est etiam ineesse aliquod lætum ac prosperum omen, ut spem vel ex eo aliquam conceperim totum hunc annum σὺν θεῷ δι' εὐτυχίας, mihi faustum ac felicem fore. Deinde tentare volebam, numquid, antequam scriberem de Gellio, quale tu cupis, efficere ac præstare possem, sed nihil adhuc repertum est, quod quidem sit magni pretii.

Spes

Spes adhuc una reliqua est, in bibliotheca Cardinalium Farnesii & Sforzæ, quas nondum excussi : id quod, noli dubitare, quin diligenter facturus sim, cùm primùm per occupationes meas licuerit ; quæ sanè & multæ sunt, & eo molestiores, quòd alienæ sunt ab omni genere literarũ. Sed multa ferenda sunt iis omnibus, qui coguntur alienâ, ut ille ait, vivere quadrâ. Tu verò, mi Giphani, qui & ingenio excellis & doctrinæ abundas, & ea es ætate, quæ sit labori ferendo, perge, ut facis, aliquid assiduè elaborare, quod & tibi gloriæ sit, & nobis ac posteris usui. Nam de Lambino quidẽ nihil video caussæ, cur eius obtrectatio deterrere te aut abducere à studio debeat. Ille in te fuit, qui in alios solet. Et, ita mihi omnia quæ cupio eveniant, ut ego valde mirabar, si tibi eum impunè laudare licuisset. Ita enim homo est : eis solis primum invidet, quibus plurimum debet. Quomodo me acceperit, nosti : quantum autem mihi debeat, & ipse & alii plurimi norunt. Tu verò pro uno frigido obtrectatore, habiturus es innumerabiles, qui te ac labores tuos laudibus in cœlum ferent. Sed hæc alias. Peto à te ut me ames : neque de mea erga te propensissima voluntate dubites. Plura scriberem : sed urget hic amicus meus, vir bonus, & literatus, quo nomine eum à te quoque humaniter excipi volo. Is cùm statim discessurus esset, vix ad hæc ipsa scribenda satis mihi temporis dedit. Quare ignosces etiam si quid fortè minus accuratè scriptum erit. Quæso te, scribit o aliquid ad Berzevicæum nostrum, & significato ei, multum

ad veterem meam erga eam benevolentiã, quod conciliator fuerit amicitiæ nostræ. Item illud, me paucis diebus ad eius literas, quas unà cum tuis accepi, copiosissimè responsurum; Saluta etiam mihi diligenter clarissimum virum Paulum Foxium, Oratorem regium: qui quando tanti me esse duxit, ut me ad scribendum, literis suis excitandum putaverit, mirari non debebit, si quando ego honorifica ipsius appellatione scriptum aliquod meum exornare non verebor. Mi optime & eruditissime Giphani, etiam atq; etiam vale. ROMÆ. Prid. Idus Ianuar. M. D. LXIX.

EIDEM.

VI.

PUdet me tam sero ad literas tuas rescribere: sed velim, qua humanitate es, ignoscas occupationibus meis, non magnis illis quidem, sed multis tamen & molestis, quæque me interdum cogant magno cum meo dolore minus erga amicos officiosum esse, quàm vellem. Impetravi tandem librum à Fulvio, qui οὐδὲν ἧττον minimè respondit expectationi meæ. Nam neq; totus est ille noctium Atticarum scriptor, neq; quod est, valde diligenter scriptum est. Contuli quicquid erat accuratissimè ipsemet cum meo Gryphiano anni M. D. XLVI. Quod aliter quàm vulgò reperi, id omne tibi hic cum fide repræsentabo. Primum igitur moneo, librum Fulvii σύμμικτα quædam esse ex Gellio sive Agellio & ex Valerio Maximo, ita ut alternus singulis Agellii capitibus singula Valerii subjuncta

juncta sint. Idq; nullo certo ordine. Græca nusquam comparent: nisi paucis admodum locis: idq; ubi una tantùm aut altera vox Græcè scripta erat. Iam tu facile potes conjicere librum non valde magni pretii esse. Antiquus tamen videtur. Ac ne te diutius suspensum animi teneam: quid in eo à vulgatis editionibus discrepet, accipe, Scriptoris nomen ita in eo libro ferè notatur, AGEL. semel tantùm omnibus literis AGELLIVS, sed scis in Pandectis PANTONIVM esse pro P. Antonio, CAFRANIAM pro C. Afrania, ut quidem nonnulli putant. Sic MAVRELIVM aut MAVRILIVM dixerunt, qui erat M. Aurelius. Sed hoc tu videris. Iam enim clamat Lambinus indoctè atq; inscienter facere, qui hunc scriptorem Agellium vocent: itaq; verendum est, ne det aliquam pugnam denuo. Ego quidem Priscianum veterem habeo, in quo aperte & constanter vocatur Agellius. Habeo & alia quædam argumenta non infirma, quibus adducor, ut existimem rectius Agellium vocari, quam A. Gellium. ἀλλὰ ταῦτα ἐν ἄλλοις. cap. 17. libri primi, irarumq; & molestiarum. lib. 5. rerumq; & molestiarum, eodem Satyra, Satura, ita etiam alibi sæpe, lepido quidem scr. lepide quidem, cap. 19. desiperet, risit, derisit, apposuit, apponit, deussit, deurit, reliquos sex an eodem, &c. illud, an, abest à libro vetere, cap. 20. Græca omnia latinis literis notata sunt, præter illa in extremo μῦν & ἀπλατές, in eodem meta triangulæ, & in fine inlætabile, qualia posthac non notabo, ut neque illa adferre,

adponere, non ut vulgo, afferre, apponere, & similia, quæ vix unquam aliter scripta in libris veteribus reperias. c. 23. scriptaq; est à M. Catone, venustate atq; luce. cùm hæc dictavi. Tum cum in senatu, percuncta est filium. Ita semper hoc verbum scribit: non ut vulgo quidam percontari. Tum puer matre urgente, utrum videretur utilius. Quid sibi postulatio isthæc vellet, ne introeant præter ille unus Papirius, [hoc verum puto.] in ætate prætextæ prudentiam, cap. 24. posteq. mortem adeptus Plautus, [hoc quoq; fortassis rectius sit] Cap. 25. Induciis mumnsum aliquo. Ego, mensum. Cessationem istam pugnæ pacticam, ils pacti causa, non pugnetur, nihilq; incommodetur. cap. 26. post cotidianas lectiones. Ita ferè semper scribit, non quotidianas: etsi hoc quoq; modo interdum in ipsius commentariis, neque jam querimoniam aut gemitus hejulatusque. Non ita esse PLVTARCHVM ut philosophum deceret, εὖ hoc age, εὐοργησίαν & ἀοργησίαν. * iniraſcentiam a tranquillitatem: id est sic animo minime iracundo & tolerante afficiantur.

Libro secundo.

Cap. 1. ad fortuitas patientiæ vices firmandi, id quoque, &c. Valitudine. Ita semper, ut & benivolus & malivolus. Quæ in bello Peloponesiaci principis ipsam Atb. civ. internecivo gerere, c. 6. Nonnulli ex Grammaticis, Atimidos nautas. Omnia jam vulgata, hæc tres voces absunt à libro vetere. Inlaudati, & sic semper, non laude solùm indignus, sed detetione. Ego suspicor lengendum, detestatione, squalentem, semper, non, ut vulgo, squallentem, quàm jacere, unde id verbum,

bum, &c. aut vento aut pulvere laborare videmus. duæ postremæ voces absunt à libro vetere. Hannibal (sic semper. M. Tullius IV. in Verrem, non ut ab hoste. Nemo quisquam tam effictis est moribus; ἴσως aequaliter effictis. Inlaudatus quoq; igitur finis est, &c. Sic in actionibus civilibus aut laudari dicitur, qui est nominatus. Rectè autem scripsisti legendum ibi esse, auctor. Illaudabilis, & innominabilis, duæ postremæ voces absunt, Dianæ Efesiæ. Sic & Favorinum non Phavorinum, & alia quædam eodem modo, auro & purpura prætexta, c. 7. Omnia quæ pater imperabit parendum. Super ea prius quæ dicta sunt, ut accessitum venire. Catilina aliquo aut Tubulo. Non ergo est integra propositio dicendum. Ego dicentium. c. 21. procedentis noctis spatio. Sed ego, inquit, cum Lælio, lego autem L. Ælio. triones rustico cetero vocabulo, elegantiusq; esse visum, cap. 22. Atq; etiam appetebamus, regiones sex esse cœli quatuor. Septemtriones. Iapyx & Iapygem semper per literam y. Sed qui ab activa & solstitiali meta venit. Africus, qui Græcè λίψ, unum meridionalem ventum. Sunt qui pro octo 12 faciunt, tertios quatuor in media, &c. Cur medie septentione eadem. &c. in suis quisque regionibus, quem sæviissimum putant. Apuli eodem quo ipsi sunt nomine. λεκον φ τ αυτον ως ο καικιας νεφος. Ego ἔλεγον ἐφ' αὐτὸν ὡς ὁ καικίας νέφος. Vocem καικὰ omnino delendam puto, neque sanè est in illo vetere, cap. 26. aliter rostrum, aliter crocum, nihil à vocabulo rusi differunt. in iis tamen colorib. q. m. d. dominandis. Nam phœniceus q. 1. G. φοινικα dixisti, & rutilus, & phœnicei, αὐ-

συνεπιτιμῶν. Lassiram his ponere laboriosum putarent, fecisse Cornelium. Lassitudinemq; minuam. Rudibus autem est rufus atrior, & nigrore multo inustus. Luteus cõtra rufus color est dilutior. Unde ei quoq;, &c. Nostris autem veteribus Cæsia, quod in versu H. est id facis. c. 29. neq; imperiose, iret cibum quæsitum, id circo die crastino, misit qui amicos roget. Mater jubet eos animo otioso esse. Sol feruit, & fit nihil, & dies amici nulli erant. Ego legendum puto. Sol feruit, & fit nihil, & dies, amici nulli erant. Vos modo, inquit, advertite. In ipso enim jam vertitur, cuia est res non aliunde petitur, migravit seges à domino, &c. levi plerumq; & inani fiducia. Sperabã me quæ reliqua sunt perscripturam. Sed interpellor. Ea tamen, sine ulla dubitatione, intra quatriduum mittam. Ac si quid aliud, quod me tua caussa posse arbitrere, peto à te mi Giphani, ut tibi planè persuadeas, te mihi ex animo carissimum esse: meq; omnia quæ ad te pertinebunt, semper studiosè & diligenter procuraturũ. De locis quos emendasti in epistolis Ciceronis, auctor tibi sum, ut eos ad Manutium mittas. Et tibi ad eam rem operam meam dico. Spero eum, ut est bonus, non dissimulaturum esse, quid à quo acceperit. Vale Romæ. 18. Kal. Ian. M.D.LXIX. Clarissimo oratori, quæso ut plurimam salutem meo nomine impertias.

EIDEM.
VII.

Risi, conferens Lambiniana cum tuis, & præter ea quorum tu indicem ad me miseras, alia etiam com-

complura repperi. Tu quæ ab illo in puteum illum cc
mersa sunt, cùm tibi commodum erit, in lucem ex- cc
trahas, tibiq; vindices, censeo. Quòd me laudat, vel-
lem tam meritò id faceret, quàm olim immeritò no-
tavit. Equidem possum mi Giphani ostendere tibi, si
hic sis, literas ipsius manus scriptas, quibus mihi gra-
tias agit de locis quibusdam sibi explicatis, quos ipse
postea quæstus est à me sibi subreptos esse. Et eas lite-
ras diligenter adservo, non ut edam, neq; enim tan-
ti esse duco, sed ut ostendam, interdum amicis, si
quando de me & Lambino sermo incidit. A me qui-
dem sibi metuere non debet. Nunquam natura con-
tentiosus fui. & nunc quotidie magis Lenit albescens
animus capillus. Tua potius caussa verendum est, ne
à quopiam audiat ὦ γέρον ἦ μάλα δὴτε νέοι λήθεσι μα-
χηταὶ. Sed hæc omittamus. De Tubulo, ita planè in
Fulvii libro omnibus literis scriptum est, cap. 13. l. 1.
neq. quod divulgatum est placet, neque conjectura
tua, quod venia tua dictum sit, mihi explet animum,
præcipuè cùm statim sequatur. Tum magister ἀρχι-
τέκτων. Cogitandum igitur si quid melius. In libro
Fulvii, scito, non tantùm primum caput libri primi,
sed omnia omnino, in quibus nihil notatum à me vi-
debis, desiderari. Libri moles est perexigua: & in
eo ipso admista, ut dixi, Valerii maximi capita pro-
pe pari numero. Orcivio ibi scriptum est, non Orci-
vo. Lib. 2. cap. 10. in eo libro non est. Descriptoris no-
mine expecto quæ polliceris. De prænomine Nepotis
nihil habeo, nisi quod semper suspicatus sum ex C.
CORNELIO Nepote, librarios, qui eandem lite-
ram

sæpe hoc ita commissum scio. Quæ reliqua sunt in Gellium, superest: ut exsolvam. Illud mihi molestum est, quod eorum librorum quos tu maximè requiris, vix πολλοστημόριον quoddam est in Fulvii libro. Cap. 5. lib. 3. Arcesilaum. Sed hoc prætereundum erat ad te scribenti, & talia postea omittentur. Incorruptus tamen & à suprainteger. Nam quum vocem infra-ctam prioribus an posterioribus. Cap. 6. in VII. Problematorum. Cap. 9. memoria atq; admiratione. sic sæpe scriptum reperias. Colore puniceo, florea & comanti juba. Argos evertisse, cupidineq; habendi. Eum Cassium postea 5. enim est, victis partibus s. q. e. 5. misera morte oppetiisse. Cap. 15. Polycritan. Is Diagoras tris filios, eos omnes vidit: Cùm populus gratulabundus, ibidem in stadio, in osculis atque in manibus, non diu post eam pugnam exanimata est. Post hunc locum usque ad librum nonum, nihil est in illo libro vetere. In libros sequentes quædam sunt pauca quidem, sed in iis tamen quædam non contemnenda. Ea, si voles, ad te mittentur, simulq;, si quid erit aliud quo hoc tuum institutum à me adiuvari posse arbitreris. Vale ROMÆ. Prid. Kalend. Ian. M.D.LXIX.

M. AN-

M. ANTONII MVRETI IN LIBROS VARIARVM LECTIONVM PRAEFATIO.

AD HIPPOLYTVM ESTENSEM, CARDINALEM AC PRINCIPEM ILLVSTRISSIMVM, Singularem omnium honestarum artium Patronum.

VIII.

MAgnopere peccare mihi viderer, Hippolyte, Cardinalis illustrissime, si otium illud, quod & plurimum & honestissimum tua mihi benignitate conceditur, alia ulla re, quàm literarum, & earum artium, quibus te insigniter oblectari video, assidua tractatione consumerem. Nam cùm ea te præcipuè caussa commoverit, ut aditum mihi ad familiaritatem tuam ultro patefaciendum putaris; quòd ad te de mea erga illas incredibili voluntate, meis fortassè scriptis, & amicis de me summorum hominum cõcitata sermonibus fama pervenerat: quis me ferendum putet, nisi quam de me opinionem incognito adhuc & absente conceperas, eam præsens ipse omni studio omniq; corporis & animi contentione confirmem? Ita igitur facio, quarum artium singularis pulchritudo mentem meam, iuque à puero, admirabili quodam sui desiderio incenderat, eas nunc demum beneficio tuo aliis omnibus curis solutus, magno & alacri

» cri animo persequor : neq; sanè committo, ut qui me
» tibi tanquam hominem & non ineruditum, & eru-
» ditionis ac doctrinæ sitientissimum commendarunt,
» cùm in illo priore indulserint amori erga me suo, in-
» hoc etiam altero eidem obsecuti, ac non potius id quod
» exploratum haberent, verè apud te testati esse vide-
» antur, quod cum facio, primum, quo nihil dulcius est,
nihil optabilius, naturæ meæ propensionẽ sequor. Ve-
rè enim hoc tibi affirmare possum, si quis mihi Deus
omnes opes, omnia commoda, omnem potentiam pro-
ponat, ea lege ac conditione, ut semel deponam hæc
NB. studia, & has qualescunq; literulas, altrices adole-
scentiæ meæ, fidissimas meorum omnium temporum
comites deseram: nunquam id faciam: neq; quicquã
tanti esse ducam, quod mereri velim, ut à suavissimo
earum amplexu & contubernio abducar; quare, ut
dixi, cum in eas toto pectore incumbo, naturæ meæ
pareo: idq; facio, quod si facere vetarer, vitalem mi-
hi esse vitam non putarem, deinde, quo mihi nihil
» prius ac potius neq; est, neq; esse debet, voluntati tuæ
» morem gero. Sæpe enim mihi, quæ tua est humanitas,
» affirmasti, nullum tibi à me genus obsequii præstari
posse jucundius, quàm, si omne tempus arbitratu meo
ponerem in literis, & aliquid assiduè, quantum in-
me esset, excuderem, quod mihi ornamento, & alijs
usui, & tibi oblectationi esse posset, neq; verò me, ut id
» faciam, oratione tantum cohortaris, verùm etiam
» exemplo. Quid enim facere nos oportet, quicunque
tuis opibus non aliam ob caussam fovemur, sustenta-
mur,

mur, ornamur, quam ut in his studiis omni cogitatione defixa, dies noctesq; exerceamur: cùm te, te inquam ipsum, quem moderatrix humanarum rerum providentia in altissimo dignitatis gradu collocatum, perpetua gravissimorum munerum procuratione districtum deneri voluit, inter tot, tam graves, tam multiplices curas, tantoperè ad tranquillitatem & salutem publicam pertinentes, quotidie tamen aliquid temporis harum artium tractationi tribuere videamus? Nimirum & unusquisque nostrum naturæ suæ, ut ait poëta quidam, semina sequitur: & quibuscum diu ac familiariter vixit, eorum mores & instituta vivendi facilè ac libenter imitatur. Te verò cùm omnis honestatis ac dignitatis amantissimum, omnium quæ ad comparandam veram ac solidam gloriam pertinent, appetentissimum natura genuisset: consecuta deinde FRANCISCI VALESII, Galliarum regis optimi, ac maximi, intima illa, qua tot annos usus es, consuetudo magis etiam incitavit ad easdē illas vias, in quas ipsa te natura deduxerat, animosius & constantius persequendas. Ille homines eruditos ad se ex omnibus orbis terrarum partibus, amplissima eorum industriæ præmia statuens, convocabat, idem illud exemplum jam dudum Italia te maxima cum tua laude renovantem intuetur. Ad regalem illius mensam non ullum acroama aut libentius, aut sæpius, quàm vox alicuius eruditi hominis, audiebatur, epulæ quoque tuæ quotidie nulla re magis, quam gravissimis, & honestiss. virorum doctrina præstantium sermonibus, condiuntur.

Deut.

Natura sequitur semina sua, quæ subeunt.

Ille

Ille igitur ad cæteras suas laudes eam addidit, quâ nulla, meo quidem judicio, major est, nulla præclarior, ut communi omnium populorum consensu, Literatum Pater nominaretur, idem illud cognomen tibi apud posteros tributum iri, cuivis perfacile est, qui tuam erga homines liberalium artium scientia excultos munificam, planeq; regiam voluntatem cognoverit, augurari. Nos interea, qui per te hoc otio fruimur, omnem industriam eò conferre oportet, ut quacunque ratione possumus, heroicas ac prope divinas virtutes tuas omni genere monimentorum ad immortalem posteritatis memoriam consecremus. non quòd rerum à te gestarum gloria nostro testimonio indigeat; sed quod alia nobis via nulla relinquitur, quâ ingrati animi notam effugere valeamus. Igitur alii quidem, quibus major doctrinæ copia est, alia tibi graviora, & majoris operæ inscribent. Ego autem, qui nondum eam facultatem consecutus sum, ut à me quicquam egregium expectari debeat, scribam tamen qualiacunque potero, & hisce parvis ac tenuibus munusculis testabor hominibus magnitudinem observantiæ erga te meæ. Illud quidem certè omni ope conabor efficere, ut scripta mea, si nullam aliam ob caussam in pretio sint, utilitate tamen tueantur ipsa se, & hoc saltem nomine à studiosis hominibus non negligantur, quod & alias feci, & in iis maximè, quos nuper apud te scripsi, Variarum lectionem libris. Primùm enim cum in præstantissimis utriusque linguæ scriptoribus multa, vel temporum vel hominum culpa, corruptè & depravatè legan-

legantur: eáque res vel non animadversa errorem, vel animadversa molestiam, & difficultatem legentibus objicere soleat: eius incommodi ut pars aliqua per me tolleretur, operam dedi. deinde, cùm & illud constet, veteres latinos summo studio esse in Græcorum imitatione versatos, & eorum locorum quos illi ab his acceptos in usum suum transtulerunt diligens, & accurata notatio magnam his temporibus utilitatem habere credatur: huius quoq; generis inspergenda nonnulla esse duxi narratiunculas etiam aliquot admiscui quarundam historiarum, quæ neq; contritæ ac communes essent; neq; fore injucundæ cognitu viderentur. Ubi autem ita res tulit, ut ab iis, qui vel ætate nostra, vel etiam superioribus temporibus in hoc ipso curriculo industriam suam exercuerant, dissentirem: feci id, ut & natura & consuetudo mea fert, liberè: sed ea tamen moderatione servata, ut imminutam esse à me dignitatem suam, nemo conqueri possit, nisi qui tantum sibi tribuat, ut errare se posse non putet, quod neq; cuiquam unquam contigit, & maius est, quàm ut convenire in humanam fragilitatem queat, sed nos quid fecerimus, ipsa res indicabit, testatum quidem omnibus esse volumus, nihil aliud nobis propositum fuisse, quàm ut sine cuiusquam offensione, auxilii aliquid attulisse huic studiorum generi diceremur. A te autem, Hippolyte, Principum decus, etiam atq; etiam petimus, ut qua nos humanitate in familiarium tuorum numerũ recipere dignatus es, eadem hos labores nostros, qui nulla re magis, quàm tui nomi-

iis auctoritate nixi, in publicum prodeunt tibi accipiendos putes; neq; tam, quid amplitudini tuæ conveniat, quam, quid præstari à nobis possit, expendas; nam & hæc ipsa, novis indies accessionibus crescent; & alia suo tempore quæ tibi gratiora fore confidimus proferentur.

PRÆFATIO IN VERSIONEM LATINAM LIBRI QUINTI ETHICORUM Aristotelis.

IX.

Cùm hunc Aristotelis librum vobis explicaturus essem, multis de caussis mihi faciendum putavi, ut eum prius latinè à me conversum ederem: Primum quoniam etsi in cæteris libris explicandis, conatus eram efficere, ut ne ij quidem qui græcarum literarum rudes sunt aditum sibi ad me audiendum peregrinitate sermonis occlusum esse quererentur: Non obscuris tamen multorum sermonibus aures meæ quotidie verberabantur, conquerentium, crebro illo vocum græcarum interjectu retardari intelligentiam suam: Planiora sibi multo, & expeditiora omnia fore, si latinè dicerentur. Horum igitur studio aliquid tribuendum esse duxi. Deinde submolestum ipsi mihi nonnunquam erat, verum ut fatear, tantum quotidie operæ, ac tempus in reddendis singulis vocibus ponere: Ut mihi quoq; satius videretur, semel illo labore defungi. Nam cum singulæ disputationes nostræ in unius horæ curriculum concludantur, ex eoq; ipso aliquid sæpe multis occa-

occasionibus delibetur, ac detrahatur, adhibenda parsimonia est, videndumq; omni studio, ut id saltem quod datur, quàm possumus optimè & utilissimè collocetur. Iam è tam brevi tempore non multum potest tractandis rebus relinqui, si aliquid ex eo singula verba decerpant. Præcipuè autem hic liber propter mirificam quandam rerum ac sententiarum subtilitatem postulare quodammodo videbatur, ut, quò liberiores animi nostri totos se ad eas penitus cognoscendas darent, illa altera pars laboris & vobis & mihi demeretur. Fuere & aliæ huius mei consilii causæ, quas nihil necesse habeo pluribus persequi. Dedi autem operam quantam quidem in me fuit, ut Aristotelis non sententiam modò exprimerem, sed genus ipsum dicendi, quo ad liceret, imitarer. Nam cum suo quisque modo, & loquatur & scribat: aliosq; angusta pressa, concila, alios ampla, copiosa, redundans delectet oratio: Non satis probo consilium eorum, qui, cùm Aristoteles siccitatem quandam tenuitatemq; dicendi, contra Cicero copiam & ubertatem adamaverit, neque quidquam tam dissimile sit, quàm eorum inter se dicendi genus, Aristotelem tamen interpretantes quia se, quam possunt Ciceronis simillimos esse cupiunt, quæ ab illo & breviter, & subobscurè dicta sunt; ea huius more dilatant, atq; diducunt. Sed suum cuiq;, ut dicitur. Ego an, quod volui assecutus sim nescio, aut potius id non assecutũ esse me, scio: Certè quidem, quod in hoc genere optimum est; id me secutum esse, ac propositum habuisse confido. Ne-

que damno industriã eorum, qui aut ante me, aut post me (siquidem jam duodecim anni sunt, cùm huius libri interpretatio mea primum edita est) in his rebus latinè tractandis elaborarunt. Quorum etiam quidam auxilio ad eam rem meo usos esse se, non diffitentur. Neq; tantum, ut ille dixit, posterior dies prioris discipulus est, sed etiam magister. Multa aliter olim accipiebam, aliter hodie accipio? Græcos etiam libros multo pluribus locis depravatos esse video, quã tunc arbitrabar. Itaq; necesse est, multa longè secus in eorum interpretationibus, quàm in mea, legi. De quibus non intelligentes modò, sed etiam eos, qui sibi tales videntur, quorum omnis ætas magnam copiam extulit, judicaturos esse prospicio. Horum ego neq; alteros reijcio neq; alteros extimesco, est eiusdem ingenij, & eruditorum admonitiones amare, & indoctorum maledicta contemnere. Ubi, & cur à cæteris dissenserim, vos quidem & quotidie ex me ipso, cæteri autem ex commentario, quem, cùm primum licebit, edituri sumus, intelligent. ROMÆ. Kalend. Mart. anno M. D. LXV.

M. ANTONIVS MVRETVS BERNARDINO LAUREDANO ANDREÆ F. patricio Veneto S.P.D.

X.

PRæstantium Poëtarum Bernardine Lauredane adolescens clarissime, neq; magna unquam copia, & sem-

& semper magna laus fuit. Copia ne fuerit, id in causa est; quod in cæteris facultatibus, nemo est, dum axat eorum qui hebeti penitus ingenio non sunt, qui non adhibito labore, si minus excellere, at certè ad mediocritatem aliquam pervenire, se posse confidat: in hac nisi ab iis, quos ipsa quodammodo natura ad eam finxerit labore diligentia, vigiliis effici nihil potest. Ea ipsa res in hominum animis admirationem peperit poëtarum, obstupefactis videlicet hominibus, cum viderent alios sponte quadam, & propensione naturæ, sine ullo labore ea fundere, quæ cum omnibus eloquentiæ luminibus interlita, tum sparsa multifariàm eruditionis variæ notis, non tantùm dulci sono tenerent aures, sed etiam omni genere affectuum, intimos audientium sensus, cogitationesque tentarent; alios contra ingenuarum artium scientia perpolitos; nulla tamen diligentia, aut diuturnitate studii consequi posse, ut aliquo inter poëtas numero ac loco haberentur. Ut autem omni elegantis doctrinæ tractatione ita huius quoque virtutis præstantia, longè supra cæteros Græcorum hominum ingenia floruerunt. Romani & serius attigerunt poëticam & coluerunt negligentius, & minimè longo tempore in rectè scribendorum poëmatum via perstiterunt, siquidem cùm à rudibus apud eos poëtica profecta principiis tandem per multos gradus ad Virgilium pervenisset; quo ego homine nihil statuo fieri potuisse divinius: ita postea cœpêre ingenia in deterius labi, ut mirum sit, quanta, quam brevi tempore sit consecuta mutatio. Hispani poëtæ præcipuè & Romani ser-

De re poetica.

Commendatio Græcorum.

» manis elegantiam contaminarunt, & cum inflatum,
» quoddam, & tumidum, & gentis suæ moribus con-
» gruens invexissent orationis genus, averterunt ex-
emplo suo cæteros à recta illa, & simplici, in qua præ-
cipua poëtarum sita laus est, & in quam superiores
omni studio incubuerant, imitatione naturæ, itaque
ferè post Augusti tempora, ut quisque versum ma-
ximè inflaverat sententiam maximè contorserat, eo
denique modo locutus fuerat, quo nemo serio soleret
loqui, ita in pretio haberi cœpit. Quin etiam fucatus
ille splendor, & adulterinæ eloquentiæ species ita non-
nullorum, qui veræ eloquentiæ æstum non habebat,
occœcavit animos, ut his quoque temporibus extite-
rint Hispani duo, homines ceteroqui & in primis eru-
diti, & scriptis editis nobiles: quorum alter Lucanum
Virgilio, alter Martialem Catullo anteponere veri-
tus non est, quorum ab utroque ita dissentio, ut, si
» quis Deus potestatem mihi optionemque faciat, non
» dicam Virgilij, cui videor injuriam facere, si eum
» ullo modo cum cæteris comparem, sed Ennij alicujus,
» aut Furii quam Lucani, multo similem in scribendo
» esse me malim; inter Martialis autem & Catulli scri-
pta, tantum interesse arbitror, quantum inter dicta
scurræ alicujus de trivio, & inter liberales ingenui
hominis jocos, multo urbanitatis aspersos sale, neque
» verò negaverim, multa in Martiale quoque non in-
» scienter dicta reperiri: sed profectò deteriorum longè
» numerus major est. Latinæ quidem orationis nativa
» illa, minimeq; quasi pigmentis infuscata germani-
» tas in Martiale nulla est, in Catullo præcipua. Iis de
cau-

gauſſis eum ab illo altero, neſcio quo modo, ſemper abhorruiſſem, Catullum contra nunquam non mirabiliter amavi: itaque legebam eum adoleſcentulus ſtudioſè, magnamq; operam ad lepores illius intelligendos conferebam, nihil tamen minus cogitans, quàm fore unquam, ut in eum commentarios ſcriberem. Sed, cùm haud ita pridem veniſſem in Italiam, & ut eam regionem aſpicerem, qua qui æquo animo carent, mihi quidem antiquitatis memoriam ſatis colere non videntur, & me hercule, verum ut dicam, cùm alios eruditos homines, tum Paulum inprimis Manutium ut cognoſcerem, quod in eius ſcriptis mihi videbar animadvertiſſe, expreſſas quasdam excellentis doctrinæ eximiæq; probitatis notas, mihique divina quadam virgula contigiſſet, ut non pedem penè prius in hac civitate ponerem quàm in amicitiam ipſius familiaritatemque intimam admitterer: ipſeque aliquot diebus poſt, de meis ſermonibus collegiſſet, quantopere me eius poëtæ ſcripta caperent; Quin tu, inquit M. Antoni, quæ in hoc genere notaſti, ea in publicum profers, fructumque laboris tui cum cæteris antiqua illa naturæ atque humanitatis lege communicas? ibi tum ego cùm & longè aliarum virtutum opus illud eſſe dixiſſem, & protuliſſem alia multa, quæ mihi ad eam cogitationem ſuſcipiendam ſanè quam incommoda eſſent; eáque ipſe amicè admodùm refutare pergeret; (noſti autem divinam hominis illius in dicendo ſuavitatem) nō prius deſtitit, quàm me impulit denig, ſibi ut reciperem; me id primo quoq, tempore eſſe facturū. Neq, verò diu fidem meā liberare diſtu-

li, ut qui inter varias occupationes, homo alioqui laboris non nimium tolerans, hoc tamen, quicquid est, trium mensium, aliquanto etiam minore, spatio absoluerim. Nunc hasce vigilias meas Bernardine Lauredane, multæ sunt causæ quamobrem tibi dicatas velim. Natus es ex ampla cum primis & nobili familia, & ex qua ea Venetæ civitatis lumina extiterunt, quorum claritatem nulla unquam inobscurabit oblivio. Præterea est hoc generi vestro prope fataliter datum, ut ametis literas, hominesq; earum scientia exultos benignitate vestra comprehendatis. Non longè abierimus; pater ipse tuus, vir, ut omnes norunt, omni egregiæ virtutis laude cumulatissimus, ita literarum amore incensus est, ut ea, quæ ubique plurimum valet, auctoritate & gratia permagnam optimorum librorum, signorum, nomismatumq; veterum, cæterorumq; antiquitatis monimentorum copiam ex universa Europe diligentissimè collegerit, itaq; ut augusta quædam Musarum ædes, ita domus vestra Venetiis ab eruditis hominibus frequentatur. Hæc cum magna sint, ut certè sunt; tamen ex ipso possunt innumerabilia magis propria tuæ laudis argumenta desumi: ingenium excellens, acre ac indefessum literarum studium, optimarum artium cognitio tanta, quantam cum paucis aliis in istam ætatis viriditatem cadere posse docuisti: tum, quod præcipuum est, ita compositi mores, ut juventus tua multorum senectuti exemplo esse possit. Vel his superioribus mensibus, cum ad M. Antonii Trivisani principis optimi, propinqui tui, luctuosam bonis omnibus mor-

mortem funebri laudatione honestandam unus ex omni Venetæ nobilitatis flore delectus es; quanta, Deum immortalem, orationis & gravitate, & copia quanta omnium, qui aderant, non approbatione tantùm, verum etiam admiratione dixisti? ut jam tum sperare non dubiè senatus populusq; Venetus cœperit, quæ tum disertè in alio laudares, ea te aliquando re, atq; operibus præstiturum. Igitur cùm eam orationem in publicum emisisses, nemo repertus est, qui non in cœlum tolleret; aut, si qui postea fuerunt, qui eam clanculum extenuarunt verbis, eos satis constat, vel crassitudine ingenii, ne illius pulchritudinem perviderent, vel ne pro dignitate commendent, veteri morbo perpetuæ in omnes bonos invidiæ impediri. Accessere his propè quotidiani mecum Pauli Manutii de tua laude sermones, in cuius tu viri ore planè habitas, ita enim frequenter, ita cupidè de te loquitur, ut mihi nunquam omnino, quàm cùm de te dicere ingressus est, facundior esse videatur. Attigi breviter ea, quæ me, ut hunc librum tuo nomini potissimum inscriberem, impulerunt. Nunc à te adolescens ornatissime, etiam atq; etiam peto: primum, ut munusculum hoc non ex sua magnitudine, sed ex meo tibi gratificandi animo ponderes: deinde, ut si quando eorum rationem inibis, quos eximia tuæ virtutis admiratio adjunxit tibi, me quoq; si videtur eorum adscribendum numero existimes. VENETIIS Idib. Octob. M.D.LIV.

M. ANTONIVS MVRETVS TORQUATO BEMBO PETRI F. S. P. D.

XI.

MAgna felicitate mihi carere videor, TORQVATE BEMBE, quòd non ita maturè in Italiam venerim, ut patrem tuum, virum immortalitate dignissimum, videre, atq; alloqui possem, nam & incredibilem quandam voluptatem hausissem ex illius herois aspectu, qui aut solus, aut præcipuè effecerat, ut ne hæc ætas superioribus sæculis invideret: & effecissem, nisi valdè fallor, ut ipse me, pro humanitate illa, qua complectebatur omnes, in quibus esset aliqua non alieni à Musis ingenii significatio, non usquequaq; sibi despiciendum putaret. Nunc, quando id, quod cuperem, consequi nullo modo possum; certe quidem, id quod proximum est, sedulo facio: colo, quacunq; ratione licet, memoriam illius: & cum in omni sermone, tum in scriptis meis, libentissimè facio, ut eum laudem, qui mihi neq; à me, neq; à quoquam satis laudari posse unquam videtur, neq; verò ita sum amens, ut ad gloriam ipsius quicquam meo testimonio posse adjici censeam. Sed ita planè judico: ut Deus, qui nullius præconio indiget, laudari se tamen ab hominibus cupit: sic beatas illas mentes, in cœlum receptas, & cum Deo conjunctas, gaudere, cùm se à nobis coli ac celebrari vident, ergo perinde ac si huius rei sensus ad Petrum ipsum Bembum perventurus sit, ita de ipsius admirabili doctrina, singulari eloquentia,

tia, ceteris q. virtutibus, quoties occasio est, prædico, quod sive ita est, gaudeo: sive ipse me fallo, tamen hunc errorem, qui me tantoperè delectat, mihi eripi nolim. Equidem non solùm quæ ille nobis monumenta ingenii sui plurima ac pulcherrima reliquit, accurate pervolutare, verùm etiam imagines corporis ipsius studiosè contemplari soleo: magnamq. ex eis oblectationem capio: quod illæ mihi ipsum ante oculos constituere videantur. Iam si aut depictam in tabula aut marmore expressam, aut in ære, argentóve insculptam Petri Bembi imaginem prope divino cultu afficere solitus sum: quid me tibi facere par est Torquate Bembe, quem nobis divinus ille vir vivam & spirantem tum corporis tum multò magis ingenij ac virtutum suarum imaginem reliquit? Itaq. ut intelligas, te à me tanti fieri, quanti æquum est, & talis viri filium, & talem filium, qui paternæ gloriæ præclarè omni ex parte respondeat: mitto ad te muneri Tibullum, hoc est, eum poëtam, quem pater tuus felicissimè expressit, emendatum à me, & brevibus scholiis illustratum, qui tibi testimonium aliquod sit incredibilis observantiæ erga te meæ. Parvum munus, fateor: sed & à magno animo proficiscitur, & majora alia subsequuentur, si hoc tibi non ingratum fuisse cognovero. Vale Non. Maij. M. D. LVIII. PATAVIO.

M. AN-

M. ANTONIVS MVRETVS FRANCISCO GONZAGÆ Ferdinandi F. S. D.

XII.

NOn injuria dubitatum est à veteribus FRANCISCE GONZAGA adolescens præstantissime, Tibullone an Propertio deferendus esset inter Latinos poëtas elegiæ scribendæ principatus, nam ut insunt in utroq; permulta, quæ eos vulgarium numero exemptos, in medio atq; eminenti statuant loco: sic propriè quædam extant, & elucent in utroq; virtutes, quibus interq; alterius palmam ambiguam facere videatur, summa in Tibullo elocutionis elegantia, & proprietas: summa in Propertio eruditionis poëticæ copia, & varietas: in illo Romana prope omnia, in hoc plerag; transmarina, illum, nativa quædam, & incorrupta Romani sermonis integritas, in media urbe natum & altum esse, perspicuè ostendit: hunc præter cætera forma & character ipse dicendi in Græcorum poëtarum scriptis assiduissimè versatum esse demonstrat, cumq; à sapientissimis viris traditum sit, duo esse præcipua poëticæ dictionis ornamenta, τὸ ἁπλοῦς, & τὸ ἐσχηματισμένον, illo Tibullus, hoc Propertius excellere videtur, mollior ille, & delicatior: nervosior hic & accuratior, illo magis oblectere: hunc magis, ut opinor, admirere, illum judices simplicius scripsisse, quæ cogitaret: hunc diligentius cogitasse, quid scriberet, in illo plus naturæ: in hoc plus curæ, atq; industriæ fuisse pe-

perspicias. Quæ cùm ita se habeant; perdifficile est decernere ac constituere, uter alteri præstet; nam si præcipua laus poëtarum in imitatione consistit: mihi quidẽ videtur Tibullus varios illos fluctuantis animi motus, quibus amantes agitari solent, melius imitatus esse, sin, ut quicquid ad optimum proximè accedit, ita ipsum quoque optimum judicandum est; crediderim sanè veterum illorum Græcorum, ac præcipuè Callimachi, Propertium haud paulò similiorem fuisse: qua etiam fiducia ipse se Romanum Callimachum vocare ausus est. Sed hæc ut sunt, neque nostrum est, neque cuiusquam hominis pudentis, & considerati qua de re veteres illi, quorum fuit & doctrina major, & judicium acrius, non liquere pronunciarunt, de ea certi quicquam constituere, & litem secundum alterutrum dare: satius fuerit, utrumque studiosè ac diligenter evolvere, utriusque virtutes accuratè perpendere: utrunque sibi ad imitandum proponere, si quando fortè nos ad tentandum idem poëmatis genus aut voluntas adducet, aut naturæ impetus feret, quæ ego omnia, FRANCISCE GONZAGA, quantum quidem in me fuit, summo studio adolescens facitavi, non enim facilè concesserim multis, qui hos poëtas aut sæpius, aut accuratius legerint, aut verò plus operæ posuerint in eorum virtutibus imitando exprimendis. Ex quo autem in me juvenilis illa, qua studia poëtica foventur, alacritas defervuit, animumq; sibi meum graviorum, & hac ætate dignior ũ artium tractatio vendicavit; temperare mihi tamen

Propertio.

mien non possum, quin sæpe eos in manibus habeam; horisq; subsecivis graviorum studiorum asperitatem hoc quasi condimento amœnitatis mitiorem ac molli-
» am, quin etiam ut non occupationes tantùm meæ, ve-
» rùm remissiones quoq; animi afferant aliquid utili-
» tatis hominibus: confero studium non mediocre ad libros eorum perpurgandos, & ad locos. si quos mihi fortè intelligere videor, qui non ita sint omnibus perviі, explicandos, tale igitur quiddam his diebus in Propertio præstiti: & cum admirabili desiderio tenerer insinuandi me aliqua in amicitiam tuam, iter mihi ad eam præmunire hoc munusculo volui. Ut autem à te cognosci cuperem, ne vivam, si me aut divitiæ, quibus abundas, aut generis tui claritas, aut quicquam denique præter maximas tuas, & jam nunc omnium sermone celebratissimas virtutes incitavit: nam opulentorum, qui honesta studia spernant, non modò ambire, ac persequi, sed aspernari etiam, ac refugere amicitias soleo, non semel experius, nihil esse eiusmodi hominibus φορτικώτερον: generis autem nobilitas in iis demum habet aliquid gloriandum, qui faciunt id quod tu, hoc est, in iis, qui omni ope moliuntur efficere, ut ne minus ipsi splendoris posteris suis tradidisse, quàm à majoribus accepisse videantur, itaq; colunt te quidem homines, & observant ut magni illius FERDINANDI GONZAGÆ, sapientissimi, fortissimi, fortunatissimi Imperatoris, filium: sed multò te, mihi crede, impensius colunt, quod eam te viam ingressum, aut potius in ea jam longè progressum, vident, in quali, ut spes minimè dubia est, persti-

literis, non ille apud posteros tot victoriis, tot opimis spoliis, tot trophæis, quàm te filio, clarior sit futurus, sed illius quidem res gestæ cùm aliorum monumentis celebrabuntur, tum præcipuè scriptis Antonii Possevinii, familiaris tui, eruditissimi hominis, & ad conscribendam historiam facti, tradentur memoriæ hominum sempiternæ: tuas autem hoc loco pluribus persequi nolo: tum, ne modum epistolæ excedam, tum, quod mihi veniunt in mentem Euripidis versus.

Laudari enim, boni, propter modum quendam
Αἰνεῖσθαι γὰρ ἀγαθοὶ, πρέπον τινὰ,
Decuit laudantes, sic enim sentiunt
Μέτρια τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἶνος ἀγαν,

Id tantùm te orabo, ut, cùm à Philosophiæ studiis, in quibus te quotidie Bernardinus Tomitanus, singulare Patavini gymnasii decus, exercet, relaxare animum voles, Propertianæ lectioni temporis aliquid tribuere ne graveris, in qua si comitem tibi, ut facturum augurior, Hippolytum Capilupum, Episcopum Fanensem incredibili & virtute, & doctrina hominem, assumpseris, habebis, qui tibi possit ea, quæ à me vel omissa vel non satis intellecta sunt, unus optime omnium interpretari. Vale PATAVII. Kal. sextil. M.D.LVIII.

M. ANTONIVS MVRETVS LEONARDO MOCENICO, ANTONII PROcuratoris F. Patricio Veneto S.P.D.

XIII.

Quod, me sæpe in quotidiano sermone, Leonarde Mocenice, deplorantem audire potuisti; magna inest

» inest in veterum scriptis & depravatio, & difficul-
» tas, quarum utramque qui pro sua virili parte tolle-
» re moliuntur, operamque ad eam rem studiosis ho-
» minibus profitentur suam; ij mihi & labores suos col-
locare fructuosius, & ad extruendam sibi nomi-
nis immortalitatem firmiora, & solidiora fundamenta
jacere videntur, quam qui hunc emendandi ac de-
» clarandi laborem tanquam & pleniorem molestia-
» rum, & abjectiorem quodammodo, atque humilio-
» rem refugientes, scribendis latina, græcave lingua o-
» rationibus, aut poëmatis, eiusdemque generis alijs,
sua nomina posteritati commendare malunt. Primum
enim cùm è veterum monumentis, tanquam ex opi-
mis & pinguibus pascuis, quæ ad saturandos huma-
nitate animos pertinent, omnia colligantur: profectò
qui & evellere noxias herbas, quæ in eis cultorum ne-
gligentia pullularunt, & excisis, si quæ iter impedi-
unt, sentibus, aditum ad ea facilhorem efficere nitun-
tur, negari non potest, quin præclarè omninò de hu-
mano genere mereantur, siquidem ut qui aut parum
puris, aut ad conficiendum difficilibus utuntur ci-
bis integritatem valetudinis firmitatemque viri-
» um adipisci vix queunt: ita qui aut parum emenda-
» tos libros, aut parum ad intelligendum faciles versa-
» re coguntur; nè illi valdè bono ingenio sint oportet,
» si aut ullum sermonis leporem aut ullum exquisitio-
» ris doctrinæ elegantiam consequuntur. Quam mul-
ta barbara vocabula, quàm multa vitiosa genera
loquendi, propter librorum corruptionem, usurpa-
runt ij, qui se nostra patrunq; memoria Ciceronia-

nos

similo.

dici volebant? quantularum rerum ignoratio quantas tenebras sæpe in omne disciplinarum genus invexit? magna enim Mocenice secunditas erroris est: & ut morbi quidam à pusillis principiis profecti, paulatim per corpus omne serpunt: ita parva interdum maculæ erroris, paulatim progressa longius, integra optimorum scriptorum monumenta contaminat. Deinde non est sanè expectandum, ut omisso Cicerone, Virgilio, cæterisq; veteribus, legantur ij qui temporibus nostris aliquid eadem lingua in eodem genere scripserint, qui si aliquid afferunt non haustum à veterum fontibus propè reprehenduntur: sin improbo labore hoc consecuti sunt, ut in scriptis suis nihil non è priscis illis imitatum, & effictum appareat; nemo tamen est, qui non illos potius ipsos priscos evolvere, sibiq; proponere ad imitandum velit. itaq; eiusmodi scripta, tanquam vina levia, quamdiu mansta sunt, ipso novitatis sapore paulisper placent: iterum aut sæpius gustata fastidiuntur. in promptu exempla sunt, Bembi, Navogerii, Molsæ, Lampridii aut versus, aut orationes, quotusquisq; hodie legit? & tamen aut illi nostra ætate proximè ad antiquorum gloriam accesserunt, aut nemo unquam accessurus est, at contra si quæ iidem ad illustrandos veterum libros pertinentia literis prodiderunt; qualia nonnulla Bembus elegantissimè scripsit, ea plus, plusq; in dies studiosorum hominũ manibus conteruntur sed quid de his loquor? possum nominare nonnullos, qui abhinc sexaginta ferè vixêre annos, quorum poëmata, orationes, epistolas, cùm propter

perversum, & inepta affectatione corruptum loquendi genus, quod ætas illa extulerat, sine risu hodie nemo legat, eorundem tamen scripta quædam, quibus lux aliqua vetustis scriptoribus affertur, omnibus vigent, denique, quem sola sermonis elegantia suavitasque commendat, is ætatem ferre liber non potest; at ex qua fructus aliquid utilitatisque percipitur,

Hic meret æra liber Solis, hic & mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat ævum.

Ego autem Mocenice, quæ cupiditas in optimo quoque maximè viget, navandi studium suum utilitati publicæ, & nominis sui ad posteros propagandi, ab ea nunquam me abhorruisse confiteor, quam ad rem cum illud mihi, de quo ante dixi, quasi compendiarium esse uter viderem, progressus sum in eo quoad potui, & progredi porro, si vita suppeditaverit, cogito, ergo alia aliàs: nuper autem quatuor Ciceronis in Catilinam orationes tum vindicavi à multis mendis, quæ in eis librariorum vitio insederant; tum, addita brevi declaratione, faciliores ad intelligendum effeci, hunc parvum laborum meorum fructum venire in hominum manus ornatū commendatione tui nominis volui primum, quòd ipsi libro, parum ex me auctoritatis habituro, multum ex te accessurum dignitatis ac gratiæ intelligebam: in quo, quæcunque aut ad amplitudinem nominis, aut ad devinciendas amicitias hominum voluntates valent, summa esse omnia animadverto. nam sive generis claritatem requirimus; cui tandem; qui Venetii imperii nomen audiverit, Mocenica

benicæ gentis splendor ignotus est? quæ quidem gens, ut ne annalium memoriam replicem, neque eos commemorem, quos domi forisque spectata virtus, concordibus suffragiis, ad huius reipublicæ fastigium evexit; illud integritatis, illud justitiæ, illud incorruptæ severitatis exemplar, Aloisium Mocenicum, equitem, tuum Leonarde avum protulit: quo viro nemo unquam in hac civitate, qui, cum pauciora peteret, plura consequeretur honoris insignia, inventus est: ipsa pro eo precabat virtus, ipsa ei viam ad omnes honoris gradus, non appellandis, non rogandis, non officiosè salutandis civibus; sed gloriosis, admirandis, immortalitate dignis edendis operibus muniebat, neque verò passa resp. est, tantum lumen exteris principibus incognitum latere: sed quanquam fidelissimus illius, sapientissimisq; consiliis nixa, non libenter ab amplexu eum suo dimitteret: mandandis tamen ei plurimis, honorificentissimisq; legationibus; facultatem dedit famæ suæ per omnes terrarum oras disseminandæ, qui cum omnes in eam opinionem adduxisset, ut quicquid ipsi, non dicam denegatum, sed non ultro delatum fuisset, idem virtuti denegatum videretur; filio suo, patri tuo Leonarde, iisdem virtutibus prædito facilè atque expeditum iter ad procuratoriam, id est, ad eam qua nulla summæ propior est, dignitatem reliquit. sive igitur generis claritatem requirimus, ea tibi longè maxima divinitus contigit: sive teipsum, nulla ratione generis habita, intuemur, ea videmus in te, quæ vel abjectam, obscuramq; familiam erigere, atque illustrare possent. non

enim te aut gentis tuæ nobilitas tumidum, aut opum affluentia insolentem facit: sed illam quidem incitamentum, hanc verò instrumentum exercendæ virtutis esse ducens, ita te geris, ut dignitate par summis, humanitate & affabilitate nihilo superior infimis esse videaris, quo fit, ut tota urbe nemo sit, qui non omnia tibi successa cupiat, qui te non amet, non in sinu, non in oculis ferat: qui non & optet, & auguretur fore, ut te eodem planè, quo avus olim, itinere gradientem, iisdem resp. quibus illum prosecuta est, honoribus prosequatur. Primum igitur è tuo, ut dixi, nomine auctoritatem libro meo quærere aliquam volui, deinde, cum plurimis, manifestissimisq; indiciis, me tibi non vulgariter carum esse cognoscerem; volui ego quoq; vicissim, qualemcunq; poteram, animi erga te mei significationem dare. Vale Venetiis, A.D.6. Idus Octob. M.D.LVI.

M. ANT. MVRETI AD LEONARDUM MOCENICUM P.V. PRIMÆ Orationis Catilinariæ explicatio.

XIV.

SÆpe jam M. Tullius, antequam hanc orationem haberet, verba in senatu de Catilinæ conjuratione fecerat: ut vel ex eo perspicuum est, quod duodeviginti diebus ante, consulibus Resp. senatusconsulto permissa erat, quod ego ipsum admonere supervacaneum putassem; (est enim sanè quam apertum) nisi animadvertissem, multos magnosq; viros, non è recen-

recentioribus modò, sed etiam ex antiquis; quòd, quid quoq; tempore actum fuisset, non satis attentè considerassent, in errores quosdam minimè, ut arbitror, negligendos, in harum rerum explicatione incidisse. Mihi quidem ita videtur: Ciceroni imprimis ipsi maximam esse hisce in rebus habendam fidem: ut, si cubi ab eo cæteri dissenserint: homines eos fuisse, idcircoq; labi potuisse, arbitremur: secundum Ciceronem autem Sallustio, qui iisdem temporibus fuit: tum Asconio, qui ab eorum ætate non ita multum abfuit; Græcos autem Plutarchum, Appionem, Dionem magno esse adhibito judicio legendos. Nam ut hinc ordiamur, cùm conjurati, Catilinæ denuntiatione, in M. Porcii Leccæ domũ convenissent, repertiq; essent duo, qui se Ciceronem in lectulo suo interfecturos pollicerentur; tum demum ait Sallustius, rem ad senatum à Cicerone relatam; senatumq; decrevisse, ut darent operam consules, ne quid resp. detrimenti caperet. at id manifestò falsum est, siquidem, quæ nox consecuta est posterum diem nonarum Novemb. ea nocte coitionem illam in M. Porcij domum factam esse, constat ex oratione pro Sylla. jam autem sedecim, minimum, dies erant, cùm illa senatus auctoritas intercesserat; ut ex hac ipsa oratione liquidò cognosci potest. Illud quoq; non minus falsum est, quod idem Sallustius prodidit, cùm aut hanc orationem Cicero, aut aliam quampiam habuisset, certè quidẽ aliquot diebus post commissam consulibus remp. Catilinam in eam vocem denique erupisse, ut diceret, si quod incendium in fortunas

suas excitatum esset: id se non aqua, sed ruina restincturum; id enim jam pridem, id est, aliquot diebus ante comitia consularia, Catoni judicium minitanti ac denuncianti Catilina respondérat, quod ipse Cicero in oratione pro Murena testatum reliquit. Quod si Sallustium ipsum, & accuratum cum primis hominem, & illorum temporum æqualem, tamen alicubi lapsum videmus: exacuenda profectò nobis ingenii acies est: neque ut quicquid à quoq; veterum proditum fuerit, ita protinus recipiendum est: sed conferenda alia cum aliis, & ad Ciceronis præcipuè auctoritatem, tanquam ad Lydium lapidem singula diligenter examinanda. Nunc ad rem. Dicta est hæc oratio à Cicerone consule, senatum habente in templo Iovis Statoris, VI. Id. Novemb. ut infrà probabitur, qua quidem oratione ostendit, patefacta jam esse omnibus scelerata Catilinæ adversus remp. consilia: ipsiq; suadet, vel potius imperat, ut ex urbe exeat, quo & civitatem liberet metu, & ipse se liberius hostem P. R. profiteri queat. Genus igitur causæ judiciale non est, ut falsò Celius Curio putat. non enim in senatu judicia exercebantur, sed ne deliberativum quidem est, quid ita? quia enim non deliberat Cicero, neq; sententiam dicit, neq; aut suadet quicquam senatui, aut dissuadet: sed Catilinam increpat, objurgat, exagitat, jubet denique, ut cum reip. salute, sua verò peste ac pernicie ex urbe proficiscatur. Quid igitur? fatendum profectò est, non omnes Ciceronis orationes, nedum omnia quæ ab oratore tractantur, ad tria illa pervulgata causarum genera posse revocari. Ipse autem orationis

ραντὸς plenus est δεινότητος, γοργότητος, σφοδρότητος, μεγαλοπρεπείας, itaq; quæcunq; de illo genere à veteribus prodita sunt, ea hîc mirabiliter observata reperiemus.

* gravitatis, celeritatis, vehementiæ, magnificentiæ &c.

M. ANT. MVRETI AD LEONARDVM MOCENICVM, P. V. SECUNDÆ Orationis in Catilinam explicatio.

XV.

Cum multa sunt alia, quæ in veteribus dicendi magistris admirari, &, liberè ut loquar non satis probare soleo, Leonarde Mocenice: tum illud in primis: quod iidem homines & multò longius, quàm par erat, fines oratoriæ facultatis protulerunt, & eandem postea multò breviore, multòq; angustiore, quàm ipsius natura fert, ambitu, qualiq; gyro concludere, ac constringere voluerunt, nam cum ita latè patere oratoris officium tradidissent, ut ex omni artium numero nullam relinquerent, qua non instructum esse eum, atq; ornatum oportere dicerent; neq; præclarum illud nomen eloquentis cuiquam tribuendum putarent, nisi qui idem & grammaticus esset, & dialecticus, & earum rerum quæ in naturæ obscuritate positæ sunt, intelligens, & gubernandæ Reip. & gerendi belli peritus: eundemq; esse vellent & musicum, & geometram, & arithmeticum, & astrologum, & medicum, & architectum: nulla ut res esset cœlo, terra, mari, de qua non ille copiosissimè disputare, atq; ornatissimè

Requisita perfectæ Oratoris.

NB.

tissimè posset: iidem postea, tanquam illius tanta libe-
ralitatis sua pœnitentes, quasi angustissimo quodam
ergastulo, ita tribus caussarum generibus totam illius
tam latè patentem, diffusamque vim coërcuerunt, in
quibus illud primum est, quod admirer: si quis Eu-
clidis, Ptolomæive scripta nunquam legisset, cui tan-
dem impedimento id ei ad dicendum putarint fore:
aut qui minus eloquentem futurum, si qui nunquam
neque cantare, neque saltare didicisset. nam si quod
aliquando accidit, ut C. Sulpitius, de lunæ defectio-
ne differens, exercitum L. Pauli confirmaret, idcirco
astrorum rationem oratori esse necessariam dici-
mus: & quia de faciendis portubus, architectum;
quia de livoribus, & tumoribus in corpore interdum
aliquid dicit, medicum esse eum volumus: eadem ra-
tione dicamus sanè, debere eum bonum coquum esse;
bonumque sutorem: quod in tanta rerum varietate
accidere aliquando possit, ut de cibis ei sit aliquid
calceamentisque dicendum. Magnum verò oratori
negotium imponimus: siùt ei aliquid in sermone de
huius aut illius artis instrumentis, operibúsve, aut
de ipsa etiam efficiendi ratione occurret: ita eum
mittemus ad magistros, &, nisi quam artem didice-
rit, nunquam de ea verbum unum facere patiemur,
ac profecto si ista omnia in oratore sunt, mirum est,
cur non ad canendum tibiis, ad obliganda vulnera,
ad ædificanda navalia, diserti homines adhibeantur,
& cur non oratoribus respub. tanquam Delphicis cla-
diis ad omnia, quæ sunt in civitate necessaria, uta-
tur. Est autem operæ pretium cognoscere, quo potissi-
mum

mùm argumento istud glorioſum dogma confirment. De omnibus inquiunt, rebus dicere, oratoris officium eſt. non poteſt autem quisquam ea dicendo tractare, quæ cognita perſpectáque non habeat, omnium igitur artium ſcientiam animo comprehenderit, oportet, is, qui oratoris munus ſuſtinere meditetur. O plumbeum, ut dicitur, pûgionem! quis enim hoc tibi conceſſerit, niſi quem iſta magnorum nominum infatuaverit auctoritas, omnibus de rebus oratoris eſſe officium dicere? Sophiſtarum hoc fuit, ponere jubere quod quisque vellet: quod nemo unquam, qui orator haberetur, factitavit. Quando autem poteſt accidere, ut orator dicere debeat, quadrari poſſit circulus, necne poſſit, aut ecquid ullam habeat quadrati latus cum diametro proportionem? At hæc ipſa ſi tractanda ſuſceperit, multo tractabit ornatiùs, quàm ipſi artifices ſolent. Sanè verò mortuos, credo, excitabit, & multis rebus ſermonem dabit, & ſimiliter cadentibus ac ſimiliter deſinentibus canorum numero ſamqúe efficiet orationem: facilegúe, ſi id facere voluerit, effugiet, & riſus hominum & inſaniæ famam. Conſputaretur me hercule, ut opinor, & ſaxis lutoqúe peteretur, ſi quis in corona tractandis eiusmodi rebus ornatum ullum adhibere oratorium vellet. De juſtis, injuſtis, utilibus, inutilibus, honeſtis, turpibus, dicere oratoris officium eſt: non de quadratis, & circulis, de cônis, & pyramidibus diſputare. Itaq; practerè Ariſtoteles, ut ſolet, Rhetoricen in iis modò verſari ait, περὶ ὧν τὰς μὲν ἐνχωρῶ, καὶ περὶ ὧν ἐλλόγως. iis videlicet in rebus, quæ ſunt in communi quadam

dam intelligentia positæ : & de quibus, nemo est, qui non natura duce, utcunq; judicare se posse confidat, hoc enim planè mihi quidem innuere videtur, cum ait, illam esse περὶ τοιούτων τινῶν ἃ κοινὰ τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν. Deinde, si maximè oratori accidere interdum posse fateamur, uti iis de rebus verborum aliquid faciat quæ ad alias facultates, aut scientias pertinent : non tamen ex eo efficietur, ut oratoris nomen tuendum necessaria sit omnium artium cognitio. Ac mihi cogitanti, quæ tandem istius erroris origo esse potuerit; ut aliarum multarum stultissimarum opinionum : ita huius quoq; videntur Stoici principes, quasi procreatores fuisse, qualem enim illi suum sapientem esse dixerant, qui solus formosus esset, solus liber, solus rex, solus dialecticus, solus eloquens, solus denique omnia, ut etiam, quamvis nunquam soleas fecisset sutor, tamen esset inprimis bonus : talem prope isti præclarum illum suum è Platonis rep. oratorem effinxere, quam vanitatem secutus Vitruvius, multo ille quidem modestius, sed tamen aut talē, aut certè non multò alium architectum informavit, atq; illi oratorem fecerant, quod idem non tantùm in poeta, aut in imperatore facile probari queat : verùm etiamsi ad istud exemplum progredi, & omnes artes paulatim commiscere libeat, eò tandem, diis juvantibus, veniemus, ut bonum musicum esse oporteat, qui bonus cerdo evadere cogitet. Sed ut mittamus cetera illud certè convenire nullo modo potest, ut & omnibus de rebus dicere sit oratoris : & totum illius officiū contineatur tribus causarum generibus, demonstrativo, deli-

deliberativo & judiciali, neq; verò mihi quisquam Aristotelis hoc loco auctoritatem objiciat: nam ille primùm non, ut isti, omnia quæ in rerum natura sint, oratori ad dicendum subjecta esse voluit: deinde multò verius, multoque sapientius locutus est: non enim tria genera causarum aut controversiarum, sed τρία εἴδη τῆς ἐντοσικῆς, aut τρία μόρια λόγων τῶν ἐντοσικῶν dixit, quod si quis putat idem cum illo altero esse, longè errat, ego autem, si quis quærat ex me, quo in genere causæ, aut controversiæ sit ea oratio, qua quotannis olim eos, qui pro patria occubuerant, Athenis laudari mos erat, planè respondebo, in nullo; nulla enim ibi neque causa, neque controversia est: neque quicquam de quo quisquam controversetur, & tamen ea Platonis Aristotelisque doctrina verè dici potest, esse λόγον ὀνδεικτικὸν ἐντοσικῆς λόγου. Tu verò qui oratorem Hippiam quendam πανσοφον facis; quæro ex te, cum de corporum cœlestium motibus, de fulguribus, de terræ motibus disputabit: (quando hæc quoque ad munus illius pertinere vis) in quo istorum trium generum eum versari dices? neque enim tum laudabit, neq; vituperabit: neque suadebit, neque dissuadebit: neque accusabit, neque defendet, ac ne longius exempla repetamus: (tempus est enim, ut, his omissis, ad ea veniamus, quæ instituto nostro adjunctiora sunt) hæ in Catilinam orationes, præter postremam, quæ sanè deliberativa dicatur, sub nullum ex illis tribus generibus includi queunt, non sub judiciale: neque enim habentur in judicio, non sub demonstrativum: nam in demonstrativo sola audientium volu-

voluptas quæritur: totumq; illud genus ad pompam, & ad ostentationem comparatur, non sub deliberativum: in priore enim ut vidimus, nulla deliberatio est: quin id tantùm agebat Cicero, ut exiret Catilina, quo ipse postea cum senatu deliberare de repub. posset. neq; enim præsente eo deliberare, aut decernere utile fuisset, hac autem, quam nunc explicare aggredimur, itemque tertia, nihil aliud agit, quàm ut exponat populo ea, quæ gesta sunt, eumq; confirment, ac benè sperare jubeat. ne quæramus igitur, hæ orationes quo in causæ genere sint, aut in quo statu; sed ista relinquamus iis, qui eò progressi sunt stultitiæ, ut editis libris, non tantùm in epistolis Ciceronis, verùm etiam in Comœdiis Terentii & genus causæ, & statum requirant. Nunc Ciceronem ipsum audiamus.

M. ANT. MVRETI AD LEONARDVM MOCENICVM, P. V. TERTIÆ IN Catilinam orationis explicatio.

XVI.

ADmirabilis quædam, ac prope divina vis est, Leonarde Moconice, hominis eloquentis: meritoq; sapientissimus poëta scripsit Euripides, nihil esse quod ferro, quin id eloquentia confici possit. Quòd si unquam ullum tempus fuit, cùm id manifesto perspici posset; tum profectò apertissimè declaratum est, cum sceleratas Catilinæ in patriam machinationes, nefariaq; consilia fretus eloquentiæ viribus Cicero dissipavit, ac mihi quidem sæpenumero in summos homi-

nes,

nes, quos Romana olim respublica plurimos protulit, « incuenti, aliorumq; facta cum aliis, quàm possum, ac- « curatissimè conferenti prorsus ita videtur, plus uri « Ciceroni urbem Romam, quàm omnibus, quotquot « bellica virtute fines protulerunt imperii, debuisse. « nam ut in corporibus nostris externum calorem, ex- « ternumvé frigus propulsare ac defendere facile est: ubi autem intus contractum frigus aut venis ac vi- sceribus conclusus calor labefactat eas partes, quibus vita præcipuè continetur, remedium ei malo adhi- beri, nisi ab homine perito atque exercitato, non pot- est: sic in ratione gerendæ reipublicæ debellare ho- stes externos, & quod illi mali civibus tuis molieban- tur, id in ipsorum capita convertere, si minus facile est, cuiusmodi tamen est, ut humanis viribus effici posse videatur: at ubi ipsæ inter se dissident reipu- blicæ partes, & quidem ita dissident: ut quibus in- tota civitate plurimum animi, atque audaciæ est, ij conjuncti ac consociati inter se obstinatissimo animo, pestem cæteris, atque exitium machinentur: Deum profecto Mocenicè, Deum quendam, non hominem, esse oportet, qui in tanto, tamque ancipiti discrimine statum civitatis integrum, atq; incolumem præstet. ea verò laus cui potius, quàm Ciceroni, tribuenda sit, « neminem video, unus enim latentem adhuc atque oc- « cultam conjurationem singulari providentia, vigi- lantiaq; deprehendit, ac protulit: manantem, serpen- temq; paulatim longius, compressit: fractos ac debili- tatos metu propter inusitatam periculi magnitudi- nem civium animos confirmavit; indormientem

tan-

tantis rebus excitavit senatum: eadem voce & securitatem bonis, & terrorem improbis attulit: collegam suum labe conjurationis infectum, sponte depositâ, oblatâque illi provincia, ad bonas partes adduxit, & ut quæ sanari poterant, summo adhibito studio sanare conatus est, ita quæ insanabilia videbantur, ea, omni periculo, atque omni invidia pro nihilo habita, animosè ac fortiter amputavit. itaque earum rerum ergo, primus meritissimo eum honorem consecutus est, ut pater patriæ diceretur. Ac si quis est, qui horum
» præstantissimorum operum laudem ab eloquentia
» removens, ad alias quasdam virtutes referre malit:
» ut ei nos illud dabimus, nunquam hominem quamli-
» bet in dicendo copiosum, atq; ornatum, hæc tam pre-
» clara effecturum fuisse sine aliis plurimis, maximisq;
» virtutibus: ita ipse, nisi valde iniquus sit, nobis hoc
» concedat, necesse est, nunquã hæc tam feliciter à quo-
» quam dirigi gubernariq; potuisse cui cæteris instru-
» cto animi bonis graviter ornatéq; dicendi facultas
» defuisset. Hanc ego ad facultatem Mocenice vias cõ-
monstrare conor iis, quibus in hac urbe cordi sunt ho-
nestarum artium studia. Nam etsi non sum ita ne-
» scius mei, ut eloquentem esse me putem: tamen, quòd à
prima ætate dedi me studiosè ad exercitationem di-
cendi; & magna cum cura pervolutavi eorum scri-
pta, qui aut diserti fuisse ferebantur, aut ea præce-
pta libris suis cõplexi esse, quibus orationis copia pa-
raretur: videor posse, quò ipse non pervenerim, nihil-
ominus, eò qua perveniendum sit, aliquo modo indi-
» care. Certè quidem sedulo præsto, quod possum, &

quod

quod mihi senatus auctoritate munus injunctum est, ei ut ne desim, viribus opibusq; omnibus elaboro. quoniam autem multi sæpe ita mecum egerunt primarii homines, ut dicerent, se cupidos quidem esse cognoscendi ea, quæ à me dicerentur: sed ne ad me tam sæpe, quàm vellent, frequenter venirent, ventitarent, negotiis impediri, si subsecivi temporis aliquid sumerem ad ea ipsa, quæ quotidie traderem, mandanda literis, gratum id multis atque optatum fore: morem illis hac quoq; in parte gerere volui: & ad meos priſtinos labores hoc quoq; scribendi onus adjeci. Quod utinam tam utile sit aliis, quàm à me, solo obsequendi amicis desiderio, sine ulla ambitione susceptum est, quanquam enim non eam me sapientiam consecutum præ me fero, ut gloriam spernam: tamen ea nostris temporibus copia est vel eruditorum hominum, qui meis luminibus obstruant: vel malevolorum, qui omnem judicii laudem in vituperandis aliis positam putent: ut judicaturus sim, mecum præclarè actum, si ita caream gloriæ fructu, ut ne obtrectatorum quidem aculeos sentiam.

Nunc, quandò de quatuor Ciceronis in Catilinam orationibus duas interpretati sumus, pari duas reliquas studio persequemur.

M. AN-

M. ANT. MVRETI AD LEONARDUM MOCENICUM P. V. QUARTÆ Orationis in Catilinam explicatio.

XVII.

» SI præmiis tantùm, Mocenice, & iis præmiis, in quibus præcipuam felicitatis partem vulgaris opinio constituit, ad benè merendum de humano genere præstanti homines ingenio adducerentur: multos, ut opinor, & certè, ab instituto virtutis itinere animadversa superiorum ætatum exempla revocarent. nam, si replicare memoriam temporum, & antiquitatis monumenta excutere velimus; deprehendemus, neminem (nonnullos dico) quaquaque in republica eos ferè, quorum plurima in eam extabant, maximáque beneficia, omni scelere laceratos, omni crudelitate raptatos, omni acerbitatis genere divexatos fuisse. quod quamvis ita exploratum est & tibi & iis omnibus, qui operæ aliquid in antiquitatis cognitione posuerunt, vix ut confirmationis indigeat: tamen, ut, si qua esse potest, dubitatio eximatur, aliquot, quæ mihi nunc in mentem veniunt, illustria eius rei exempla subjicam. Prima autem in hac cogitatione occurrunt illæ omnium laudandarum artium, ipsiusque adeò humanitatis parentes Athenæ: quam optimis studiis deditam, refertam assidue, atque, ut ita dixerim, fœtam eruditissimis hominibus civitatem cui unquam insigniter adjuvare, impune licuit? non illa Miltiadem, » Cimonem, THEMISTOCLEM, ARISTIDEM,

DEM, Æschinem, Demosthenem, quorum omnium summis erat usa beneficiis, in exilium pepulit? non illud probitatis, modestiæ, integritatis, sapientiæ specimen Socratem veneno necavit? & constituto adversus impios, ac prave de rebus divinis sentientes supplicio eum potissimè affecit: qui unus ex omnibus ad veram Dei cognitionem proximè accesserat? sed Romana respub. quanto ceteras omnes magnitudine virium, atque imperii amplitudine superavit; tanto majorem nobis, atque ampliorem hujus generis exemplorum copiam submministrat. cujus in historiam quisquis ingreditur, is in ipso quasi vestibulo ipsum illum urbis parentem Romulum senatorum manibus crudelissimè discerptum, ac dilaniatum videt. quòd si tam horrendi facinoris immani atrocitate spectata, intrò tamen ire perrexerit, non longè progressus, obvium habebit Collatinum, ob inanem popularis suspicionis auram, in exilium proficiscentem ea ex urbe, quam ipse magna ex parte dominatu regio liberarat. Atque ut Coriolanum tacitus pretereat, Marcum certè Camillum, haud facile dixerim, militarine virtute, an fide, justitiáque majorem, & mirabitur, & miserabitur eadem calamitate perculsum. Scipionem verò illum, de quo verè scripserat Ennius, nullam ei statuam, nullam columnam à populo Romano erigi posse, quæ magnitudini rerum ab ipso gestarum responderet: quis est, qui cùm intellexerit eo post tot tamque insignes victorias redactum, ut exilium sibi suapte sponte consciverit, non debilitetur, ac concidat animo; planeq; judicet nullam iis artin-

gendam esse reip. partem, qui commodo ac tranquillitati suæ consultum velint? Quid jam illos turbines, illas procellas, illas tempestates civilium dissensionum commemorem? quibus non unus aut alter præclarus & salutaris reip. civis perculsus est: sed ipsi acervi, ipsa millia immortalitate dignorum hominum nefariis conscelleratissimorum latronum manibus trucidata jacuerunt. O acerbum illud, ô vel Romani nominis hostibus miserabile spectaculum, cùm passim per vias immanium gladiatorum in principes civitatis debacchabatur furor: cùm qui aliquando reip. præsidia fuerant, eis nullum in civitate præsidium reperiebatur: cum quorum eloquentia ipsis gloriæ, aliis admirationi, reip. saluti fuerat, eorum ex illis ipsis Rostris, è quibus tam sæpe concionati erant, incisis cervicibus, capita sanguinolenta pendebant. Sed ut hæc mittamus, quibus satis dolenter deplorandis, alii cuius eorum, qui tunc occubuerunt, opus esset ingenio: Ciceronis casus, totiusq; vitæ jactatio quem non, quiin juvanda patria commodum suum, aut aliquod eiusmodi præmiũ sequatur, à reip. tractatione deterreat? cuius enim unquam hominis vel plura vel majora merita populus Rom. habuit? at ille tamen, cui senatus togato supplicationem decreverat: quem Q. Catulus, princeps senatus, quem M. Cato, quem multi alii parentem patriæ meritissimo vocaverant, cui L. GELLIVS coronam civicam à repub. deberi dixerat, quid non postea calamitatum, indignitatum, acerbitatum in ea, quæ ipsius consilius stabat, civitate perpessus est? ipse in exilium ab homine deterrimo pulsus, direpta

repræ bona, vexata uxor, vexati liberi, domus incensa: quicquid denique meruerat CLODIVS, CICERO pertulit: & eas ob ipsas res pertulit: quibus nulla satis ampla præmia poterant inveniri. Quocirca si sola, ut initio dixi; præmiorum exspectatione præclari viri ad virtutem, & adjuvandum genus hominum adducerentur: multi sine dubio, cognitis aliorum casibus, à proposito abducerentur. Sed est profecto Mocenice, est major quædam vis, quæ tibi, ac tui similibus persuadeat, virtutem non modò detractis omnibus præmiis, verùm etiam propositis omnibus suppliciis, expetendam: pulchrum esse adjuvare cives suos, & omnes curas, omnes cogitationes, omnes vigilias in reip. salute defigere: nullum eius caussa periculum, nullam invidiam, nullam dimicationem defugere: cives beneficiis affecti si quid præmiorum retulerint, non repudiandum, sin parum grati, parumque memores fuerint, quid denique nos reip. non quid alii nobis debeant, cogitandum. sæpe enim ex te audivi cum diceres, gratulari te tibi, & magnã gratiam debere omniũ rerum moderatori Deo, quod eã in rep. natus esses, in qua verendũ nõ esset, nõ modo ne quisquam ob virtutẽ in invidiã vocaretur, sed ne vel minimis in remp. beneficiis sua præmia denegarẽtur: sed tamẽ si vixisses illis tẽporibus, & optionẽ tibi Deus tulisset, Ciceronis fortunam ab urbe cõservata exulantis, fortunæ Cæsaris, in eadẽ oppressa dominãtis antepositurum fuisse. Ac planè ita est, ut dicã, gratuita = prorsus, nõ mercenaria est virtus: neq; præmio-

miorum mercedibus ad rectè agendum excelsos homines ingenio, sed ipsa dignitate atque honestate ducuntur: aut si quando de aliquo præmio cogitant: de gloria, deque immortalitate nominis cogitant: cuius splendore capti & incensi, omnia quæ aspera, molesta, difficilia perpessu, impatibilia creduntur, vel non sentiunt, vel despicatui ducunt, neque verò M. Tullius, cùm de conjuratis supplicium sumeret, non jam tum cogitatione præcipiebat eas tempestates, quibus postea vexatus est. Sed animus & à natura præclarè conformatus, & sapientiæ præceptis adversus omnes vel fortunæ, vel hominum injurias confirmatus, multo pluris ducebat eam pulchritudinem, eamq; gloriam, quæ in conservanda patria esset, quam omnes acerbitates, quas ipsi postea perditorum hominum inflammata odio rabies objicere posse videretur. Hanc ipsius rationem ac sententiam fuisse, cùm alia multa, tum hæc, quam explicare ingredimur, oratio manifestò declarat.

Præclara laus Ciceronis, de conservanda Repub.

M. ANTONIUS MURETUS S. P. D. ADRIANO TURNEBO.

XVIII.

Cum ex Italia, octavo post anno, in Galliam mihi esse redeundum viderem, judicavi fore, ut mihi vitio verteretur, si ex regione copiosissima, & bonis omnibus abundantissima, in qua tot annos versatus essem, redirem ad meos, inanis aliqua re exquisitâ & visenda, qua possem *ἀντιφιλοφρονεῖν eos, qui tam longo in-

*Vicissim amanter complecti, gratificari

go intervallo, salvum venisse, ut fit, gratularentur. Quanquam igitur toto peregrinationis meæ tempore studiosissimè feceram, ut veteres bibliothêcas, quæ illic plurimæ, ac pulcherrimæ sunt, excuterem, bellissimum quodque, quod suo tempore ad usum hominum depromerem, conditurus: tamen ultimis illis diebus, quibus Romæ fui, majori etiam studio ad eam rem incubui: insita & usitata hominibus consuetudine, ardentiori affectu tractandi atque amplectendi ea, quibus se paulò pòst carituros vident. Sæpe autem audiveram commendari ab hominibus eruditis volumen quoddam perantiquum Philippicarum M. Tullii, quod asservaretur in bibliotheca Vaticana, non in majore quidem illa & augustiore, quæ Pontificum beneficio, quotidie ferè statis horis patere ad cõmunem studiosorum omnium utilitatem consuevit: sed in abdita quadam, & non ita omnibus pervia, quæ à sacerdotibus D. Petri superioribus annis concinnata, postea, sive negligentia hominum, sive fraude, exhausta prope jam exinanita esset. sed anxium me ac solicitum habebat, quòd cùm antea multa per me, multa per amicos expertus essem, ut eum librum inspicere, eoque triduum aut quatriduum arbitratu meo uti possem: nunquam successerat: semperque casus aliquis, cùm jam jamque id quod optabam consecuturus viderer, conatus omnes meos eluserat: statui tamen, antequam ab incœpto desisterem, semel etiam experienda omnia esse, &, quasi munitam aliquam arcem diu frustrà obsedissem, prius quam re infecta discederem, omnibus simul machinis, omni-

bus operibus ad murum admotis tentandam irruptionem. quid quæris? puncto temporis obtigit quod totum propè biennium ne quicquam optaveram, non modo enim mihi eximium illum librum inspicere licuit, quod ego ipsum posuissem in magni beneficii loco: sed etiam permissum est, ut eum mecum auferrem, domique haberem, data prius fide, eum, quod longissimum esset, ante septimum diem redditum ac restitutum iri. Tum verò, tanquam longo tempore collectam sitim explere cupiens, ita eum avidè pervolutare, & cum iis qui ab eruditissimo ac diligentissimo viro Hieronymo Ferrario emendati erant, conferre cœpi, ut me, quanquam graviter ægrotare cœperam, non valetudinis ratio, non cibi potionisvé necessitas, non ille ipse omnium domitor (ut eum poëtæ Græci vocant) à tã dulci occupatione posset somnus abducere, præclarè autem mihi constitit operæ meæ fructus, non enim facile crediderit quisquam, quàm multa in his orationibus mutila, quàm multa temerè addita, quàm multa corrupta ac depravata legerentur in omnibus aliis libris, quæ huius ope expleta, resecta, sanata, & integritati suæ restituta sunt. Librum autem ipsum credo equidem ante hos septingentos annos exaratum esse. quod & ipsa literarum conformatio ostendit plerisq; locis gemina quæ in Pandectis Florentinis, & in Terentio Petri Bembi visitur: & scribendi ratio, quam ὀρθογραφίαν vocant, eadem plane in iis, quos modò nominavi, libris & præterea in antiquissimo illo epistolarum Ciceronis, cuius exemplum ab hinc triennium divulgavit P. Victorius.

quam

quam quidem cùm ex aliqua parte exprimendam curaverim, non tamen sum ausus perpetuò id facere, ne nimia illa novitas (siquidem nova dicimus etiam ea, quæ cùm vetera sint, diu ab oculis & ab usu hominum abfuerunt) lectoribus & moram objiceret, & molestiam pareret. Ut taceam, quod quædam in eis libris inesse judico errore potius, & vitio illorum temporum, quam ratione, & auctoritate superiorum recepta. cuius generis sunt emptus, sumptus, & similia per literam p. in quo immoderata fuit ætas illa, cum sollempnia, & sompnum, & temptare, plerique omnes tum scriberent. Sed & illud ex eodem forte fluxisse puto, quòd literas multas inter se commutabant: cum apsum, & aptineo, contraq; scribtura, & obtare, sæpe in eorum libris legatur. in eundem numerum inclusevirm, avieris pro abieris: & Bolumina pro Volumina, eiusdemq; generis innumera. Nam illud quale esse dicam, nescio, quòd lathrones, & lathrocinia prope semper scribebat is, cuius manu ille Philippicarum liber scriptus est. Ne illa quidem exprimenda duxi, adficere, adponeret, conligere, conlega, inlustris, & talia, aut ænum, relicuum, locuntur, cottidie: quæ tamen non eiusdem generis, cuius illa, esse duco: aut illa, immemoriam; pro, in memoriam, summast, pro summa est, & similia; etsi hæc quidem non planè aspernanda censeo. At hæc læviora sunt: illud majoris momenti: quòd locos amplius trecentos in omnibus aliis libris depravatos, à nobis emendatos videbit, quisquis hanc editionem cum aliis conferre voluerit. Tibi autem

Adriane Turnebe, vir optime & doctissime, hunc laborem meum inscribere quasi, consecrare placuit, tum, ut extaret monimentum aliquod veteris amicitiæ nostræ, tum, ut liber ipse hoc nomine studiosis omnibus gratior ac commendatior foret. Et sanè sive quærendus erat amicus de me bene meritus, cui hoc munusculum daretur, neminem ordinis nostri videbam, cui plus deberem: sive deligendus judex, qui de his rebus existimare unus omnium optimè posset, nullum reperire poteram, cui justius id deferretur, quàm tibi. Non enim aut obscurum, aut ambiguum est, inter omnes, qui hodie literas tractant, ad quem ex hominibus nostris primæ sine controversiâ deferantur. Vale, meq, ut facis, amare perge. LUTETIÆ. Idibus Mart. Anno M.D.LXII.

M. ANTONIUS MURETUS S. D. PAULO SACRATO SUO.

XIX.

EX omnibus veterum scriptorum monumentis, Paule Sacrate, nulla petius ab hominibus imperitis, ac temerariis flagitiosiusq, tractata sunt, quàm ea, quibus jus civile populi Romani continebatur. Nam cùm extitisset antiquitus magna quædam vis hominum eruditorum, qui leges, Senatusconsulta, plebiscita, edicta magistratuum & urbana & provincialia tum copiosis & uberibus, tum mundissimo ac nitidissimo orationis genere scriptis commentariis illustrassent: jamque immensi operis videretur eorum

eorum omnium scripta pervolvere: arduum etiam & difficile in crebris, ut fit, eorum dissensionibus, quid optimum ac verissimum esset, judicare: ei malo mederi cupiens Imperator Iustinianus, negotium Triboniano & aliquot aliis dedit, ut ex eorum scriptis ea tantùm exverperent, quæ utilia essent, quæque in judiciis obtinerent: quæ cùm in unum corpus, resectis cæteris, ordine digessissent, sola deterrentur studiosorum manibus, eisq; laborem minuerent ac levarent. At illi hac potestate accepta, non ut ille Horatianus agricola, qui inutiles ramos falce amputans feliciores inserit, sed ut milites accepto signo ad oppidum aliquod diripiendum ac deprædandum, per medium jus civile grassantes, & ut quidq; obvium erat, lacerantes, mutilantes, trucidantes, brevi tempore exhibuerunt nobis veteres jurisconsultos instar Deiphobi, laceros crudeliter ora, ora manusque ambas: quamque disciplinam perpurgandam ac perpoliendam susceperant, eam ita deformarunt ut vix ulla amplius eius imago superesset. Quam enim hanc infelicitatem esse dicemus, quòd, cùm hodie jus ex legibus, senatusconsultis, plebiscitis, edictis magistratuum, constitutionibus principum, responsis prudentum constare dicatur, hodie in libris juris nulla lex exstet, nullum senatusconsultum, integrum saltem & ὁλόκληρον, nullum plebiscitum: edicta perpetui paucæ quædam, ut ex naufragio, tabulæ, ipsæ principum constitutiones multis locis decurtatæ, & ἀκρωτηριασμένα, prudentum autem scripta ita distracta, dilacerata, divulsa, ut in eis vetus illa

Hippolyti fabula renovata videatur. Itaq; hodie non
» aliter jus civile discere cogimur, quàm si sublatis &
» extinctis omnibus Aristotelis, & Aristoteleorum in-
» terpretum scriptis, fragmenta tantum quædam repe-
» rirentur, è variis Alexandri, Themistii, Simplicii,
» Philoponi, & aliorum decerpta commentariis, ex qui-
» bus ut cumq; in communes locos digestis Aristoteleam
» Philosophiam discere juberemur. Accessit aliud mul-
to etiam perniciosius & exitiosius malum. Nam, cùm
superioribus sæculis, Dei permissu, densissima quadam
caligine animis hominum offusa, omnes propemodum
bonæ artes oppressæ ac sepultæ jacerent, extiterunt in
» illis tenebris homines audaces ac præsidentes, qui nul-
» la Latini sermonis intelligentia, nulla veteris reipu-
» blicæ Romanæ cognitione, cùm dialecticam sine qua
nihil rectè atq; ordine tractari potest, aut non attin-
gissent, aut ita attigissent, ut non attigisse præstaret:
politicen autem, unde omnia juris principia ducun-
tur, ne per somnium quidem aspexissent: arrepta, ut
inter cæcos, juris interpretandi provincia, verbosissi-
mis & insulsissimis commentariis illas qualescunque
veterum prudentum reliquias onerarunt, & ita im-
posuerunt humano generi, ut hoc quoq; politissimo &
eruditissimo sæculo judicia tamen plerisq; omnibus in
locis ad eorum somnia dirigantur, & ex eorum indocta
doctrina exerceantur. En quo magnifica illa Iustinia-
ni promissa ceciderunt? ut quos ille, ad exemplum Di-
omedis Homerici, aurum pro ære accepturos esse dice-
bat, ii pro illo obryzo veterum auro scoriam, & si quid

ipsa fæce magis fæculentum est, acceperint: quosq; in illis floridissimis pratis Africani, Papiniani, Ulpiani & talium pasci oportebat, ii nunc in Bartoli, Baldi, & aliorum etiam sequioris notæ sordibus ac sterquilinis volutentur. Quosq; quidam inelegantes quidem & incultos, sed magno tamen ingenio & acri judicio præditos vixisse aiunt: de istoc videbimus: nam ne ego quidem eis ingenium adimo: nimis potius ingeniosos fuisse fateor: illud quidem certe negari non potest, cuius quis civitatis neq; linguam teneat, neq; formam, leges, mores, instituta cognoverit, eius jus civile non posse ab eo, quamlibet ingeniosus sit, commodè intelligenterq; tractari. Satis igitur magna gratia ijs haberi non potest, qui hanc caliginem discutere, & istis impostoribus personam, sub qua tamdiu hominibus illuserunt, detrahere conantur, ac perficere, ut quemadmodum cæteræ omnes disciplinæ à teterrimo Barbarorum dominatu liberatæ nitorem ac splendorem suum his temporibus receperunt, ita disciplina juris tandem aliquando in pristinam restituatur dignitatem. Tales & nonnullos Italia protulit, & longè plurimos Gallia. Quorum ego vestigia pro virium mearum modulo persequens, totum illud quadriennium, quo libros Digestorum in hac urbe interpretatus sum, dedi equidem operam, ut quotidie plurima istorum, qui tanti in vulgus fierent, ac fœdissima errata detegerem: & ingeniosorum adolescentum animos ad meliora converterem: effecissemq; omnino aliquid, nisi hominum nudari subsellia sua & cornicum oculos configi dolentium conquestio-

quæstiones obstitissent. Cogito autem, si & vita superexit, & otii aliquid contigerit, ea quæ tunc è superiore loco dixi, colligere, & quoniam multos id cupere video in publicum emittere. Ideoq; nunc exiguam quandam ad te eorum particulam mitto: quam tu, si tanti videbitur, istic edendam curabis, & suo multis mihi nominibus carissimo nomini dicatam in vulgus exire patieris. Cupio enim, Sacrate vir optime & humanissime, & magno illo Iacobo Sadoleto avunculo tuo dignissime, pro plurimis, ac suavissimis officiis erga me tuis aliquid tibi vicissim rependere, ac perficere, ut amicitiæ, quæ mihi tecum viginti jam annos & eo amplius, sine ulla offensione intercessit, & ut spero, ad extremum usq; spiritum duratura est: monumentum aliquod apud posteros exstet. Tu, ut soles, munusculum hoc non ex sua, sed ex animi mei magnitudine metieris. Vale, ROMÆ. Idibus Septemb. M. D. LXXX.

PAULUS SACRATUS CANONICUS FERRARIENSIS M. ANTONIO Mureto I.C. ac civi Romano præstantissimo viro S. P. D.

XX.

PRimum quidem maximas, ut debeo, atque immortales æterno ac præpotenti Deo gratias ago, habeoq; Murete præstantissime, cuius divino beneficio ad hoc usq; tempus perveni, quo mihi amplissimo illo atq;

atq; pulcherrimo munere jàpridem pro tua singulari in me humanitate mihi debito frui tandem liceat, tibiq; facultas fuit exoluendi promissum tuum, & fidem denig; tuam præstandi ac liberandi; Nam duo de viginti annos me summa in expectatione fuisse hujusce tuæ eximiæ in me liberalitatis, ex tuis ac meis literis, quas nuper edidi, liquidò perspici potest. Gaudeo deinde majorem in modum, neque ullis verbis explicare queo, quàm grata mihi atq; exoptata fuerit huius tuæ constantissime in me voluntatis declaratio: Nam præcipui tui erga me amoris quod illustrius indicium mihi ostendere potuisti, quàm cùm voluisti nomen meum illustrari abs te divinis scriptis ac celebrari tuis? Equidem egregium ac præclarum hoc factum tuum omnem mihi dicendi facultatem adeò eripuit, ut si parem etiam tuæ eloquentiam natura mihi dedisset, ne ad minimã quidem huius tanti erga me beneficii tui partem oratione assequendam aspirare unquam possim. Accedit etiam, quod nihil mihi ad felicitatem deesse puto, postquam me tali ac tanto monumento decorasti: Tuus enim suavissimus liber quæstionum plenus, refertusq; gravissimis sententiis, in quo mirum in modum excellentissimi ingenii tui atque admirabilis eloquentiæ vis elucet, in manibus doctissimorum virorum cùm versabitur, sicut ego jam totum bis percurri, quòd mea legendi ea inexhausta erat aviditas, nec satiari poterat; ubi te illi miris in cœlum laudibus extulerint, nonne beatum me prædicabunt, qui tanto amoris vinculo tecum astrictus fuerim, ut me immortalitati & hominum memo-

memoriæ sempiternæ tradere volueris? Sed quod in epistola ad me tua de Triboniano illo eiusq; sociis queraris & justè, quibus Iustinianus cùm mandasset, ut ex veteribus illis Iurisconsultis excerperent ea, quæ ad judicia accommodata essent, quæq; maximè utilia ac necessaria viderentur; illi tamen inimissi cum falcibus amputarunt, dilacerarunt, mutilaruntque: in eadem profecto sententia, Murete excellentissime, jamdiu sum, ac dum eram Patavii, me cum sociis illic meis de hoc tum sermonem habuisse sæpe memini, quibus etiam dicere solebam, si Cicero unus nobis superstes nō fuisset, linguam latinam ab illis viris gravissimis non esse petituros. Ac nimirum invidit ille tantis viris, quos imitari non valebat, ac Bartolo cæteris q; successoribus leguleis sermonem rudem, vulgarem, plebeiumq; nobis obtrudendi ansam dedit. Itaq; qui tantos librorum acervos capiat, vix jam videtur esse locus. In iis autem λῦμ. ☉ πολὺς, ut Iustinianum alterum desideremus. Verùm cùm satis jam veterum monumentorum interitum deploraverimus, si tepo- steri imitari voluerint, ut magnam in spem venio fore multos, qui exemplum tuum sequantur, non vereor ne non in pristinum statum leges brevi restituantur, ac suæ dignitatis splendorem obtineant: Primi quidem tui huiusce disciplinæ fructus uberrimi lectissimiq; quos pro tuo summo in me studio dicare mihi voluisti, omnibus viam monstrabunt, quam qui persequentur, non solùm indicabunt se adamare hanc excellentem juris civilis scientiam, sed & illius facile compotes fient.

* Lege multus

sient. Ego quoq; amicos meos omnes qui legibus ipsis studium suum dabunt, hortari non desinam, ut eandem semitam teneant, quibus etiam spondebo fore, ut eos instituti huius nunquam pœniteat. Quod reliquum est, cùm à te tam divino munere affectus fuerim, Murete humanissime, ut nihil unquam tale cogitassem, atq; ut te simillimo remunerari possim, præcisa mihi spes omnis sit, nihil enim suppetit præter voluntatem, quo me vertam, quid moliar, ut cæteri saltem me tibi animo gratissimum, ac tanti tamq; eximii & regalis doni memorem esse intelligant? Nempe tibi me pro tot ac tantis tuis in me meritis jamdiu obstrictum prorsus addicam, quem tibi fidelissimum in tua potestate habebis, ac quoad vixero, colere diligentissimè nomen tuum non desistam; Et quotannis tamen nonnulla tibi signa dabo κατὰ δύναμιν, ex quibus intelligas, tuæ nimiæ in me benignitatis nullam capere me posse oblivionem. Vale Muretc ætatis nostræ decus, ac te Deus Opt. Max. diutissimè servet incolumem, omnesq; cogitationes & actiones tuas perpetuò fortunet. FERRARIÆ. 7. Kal. Nov. M.D.LXXX.

AB. *pro Viribus.

M. ANTONIO MURETO
PAULUS MANUTIUS S.D.

XXI.

Mihi verò, ita vivam, etiam atq; etiã probatur, & cùm in quovis genere magnus omnino sis, in hoc maximè videris excellere. Planè (ut omittã reliqua)

qua) ingenii tui quasi quandam ἐξίστατο sum admiratus, ita concinnè, ita aptè facili quodam sententiarum nexu, rem ducis, donec ad ipsum pervenias: in quo te, ubi scis hærere multos, citra omnem adulandi suspicionem, summa explicas cum dignitate. Gratulor tibi de ista facultate, & eo magis, quod, si locis impertitur gloria, novum decus accedat ad Italiam nostram: in qua sedem, auctore atque auspice meuno ita locasti, ut cogitare nihil prorsus de migratione videaris, nec verò secus debes. valde enim ad litterarum elegantiam, planeq; ad omnem humanitatem tibi profuit hoc cœlum, è quo jam per quadriennium spiritum hauris. Itaq; noster eris perpetuo, mi Murete, si gratus esse vis: quod profectò vis: soles enim hanc virtutem prater cæteros efferre. Tibulli principium mitte; ut cum epistola conjungatur. Scholia, nòn dubito, te operam daturum, ut tua videantur. id est, lita luminibus ingenii, &, quantum res patitur erudita. Vale. VENETIIS.

EIDEM ROMAM.

XXII.

GAudeo, mi Murete, quòd profectò etiã me tacente existimas, te navare operam regibus, ingeniumq; tuũ, quod ego semper unicè dilexi, extuliq; laudibus, à tanto Pontifice, & ab universo Cardinalium collegio vehementer probari. Nã, si qui aliter sentiũt: quanquã quis est, qui aliter sentire possit? Veruntamẽ si qui fortasse reperiẽtur, quos livor impediat, quo minus

nus rectè ac sincerè judicare possint; de iis laborandum non erit: cùm te præsertim ille noster, quem sequuntur multi, sed ille præter cæteros, qui nobis quasi συντέκτης ξεύς debet esse, non mediocriter ornet, atque diligat. Hæc altera tua oratio priorem illam vel æquat, vel vincit, sententiarum, verborum, ordinis præstantia, quo in officio, ac munere cupio te pergere. Simul enim perges in expedita, maximeque directa gloriæ via, per quam processisti jam longissimè, nemine præcurrente, me favente plurimum. De tua in me benevolentia, cùm recordor meam, dubitare non possum, meum in te animum expertus jam es, eundem si esse nunc, & perpetuò futurum arbitraris, non fallam opinionem tuam. nam & mea non solùm consuetudo, sed etiam natura ita postulat: & tu perficies eas laudes, quarum principia me olim, exspectante id, quod præstare te nunc video, in tui amorem impulerunt. Habeo summas gratias, quas agi à te cupio, Archiepiscopo Beccatellio: eumque meo nomine, ut quàm licebit officiosè, quamque plurimum salutes, valde rogo: &, ut scribit ad amicos, floret honoribus in patria, carus Imperatori, jucundus omnibus, nôsti humanitatem & ingenium: doctrinam auxit à discessu tuo, quantum vix credas: itaque summa omnia de illo adolescente sperare nobis licet. Duareni obitu, de quo heri primum à Germano homine, qui ex Gallia recens venerat, accepi, damni plurimum in jure Civili factum est. equidem dolui vel tua causa, quod eum à te amari senseram, quanquam hac, si ferret humanitas prorsus dolenda non essent. quid enim

* consultor Jupiter.

proficimus? angi quidem gravius: neque communis
NB. eruditionis necessitas concedit: & vitæ commutatio,
brevissimæ cum æterna, miserrimæ cum beatissima,
valde vetant. Ego nunc, quod acceptum divinæ beni-
gnitati refero, quodq; tibi puto fore jucundissimum,
valetudine utor satis commoda, oculis quidē optimis,
quod aliquot annis non contigit. Itaq; cum otium non
ferrem, (scis enim me quiescere non posse) commenta-
rios in reliquas Ciceronis epistolas cœpi texere: &, ut
κεφαλαῖα initia sunt, prorsus industria non οὐ χ ετεμ. absolúi, ut
mihi quidem videtur, majorem partem, id est, tres
primos libros, &, extra ordinem, octavum in quibus,
κακοπαθῶ ut dixi jam, nisi me communis φιλαυτία decipit, non
videtur opera malè collocata. Habebis in clausula de
Petro Fabro, tuo dicam, an meo? ita me triduo cepit,
sibiq; devinxit ingenio, humanitate, prudentia. Planè
vixi, quamdiu mecum fuit: nec mediocri sum amore
discedentem prosecutus: nam tu, si nihil præterea mea
caussa velles, qui & vis, & egisti jam plurimum, ta-
men hoc uno munere, quod auctus per te sum tam or-
nati adolescentis amicitia, meis omnibus in te studiis,
quæ tu merita vocas, optimam gratiam retulisti. Vale.
VENETIIS.

HUB. GIPHANIUS M. ANTONIO MURETO VIRO ERUDITISSIMO S. D.

XXIII.

VEllem, Murete, V. C. ea esse tempora, ut literis
nostris liber esset commeatus: haberem fortasse,
de

de quibus te vel consulerem interdum, ut quendam velut παράνυμφον, vel ut amicus commonefacerem. Musarum doctorem. Nunc quæ sint vides, itaq; consilium cepi, quantum potest, temperare scriptionibus & literis, maxime ad longinquos. Quod tamen institutum ut jam migrarem, fecit Iacobus Zelenius, familiaris meus, cui hæc ad te dedi. Is enim in Italiam hinc profecturus, cùm magnoperè me rogaret, ut sibi ad te, quem jam diu colit, quasi viam & aditum munirem: amico optimo exiguum hoc literarum officium negare nec potui, nec debui. Eum igitur toto pectore tibi commendatum esse cupio, adolescentem, mihi crede, suavissimis moribus, & elegante doctrina expolitum, omnis, mq; doctorum hominum observantissimum, genus enim domi nobile, multisq; ad laudem insignibus viris clarissimum omitto. Commendatio adolescentis Iacobi Zelenii.

Exspectas autem fortasse & de Agellio nostro aliquid: Sed, & eum, & alia nostra remorantur, cùm occupationes nostræ cotidianæ, tum librariorum hoc in loco inopia. Iuris quoque Civilis in quo & explanando & respondendo toti versamur, quasi rigor, & Musæ, ut Poëta vetus eas vocat, severiores, sive ut Fortunatianus loquitur duriora juris scripta, vix patiuntur, ut in humanitatis illa velut vireta sæpè expatier. Ne tamen me putes aut vale humanitati & expolitis illis Criticorum studiis planè jam dixisse, aut eorum sectam Iuris Consultorum sequi, quorum utinam barbara modo esset oratio (ferri enim ea quoquo modo posset: quanquam & vestis honesta matronam nobilem ornet ac deceat) & non Iuris

Critici judicio reiecti libros erant Poematis, Grammatici, Philologi, sive Aristophanes, neque Aristarchus.

ipsius, ac rerum, totiusque ferè scientiæ Civilis nostræ magna ignorantia, atque perturbatio: de qua & tute jam pridem eleganter in Oratione quadam dis-
serui sti: Quare ne his me vitiis adfinem existimes, parerga nunc accipe, ex iis quædam, quæ in ipsas lectiones tuas quasi præteriens aliquando notavi: Non ita certandi cupidus, quàm propter amorem, quo te imitari aveo, ut Carus ait. Vidisti acutè lib. 6. cap. 16. locum illum Ciceronis 2. de Divinat. Totas noctes somniamus, neq; ulla ferè est, qua non dormiamus: & miramur, aliquando id quod somniamus evadere? esse mendosum: Qui tamen ita fortasse rescribendus est. Neq; tamen ulla ferè est, qua non; Et miramur, &c. ut tò, qua non, præcisè sit positum: pro eo, quod, qua non somniemus. Non verò, ita, ut tu putas; totas noctes dormimus, neque ulla ferè est, qua non somniemus, &c. id enim à vetere scriptura longius aberrat, & nôsti, ob orationes concisas, quàm sæpe in veterum scriptis peccatum sit. agitur de somniis, & non de somno: quamvis & illa in somnis. Illum autem locum pro Archia. Quod si non hic tantus fructus ostenderetur: & si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen, ut opinor hanc animadversionem humaniss. ac liberaliss. judicaretis. *Alii aliter, tu lib. 12. lect. c. 15. ita emendas: hanc animi adversionem. Vide, quæso, ne ita rectius.* hanc humaniss. *hanc, nempe delectationem & voluptatem. Sæpe enim hu articulis, hanc, illam, & similibus non adjungitur nomen aliquod, sed primum adlatum tacitè repetendum intelligitur, ut apud Se-*

necam

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666/phys_0562
DFG

necam epist. 95. At illâ habentem præcepta plurimum ait proficere: *ubi delendum illud* habentem præcepta. *nam ibi non de parænetica, sive, ut Seneca, præceptiva, ut Cic. in lib. de Offic. loco vulgo non intellecto, quæ in præceptis posita est, parte Philosophiæ, sed de theoretica agitur. Sic & pro* LIGARIO: *Valeat vox illa tua, quæ dicit, & c. id quæ dicit, perspicuè spurium. Eiusdem libri tui cap. 1. in his verbis Senecæ lib. de benefic.* Nemo beneficia in KALENDARIO scribit: nec avarus exactor ad horam & diem Creditorem appellat: *mendum esse rectè admonuisti, atque pro Creditorem, fortasse legend. Debitorem, quomodo & jam pridem* BRISSONIVS *lib. 1. de verb. signif. illum ipsum locum adduxit, hæc enim cognata sive potius inter se relata vocabula, magis & minus, emptor & venditor, conductor & locator, debitor & creditor, migrasse interdum alterum in alterius locum videntur, quod & Iacobus Cujacius observavit lib. 1. cap. 10. & lib. 9. cap. 7. Cui tamen d. l. si in emptione. D. de contrab. empt. & l. 18. solutione. D. ad exhibend. cur non adsentiar, ius q. in legibus nihil mutandum putem, alio in loco explicabo. Hoc autem in loco Senecæ, etsi τὸ Debitorem non improbo, omitti tamen utrumque potest, & Creditorem & Debitorem, sed intelligi debitorem; ut verbum, appellat, præcisè & absolutè ibi sit positum. Quod autem ad eum locum Cic. attinet lib. 2 de finib. bon. de quo & in lib. 6. cap. 20. & Turneb. aliiq. laborant,* Resplendeat his vestis, argentum, orilitium,

tium, locus ipse, ædificium &c. *eum ita emendandum puto*: vestis, argentum, locus ipse: *reliquis inductis: Aut certè ita*: Vestis, argentum, aurum, locus ipse, *ut odrilitium sit depravatum ex oro sive auro*. *Paulò antè apud Ciceronem hæc*, quibus vinum defusum è pleno sit Hirsiphon, *ut ait Lucilius, cui nihil jus & sacculos abstulerit, portenta potius quam verba, quæ tamen ita exarata sunt in libris manuscriptis, aliter Paulo Manut. aliter Iul. Scaligero in append. ad conject. in Varr. mihi ita*, è pleno sit hinophoro, *ut ait Lucilius, cui nihil sacculus abstulerit, fortasse inquam ita* (nam & ipse dubito) *rescribenda videntur, Inophorum certè, vel ne mentiar inoforum in vet. lib. reperio, nunquam œnophorum, & rectè. Romani enim veteres Græcum* ot non modò *œ Latinum, quod vulgare ut Demoe, Edeatroe*, (*sic enim legend. puto apud Fest.*) *Adelphoe Terentii de quo & tu in Terent. Clarumenoe apud Plaut. & Canephoroe apud Cicer. Verrin. de quibus nos ad Lucret. Sed etiam interdum aut in o nudum, ut in Poëta, poëma, diocesis, & diocetes apud Cic. pro Rabirio Posth. ubi antea mendosè Diogenes. & Parochia, παροικία, vocab. Eccles.* (*falluntur enim, & omnium scriptorum, etiam Iustiniani & Theodos. Codicum exemplaribus antiquissimis repugnant, qui nuper scribere cœperunt diœcesis & diœcetes, parœcia & parœcus, quos miror eadem ratione non scribere pœeta, pœema, pœesis*) *interdũ in I. merũ vertebant, ut videre est in Iconomus, quod contra usum veterum quidã hodie mutarunt*

tarunt in Oeconomus ut Alciat. admonuit lib. 9. Parergon. c. 3. in hodidocus apud Fest. id est, grassator qui græcè ὁδοίδοκος, Inomaus apud Orosium in l. vet. qui à Græcis Οἰνόμαος: & in Cimiterium: sic enim Latinè à veteribus Christianis scriptũ id fuisse, quod græce κοιμητήριον, vetera monumenta confirmant. unde & Acimitense monasterium in l. inter claras C. de S.S. Eccles. dicitur quod à Græcis τῶν ἀκοιμήτων. Solẽt scilicet Romani Græca vocabula paululum variando sua sæpe facere, nec iisdem ea aut literis aut syllabis semper admetiri, ut Vlixes ὀδυσσεύς. Exanclare, & anclare apud Fest. ex Græco ἐξαντλεῖν, & ἀντλεῖν: non ut vulgò jam scribunt exantlare. quod Exanclandi verbum & tu contra Lambinum recte vindicâsti, lib. 13. c. 17. alia æquè eiusdem modi: de quibus alibi. Quod qui nõ observant, latinam linguam mirè perturbant: idemq; & Elogiũ, de quo & tu in Lect. optimum licet vocabulum, & bonæ quasi monetæ, aut civitate Romana, tanquam lege Papia, planè exterminant; aut variè nunc in eclogium, nunc in ellogium, nunc in eulogium mutant; & epistolam scribunt Græcorum more, invitis omnium scriptorum libris antiquissimis etiam marmoreis monumentis, in quibus constanter Epistula, & Eclogium extat. Atq; hæc quidem de meis in tuas Lectiones cerulis quibusdã ac notis, in quibus si quid erit tale, quod in acceptum referendum putes: videbis, in quem quid expendas: ne & his accidat quod nuper Themistæ nostræ apud Cicer. & Ennio item nostro apud Agelliũ l. 12. c. 4. de quibus diligenter

olim ad te scripseram contigit, ἐιδότι loquor. Sed de his alio fortasse loco planius, & plura. Nunc ut modò dixi, de me satis multa. A te autem lectionum quidem libros plures non ita pridem accepimus: omnis elegantiæ refertos: Sed quod inter nos, liceat, Soli enim sumus, postulantur jam à te, & φιλοσοφήματα quædam, & à Nobilio politiss. philosopho, qui aliqua jam dedit, plura. Atq; adeò accepi non ita pridem ab idoneis hominibus, te jam paratas habere explicationes librorum aliquot Platonis & Aristotelis Politicorum: quæ graviores scriptiones huic quoq; & ætati tuæ jam maturiori, & personæ, magis convenire videntur. Aiunt & Eunapii historiam, quæ in Vaticana bibliotheca adservatur, curare te describendam. quod idem & Redingerus noster D. Thomas V. C. magno sumptu jam pridem cœperat: sed conatum eius mors interrupit. Tu si & Politica illa scholia tua, & Eunapium, etiam Theodoriti epistolas, quarum insigne volumen in eadem Bibliotheca Hervetо teste, supeerest, aliaq; veterum scripta divulges, benè, mihi crede, de Republica mereberis. Eorum namq; opera, cum Reipublicæ utilior, tum etiam ad laudem ipsorum diuturnior mihi semper visa est, qui veterum scriptorum præclaras συντάξεις & commentarios aut in lucē ipsi proferunt, aut ab aliis divulgatos vel eruditis scholiis explanant, vel ut emendatiores sint, elaborant. Emendatus enim liber est vice commentarii. Vale vir doctissime & salue. Anno M.D. LXXXIII.

JULII

JULII POGIANI VIRI DISERTISS. EPISTOLA, DE CICERONIS imitandi modo, ad nobilissimum adolescentem NICOLAUM FITZHERBERTUM, Anglum.

XXIV.

ETsi sunt eius generis tuæ literæ, ut in politiori humanitate, in qua ex gravioribus Legum studiis conquieseis, consilio aut præceptione mea tibi minimè opus esse intelligam; tamen quia mei in te amoris esse video, non tam spectare, quid ego possim, quàm quid tu velis attendere; rationem tibi & consuetudinem huius rei meæ exponam. Ego, quamdiu mihi arbitratu meo studere licuit, unum aliquot menses ex Latinis scriptoribus Ciceronem legi. Nam in omni ratione optimum quemq; & illum unum imitandum esse cognôram. Quare cùm illum ipsum Ciceronem Latinæ linguæ & eloquentiæ principem esse constaret, rejeci cæteros latinitatis authores. Quo in studio primùm dabam operam, ut statuta essent tempora & studendi & scribendi mea. Didiceram enim à summis viris, qui se id re expertos esse dicerent, plus adjumenti esse in certo, nec multo, quàm in vario & diuturno tempore; quod haberet eadem illa hora studiorum non solùm admonitionis & recordationis vim, sed etiam quoddam momentum ordinis: qui cùm in omni re multùm tum in dicendo plurimùm potest. Sed hoc fortasse patet

latius: illud ad id unum pertinet, quod instituveram. Duo igitur in Cicerone legenda mihi proponebam, quid & quomodo diceret. In quo videbam interdum pauca multis explicari, interdum plura comprehendi breviter, & absolutè, sæpius eandem variari rem, ut cùm idem diceretur, tamen commutatis verbis atq; sententiis, aliud dici videretur. Mirabar verò partium & quasi membrorum pulcherrimam compositionem, qua sic aliis nexa & apta sunt, nihil ut lectori possit esse jucundius. Quid dicam de artificio vincendæ orationis, deq; copia & quasi sylva elegantium vinculorum? quibus cùm multi, vel quasi compedibus quibusdam, inscriptiones suas colligent, vel ita dissolvant ac dissipent, ut capti membris corporis, ac ne corporis quidem speciem habeant: sic Cicero res nectit & verba, ut sola eius oratio liberè moveri, magnificè; ingredi videatur. Cogitabam verò etiam de singulis verbis, de conjunctione verborum, de eorum numero atq; forma. Qua in cogitatione mihi veniebat in mentem mirari, quanam esset causa paucitatis eorum, qui divinas Ciceronianæ orationis virtutes imitarentur. Huius autem erroris & inscitiæ multorum, duplicem aliquando culpam animadverti. Sunt enim, qui à Cicerone abhorrentes, se ad alios, nescio quos, scribendi magistros contulerunt. Qui quod judicium habeant, cùm appareat, facile negliguntur. Alii sunt, quorum est levius peccatum: imò verò non illi quidem cupiditate peccant, qui Ciceronis simillimi velint esse, si possint: sed consilio & imitandi modo falluntur.

Nam

Nam hi Tullii verba mordicùs tenent, nec ullam ferè syllabam audent ab eo discedere; & dum verentur ne parum Ciceroniani videantur, illius etiam sensa totidem verbis transferunt in suas literas, scilicet illi (quod miserrimum est) nunquam sunt in scribendo sui sed ineptè ac putidè semper alieni. Quid igitur eos in errorem induxit? Puerilis illa suspicio quod sermonem Ciceronis in id modò convenire sunt arbitrati, ad quod ille semel accommodavit. In qua si ipse Tullius sententia fuisset, non iam eum copiæ atq; ubertatis magistrum, sed inopiæ & jejunitatis auctorem haberemus. Quæ cùm viderem putavi mihi elaborandum, si modò id assequi possem; me ut ab illa balbutientium turba segungerem, conjungeremq; cum iis, qui planè & latinè loquuntur. Quid quæris? Audere cœpi. Nam ut quisq; mihi occurrebat Ciceronis locus, illam loquendi formulam ad alia transferebam, & eiusdē & alterius generis sensa, quasiq; unis ab illo sumptis vestimentis studebam vestire & ornare res innumerabiles. Exempli caussa, quod hæc dictans legebam, fortè Publii Rutilii adolescentiam ad opinionē & innocentiæ, & juris scientiæ, P. Scævolæ commendavit domus; *Quis prohibet eò traducere? Hannibalis Minalis adolescentiam ad opinionem & eloquentiæ & Philosophiæ, Flaminii nobilis consuetudo commendavit: vides genus, sed quoniam intelligebam quædam esse sententiarum lumina quibus scripta illustrarentur, sumebam illa vel ab ipso Cicerone, vel à quovis; sed ita, ut in eadem exercitatio-*

tatione alia quadam ratione uterer ab illa superiore. Ut enim illic tanquam ex eadem cera multas fingebam imagines; sic hic quasi eundem hominem alio habitu vestiebam. Quare fiebat, ut quæ ab aliis parta essent, à me inventa viderentur. Sunt autem hæc ornamenta & lumina sententiarum, ut, Ne quid nimis, Latè patet invidia, & huiusmodi sexcenta, quæ si ita efferas, Tenendus est omnium rerum modus, & nihil non occupat invidia, quis tua esse neget? Huc pertinet illud Ciceronis, imitandos esse bonos fures, qui earum rerum, quas cœperunt, signa commutant. Ut enim illi pallium, si cui furantur, ne id is agnoscat, ex pallio sagum faciunt; sic qui aliorum sententias commutatis verbis enunciant, quæ communia sunt, propria facere videntur. Neq; verò non etiam conabar interdum quodammodo cum ipso Cicerone certare acumine contrariorum. ut si ille, In lætitia doleo, ego contra, In dolore lætor. Si idem dicat, ut tardius faceres, hoc est, ut ego interpretor, diligentius; item ipse, celerius, id est, negligentius, in contrarium conversa sententia. Quod institutum mihi si meo arbitratu diutiùs tenere licuisset, in hac laude fortasse aliquis essem. Sed ab ea me consuetudine avocavit necessaria quædam barbaries, de qua nunc quidem nihil attinet plura scribere. Tibi certè, quid de tota hac ratione sentirem, significandum putavi: qui etsi scio, quanta occupatione distineare, tamen nō dubito, quin pro excellenti tuo ingenio, proq; eo, quantum profecisti in hac latinè scribendi ratione, cùm istum graviorem studia-

studiorum cursum confeceris, si huc redieris, rectè in hac laude exercueris, brevi etiam in principibus futurus sis hujus facultatis. Quanquam aliquid interea assequêre, si cùm vacuus quotidiè fueris à legum studiis, animi caussa, stilum reprehenderis, & in hac exercitatione, quam dixi, subsecivas operas posueris. Sed quod mihi penè excíderat, multa ex Cicerone tibi memoriæ mandanda sunt, & paranda tanquam magna supellex, tibi ut suppetat in variandis & mutandis sensibus mulius & elegans vestitus orationis. Et quoniam ut in victu & vestitu priùs necessaria, quã voluptaria quærimus; sic in oratione propriorum primum verborum deinde translatorum copia comparanda est: haud scio an illæ ad Atticum epistolæ, in quibus nulla est elaborata concinnitas, nullum exquisitæ voluptatis aucupium, plurimùm proficiant ad latinè & emendatè loquendum, quemadmodum nonnunquam etiam gemmarum vis, non tam arte disposita, aut distincta auro, quàm pura atque nativa delectat; ita Latini sermonis ubertas sine fuco, aut peregrinis quodammodo deliciis orationis in illis maximè probatur epistolis. Etsi hæc admonitio accommodata est iis, qui nunc primùm in eam rationem ingrediuntur; tibi, qui tantùm jam hac scribendi exercitatione profecisti, præsertim majoribus rebus occupato, fortasse minus est necessaria. Quare cùm grandiori etiam scribendi genere delectari videaris, nos quoque sive ingenio, sive judicio tuo, certè tempori obsequemur. Cùm igitur tibi, ut nunc est, facultas non sit pervolutandi multos Ciceronis libros,

ex

ex illis optimos leges, etsi nulli non optimi. Sed tamen orationes leges, & edisces, quæ multùm te delectabunt, & scriptionem tuam adjuvabunt. Ignosces verò mihi, si hæc neque subtilius scripsi, ut res postulare videbatur, neque illustravi exemplis. Eram enim & ipse valdè occupatus. Quare aliàs reponam, & accuratius aliquid ad te mittam, quod proximis feriis æstivis in Trebiano tuo vacuus legere possis. Interim vale, & mihi conserva amorem tuum. ROMÆ *Pridie Kalend. Aprilis.*

finito mense Martio Luis sacra absoluta.

M. AN.

M. ANTONII MURETI PRESBYTERI, ET CIVIS ROMANI

HYMNORUM SACRORUM LIBER.

SERENISSIMO PRINCIPI GULIELMO GONZAGÆ Duci Mantuæ, Montisferrati, &c.

MAgne Ducum, fetam populis cui fortibus urbem
Pulcher glorifero Mincius amne lavat:
Sume datis à te scriptos mihi legibus hymnos,
Nève parum culti sint tibi munus opus:
Illi etiam quorum hic meriti celebrantur honores,
Lucida quos constans venit ad astra fides,
Non indignantur parvo sibi ture litari:
Atq; animum magni muneris instar habent.
Fors sit an his olim juvenis meliora dedissem,
Et mulcere aures dulcius apta tuas:
Sed veniens etiam ingenio est damnosa senectus:
Nec tantùm vires corporis imminuit.

Sponte

Cùm mihi turgerent meliori sanguine venæ.
Nec curarum animum pondera deprimerent:
Sponte sua numeris carmen mihi mollibus ibat:
Et subitò versus fundere ludus erat.
Nunc & corpus habet senio, & mens ipsa pigrescit.
Quodq́ habuit ludo, nunc onus esse putat.
Dulce onus hoc tamen est, quod te mandante subivit.
Et leviora facit jussa jubentis amor.
Atq́ utinam hæc roseo legat & VINCENTIVS ore
Phœbi & Musarum maxima cura puer:
Qui floreſcenti paullatim attollitur ævo.
Ut sata se ad fluvii subjicit almus aquas.
Felix, cui teneris Helicon lustratur ab annis,
Et bibitur volucris fons pede factus equi.
Quem jam ipsa Urania blandis complexa lacertis,
Stellatas Superùm vexit ad usq́ domos:
Ostenditq́ astrorum ignes, cœliq́ meatus,
Queisq́ suos peragant legibas illa choros.
Quis scit, an &, cœlo dum singula despicit, inter
Cætera majores viderit astra suos:
Et quos purpureo contexit Roma galero:
Et qui regali sceptra tulêre manu?
Fortunate puer, magnum patris incrementum,
Cui Lachesis net plena aurea fila colo.
Vive diu, utq́ dari poscit tibi nominis omen,
Tende atavos omni vincere laude tuos.
Neu grave sit, dum dona tibi graviora parantur,
Interea partem carminis esse mei.

HYMNI

HYMNI SACRI.

IN ADVENTU.

VERBUM, quo omnipotens condidit omnia,
Summi præualidum consilii Angelum,
Vatum plena Deo pectora dixerant
Venturum, ut fieret caro.

Primi quo maculam dilueret patris,
Serpentisq; uafri contereret caput:
Præclusamq; homini morte recluderet
In cœlum propria uiam.

Ergo turba patrum, carcere liberos
Qui longo per eum se fore viderant,
Cœlum suspiciens, luctisonis dabat
Carmen lugubre vocibus.

O qui pollicitis applicitos tuis,
Quamvis cuncta potes, fallere non potes,
Longas tolle moras, & citò quem tibi
Certum est mittere, mitte.

Simplex æterni numinis unitas
Quæ distincta eadem est, veraq; Trinitas,
Æternis uigeat semper honoribus,
Et terra simul & polo.

IN DIE S. BARBARÆ.

QUalis, nulla polum nubila cùm tegunt,
Inter clara nitet sidera phosphorus: Lucifer.

Talis

Talis martyrio conspicua micat
Inter Barbara virgines.
Cui solus teneris Christus ab unguibus
Ussit cor pietatis perpetua face,
Cui desiderium, cui fuit unicus
Spretis Christus amor procis.
Quamvis imperio barbarus aspero
Terreret genitor, quem furor, & mala
Perduxit rabies, ut gladio caput
Nata demeteret suâ.
Vinclis illa quidem libera corporis
Felix ad Superos protinus evolat.
Sed Christus scelerum in Stygias patres
Sedes fulmine dejicit.
Simplex, &c.

AD LAVDES.

Sancta triumphum virginis
Læti canamus Barbaræ,
Palmæq; honorem duplicis,
Quam virgo martyr obtinet.
Non stirpis illam regiæ
Splendor superbam reddidit,
Quin se à tenellis unguibus
Christo regendam traderet.
Insanus infremit pater,
Omnesq; pœnas admovet,
Tandemq; sacrum filiæ
Caput cruentus amputat.

At

At virgo casti corporis
Soluta vinclis emicat,
Volatq; stipata angelis
Ad expetitum conjugium:
Æterne cunctorum pater,
Æterni fili par patri,
Et par utriq; spiritus
Soli tibi sit gloria.

IN NATALI DOMINI

O Nox vel medio splendidior die,
Cuius per tenebras virginis integræ
Ex alvo nitida sol novus emicat,
Complens omnia lumine.
Æterno imperio qui regit omnia,
Humanumq; Deo conciliat genus,
Is nunc sub tuguri vilis operculo
Nascens, paupertem docet.
Pastores ovium, dum gregibus suis
Intenti vigiles excubias agunt,
Primi hunc angelico carmine nuntium
Lætis auribus hauriunt.
Grata est haud dubiè simplicitas Deo,
Grata est via dolis qua procul omnibus
Rectum sponte sua perpetuo colit,
Et priscam retinet fidem.
Simplex, &c.

IN DIE S. STEPHANI.

Levitæ juvenis fortia pectora
Ornari solitis tempus honoribus,
Primus martyrii qui sibi lauream
Vitæ prodigus induit.
Tundebat lapidum grandinis in modum,
Denso turba fremens imbre sacrum caput.
Nunquam mota suo sed tamen est loco
Mens sancto ebria spiritu.
Sed sese in mediis ictibus erigens,
Ad cœlum penetrans. En, ait, en eum,
Pro quo dulce mori est, jam video patris
Ad dexteram positum Dei.
At tu Christe, suscipe me tuo,
Atq; his qui, tenebris turpibus obruti,
Quo sese impediant crimine, non vident.
Quæso te, veniam dato.
Simplex, &c.

IN DIE SANCTI JOANNIS EVANGELISTÆ.

Christo præ reliquis carus Apostolis,
Qui supra Domini pectus in ultimis
Discumbens epulis composuit caput
Festa luce canendus est.
Felix, cui Dominus jam rigida in cruce
Pendens, jamq; neci proximus, & Patri
Sanctam sancto animum tradere cogitans,
Matrem crediderit suam.

Felix,

Felix, qui se aquilæ more super polos
Tollens, & nitida in luce Deum videns,
Divino eloquii flumine filium
Æqualem docuit Patri.
Felix, qui senio jam gravis & sacra
Multa canitie tempora consitus,
Ut si membra levis corriperet sopor,
In Christi rediit sinum.
Simplex, &c.

IN DIE SS. INNOCENTIUM.

Cantemus tenerorum agmina Martyrum,
Quos regis rabies abstulit impii,
Cunas innocuo sanguine proluens,
Christum perdere dum furit.
O nullis feritas cognita seculis,
Materno pueros è gremio rapi,
Perfossa ut rutilis corda mucronibus
Lac cum sanguine funderent.
Heu quis, cum solito raptus ab ubere
Districtumq; pavens ad gladium puer
Blandas carnifici porrigeret manus,
Siccis adspiceret genis?
Augent angelicos nunc pueri choros,
Et Christum liquido gutture concinunt;
Herodem meritis debita talibus
Pœna in perpetuum premit.
Simplex, &c.

IN FESTO S. SYLVESTRI.

PRiscos Roma Duces desine laudibus
Efferre immodicis, qui validâ manu
Fines imperii protulerunt tui
Quacunq; Oceanus patet.
His solus tibi plus contulit omnibus
Sanctorum eximium Pontificum decus
Sylvester, dominam qui prius urbium
Christi supposuit jugo.
Multo te ille prius sanguine Martyrum
Respersam, docuit parcere cædibus,
Et quos mille modis sæva peremeras,
Illorum monitus sequi.
Romam idem precibus nunc quoq; cælitûm
Adscriptus numero, perpetuis juvet,
Et tanti ossa suo quæ gremio viri
Servat condita Mantuam.
Simplex, &c.

IN DIE CIRCISIONIS.

CIrcumciso agitur lux Domino sacra,
Quæ jam, si Dominum ritè licet sequi,
Impuræ è cumidis omnia nos monet
Circumcidere cordibus.
Umbra Evangelij lex fuerat vetus:
Sed sol exoriens ut tenebras fugat,
Sic sol justitiæ legitimis suum
Finem ritibus attulit.

Nobis

Nobis corporeo nil gladio est opus:
Sermo quippe Dei vivus & efficax,
Sese instar gladii mentibus inferens,
Ad vivum omnia persecat.
Quæ semper vitii germina pullulant,
E nostris utinam cordibus amputet;
Anni principium sit simul ut novi
Vitæ principium novæ.
Simplex, &c.

IN DIE EPIPHANIÆ.

Quæ vos causſa Magi, dicite perpulit
E vestris iter huc carpere finibus?
Quem tanto studio quæritis anxij?
Quóve hæc munera pertinent?
Nos stella insoliti luminis huc vrabit
Et dux certa viam perpetuo præit,
Iudææ populis quæ cupientibus
Regem significat datum.
Auri isthæc sed enim quid tibi pondera,
Myrrhæ murificus quid sibi vult odor?
Aut quæ, cùm populus sacra Deo facit,
Aris thura solent dari?
Rex auro colitur, thura Deum docent,
Nostri myrrha homines post obitum linunt,
Huic ergo hæc pariter munera congruunt,
Qui & Rex est, & homo, & Deus.
Simplex, &c.

A SEPTVAGESIMA AD CINERES.

Heu quàm scelerum non tolerabilis
Nos urget miseros sarcina, quæ Dei
Nostris principio mentibus inditam
Obscuravit imaginem.
Si nos pro meritis accipiat Deus,
Causse nil fuerit, quo minus agmine
In tristes tenebris perpetuis domos
Uno præcipites agat.
Sed semper facilis flectitur in eos fuit,
Quos culpæ ex animo pœnituit suæ.
Nunquam horum lacrumis & gemitu tulit.
Se frustra veniam petis.
Hac spe, quam ipse dedit: poscimus ut gravi
Pressos exoneret pondere, néve se
In nostro rigidum crimine judicem,
Sed mitem exhibeat patrem.
Simplex, &c.

A DIE CINERVM.

Multis tensa epulis viscera dum tument,
Mens oppressa nihil cogitat arduum,
Et more indomiti luxurians equi
Pugnat spiritui caro.
Sed subtracto eadem comprimitur cibo,
Et se spiritui morigeram exhibet:
Qui, cùm nulla gravant pondera sordium,
In cœlum celer evolat,

Primus

Primus corporeo legifer à cibo
Bis binos decies abstinuit dies:
Quem Christus numerum nos itidem sequi
Exemplo docuit suo.
Sed frustra vetitis os tenet à cibis,
Qui factis animum turpibus inquinat.
Iejuno adsiduæ conveniunt preces,
Cumá, his munifica manus.
Simplex, &c.

IN DOMINICA PASSIONIS.

Æ Quæva ingenito progenies Patri,
Quam morte suis redderet ut sua,
Se Christus nivei velleris hostiam,
Ultro supplicio obtulit.
O erga immeritos mirus amor Dei,
Natum quæ pietas, tradidit unicum:
Ut pro mortifera fraude nocentium
Pœnas solveret innocens.
O non visum alias sacrificii genus,
In quo æterna Deo sacra facit Deus,
Et mortem moriens opprimit, & sibi
Ipse est victima Pontifex.
O crux tincta sacri flumine sanguinis,
Olim supplicium mancipiis grave,
Nunc Regum capiti præcipuum decus,
Te flexo colimus genu.
Simplex, &c.

IN DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

REgem pacificum, mœnia dum subit
Urbis celsa suæ, turba manu ferens
Palmarum gravidos obvia termites,
Faustis vocibus excipit.
Hic leras spoliat frondibus arbores:
Hic serta ante pedes florea projicit:
Supplex ille manus porrigit, hic suis
Terram vestibus obtegit.
Heu mentes hominum. Quis fore crederet
Quem tantis studiis exciperet frequens,
Post paucos ut eum turba eadem dies
Suffixum adspiceret cruci?
» Nil in vita homini perpetuum datur.
» Rebus ne nimium fidite prosperis,
» Plerumq; hic lacrumis gaudia temperat
» Certo consilio Deus.
Simplex, &c.

IN DIE PASCHÆ.

POnatur lacrumis jam modus, & novis
Templorum resonent atria canticis.
Invitam reduci nam Domino sacer
Poscit lætitiam dies.
Lux post Christi obitum tertia venerat,
Cùm spes sancta, moræq; impatiens amor

Matro-

Matronas parili nomine nobiles
Visendum ad tumulum vocat.
Tum motum lapidem, tum lapidi vident
Innixum niveis vestibus Angelum:
Qui, quo sollicitis eximeret metum,
Pauca & certa locutus est.
Non hoc amplius est quem petitis loco.
In vitam rediit Christus ab inferis.
Ite, & discipulis hæc eadem date
Summi nuntia gaudii.
Simplex, &c.

IN DIE ANNUNCIATIONIS B. VIRGINIS.

AD te sidereis missus ab arcibus
Cùm venit Gabriel, virgo, renuncians,
Te summo ante alias complacitam patri,
Mox matrem Domini fore:
Turbata tibi tunc purpureus genas
Sparsit mente pudor, nescia quod viri,
Casto, sponsa licet, pectore virginem
Semper te fore voveras.
Verum idem subicè nuntius addidit:
Istos pone metus: nam tibi jam datum est,
Ut virgo maneas, & tua compleat
Sancti viscera spiritus.
Tunc ore ex roseo vox tibi prodiit,
Testis mirifica certa modestiæ:

Ecce

Ecce ancilla Deo subdita, nil moror,
Fiat quod Dominus jubet.
Simplex, &c.

IN FESTIVITATIBVS S. CRUCIS.

Gentes, nulla quibus notitia est Dei,
Armis imperio, prole superbiant:
Nobis, queis melior spiritus obtigit,
Sola est in Cruce gloria.
Lignum prima homini pernicies fuit,
Cùm primus vetitam contigit arborem.
Captus fœmineis illecebris parens,
Quo se perdidit ac suos.
Sed pòst lignum homini certa salus fuit,
Cùm scandens patulam Christus in arborem,
(Æternus fieri sic voluit parens)
Vitam restituit suos.
Crux hostes hominum sola procul fugat.
Crux sola insidiis munit ab omnibus.
Adversa intrepidus despiciat licet,
Cuius spes Cruce nititur.
Simplex, &c.

IN DIE ASCENSIONIS.

Victa in perpetuum mortis & inferum
Insignis spoliis luce nitens nova,
Primumq; insolitum Christus iter secans
Arces in patrias redit.

Natus

Natus nasci iterum nos quoq; dum cupit,
Mundo, mortuus est, nos cupiens mori;
Surgens & repetens æthera, nos quoq;
Ut possimus idem, dedit.
Christo nunc igitur vivere nos decet,
Ut Christo pariter detur inemori.
Surgentes eadem nos quoq; gloria
Puro lumine vestiet.
O per qui te, hominum conditor, ingredi
Casta adduxit amor viscera virginis,
Nos dignare, tuis artubus insitos,
Voti reddere compotes.
Simplex æthereii numinis unitas,
Quæ distincta eadem est veraq; Trinitas,
Æternis vigeat semper honoribus,
Et terra simul & polo.
Amen.

IN DIE PENTECOSTES.

LUstra nostra tua pectora lampade,
Qui quondam, altisono spiritus à Patre,
Lustrâsti unanimes, missus, Apostolos,
Linguis ditus igneis.
Confirma dubios, dirige devios,
Consolare tui muneris indigos,
Letaliq; animos frigore torpidos
Sanctis ignibus excita.

Mens

Mens doctrinam avidè nostra bibat tuam,
Perstetq; assiduè tota Deo cælestis,
Et spem firmam in eo constituens sibi,
Terram pro nihilo putet.
O rerum alme sator, certè homines sumus,
Quanquam indigna tuæ plásmata dexteræ:
Ne fer, quos tua vis ex nihilo extulit,
Æterno exitio obrui.
Simplex, &c.

IN DIE SS. TRINITATIS.

O Nullis hominum pervia sensibus,
Natura penitus sola capax tua,
Cuius condita sunt omnia numine,
Æterna & mona & trias.
Nato æquæve pater, natoq; par patri,
Et manans ab utroq; inclyte spiritus,
Circumfusa tuo nubila lumine
Nostro discute pectori.
Da, mens per speculum cernere te queat
Nostra, & posthabitis te petat omnibus,
Et jussisq; tuis pendeat, & tibi
Soli dedita serviat.
Tu clemens miseris da veniam pater.
Tu fili miseris sterne iter ad patrem.
Tu sanctum miseris Pneuma vagantibus
Prefer conspicuam facem.
Simplex, &c.

IN

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

COelestes epulæ, certa piis salus,
Quas apponit amor, pura capit fides;
In queis ipse cibi perpetui loco
Cœnæ se pater exhibet.
Hic verbum Domini fallere nescii
Cœcis judicium sensibus abrogat:
Quod non est, oculis cernere se putant;
Nec, præsens quod adest, vident.
Sub panis specie viva latet caro,
Sub vini specie sanguis: & utraque,
Seu tantum species sumitur altera,
Christus sumitur integer.
Felix qui Dominum sedulus hospitem
Absterso animi sordibus excipit.
Qui contra facere id negligit, ah miser
Ipse est exitio sibi.
Simplex, &c.

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

SAnctorum soboles sera parentium,
Solis perpetui prodrome Lucifer,
Qui nascens hilaras omnia; dum tuum
Natalem colimus, fave.
Nondum natus eras, cum dominum tamen
Nondum caste utero virginis editum

Agnosti

Agnosti exiliens, & quatiens novo
Matris viscera gaudio.
Mox & magnanimus tesqua petis puer,
Et victu populos horridus admones,
Factis abstineant turpibus, & viam
Advintance parent Deo.
O cui voce sua maximus arbiter
Laudem supra homines egregiam dedit,
E cœlo adsiduis, quæsumus, adjuva
Cultores precibus tuos.
Simplex, &c.

IN DIE TRANSFIGVRATIONIS.

Quam crebrò dederat discipulis fidem,
Confirmare modis dum studet omnibus,
Tres secum comites montis in ardui
Adsumpsit Dominus jugum.
Illic frons radiis cincta micantibus,
Solaris nituit lampadis in modum:
Tum, qua tectus erat, protinus est nivi,
Vestis reddita concolor.
Cum Christo gemini visi etiam senes,
Et jussa ad populum cui dederat Deus,
Et qui sidereas visus erat domos
Quadrigis petere igneis.
E nubis nitidæ quinetiam sinu
Hæc dicta omnipotens intonuit pater.

Hic

Hic est, quem eximiè diligo filius
Huius jussa capessite.
Simplex, &c.

IN DIE S. LAURENTII.

LAurenti canimus nobile prelium.
Qui cum visceribus flammam aleret suis,
Et cratem roseo sanguine spargeret:
Subjectis ruber ignibus:
Constanter Domini perstitit in fide.
Ambustumq; latus carnifici exhibens,
En istam rabiem quo magis expleas,
Hoc jam coctum, ait, est; vora.
Tanto corporeis ignibus acrior
Christi ardebat amor pectore in intimo:
Sic mens tota Dei fervida spiritu
Sensum corporis hauserat.
Nunc nobis solito more rogandus est,
Iratum ut meritò conciliet Deum:
Et quos mirifici roboris instruit
Exemplo, precibus juvet.
Simplex, &c.

IN DIE ASSUMPTIONIS B. MARIÆ.

REgnator Superûm quo nitidam die
Matrem sidereis arcibus intulit,
Et supra Angelicos conspicuam choros
Stellanti statuit throno:

Quæ cœlo fuerint jubila, qui sonus,
Quæ sanctus animis gaudia, non modo
Humanis nequeat vocibus exprimi,
Sed nec pectore concipi.
Illa est arca novi conscia fœderis,
Conclusus, Domini deliciæ, hortulus,
Rastro intactus ager, sidere pulchrior
Et sponsa & genitrix Dei.
Felix quisquis eam supplicíter colit,
Rebusq; in dubiis sedulus invocat.
Nunquam hoc qui statuit præsidium sibi,
Spe lusus doluit sua.
Simplex, &c.

IN FESTO SANCTI HADRIANI.

CHristi in militiam nomina ne darent,
Multos impediit supplicii metus:
Multos qui dederant, vis cruciatuum
Illam deserere impulit:
Non sic ille, hodie quem colimus, fuit,
Qui nomen tumido duxit ab Hadria:
Quin constantem animum Christi colûm videns
Horum se ad numerum appulit.
Prudenter reputans, non sine numine
Tales cuncta viros aspera perpeti,
Nec se illos temere sponte sua ratus
Pœnis objicere omnibus.

Ergo

Ergo his se agglomerans, credidit? & simul
Index ipse sui supplicium appetens,
Quæ mente imbiberat, mox eadem suo
Sanxit dogmata sanguine.
Simplex, &c.

IN DIE S. MICHAELIS.

Cœlestis canimus militiæ ducem:
Qui perjura bonus dissipat agmina:
Et dejecta locis non sibi debitis,
Sedes trudit ad inferas.
Horrendo imbiberat pectore septiceps
Bis quinusq; ferox bellua cornibus;
Intactæ sobolem virginis unicam
Sævis mandere dentibus.
Æterni imperio sed Michaël patris
Conatus Satanæ reddidit irritos:
Et monstrum innumeris fraudibus obsitum
Victor stravit humi potens.
Idem depositò pondere corporis
Exsortes animas criminis excipit,
In cœlumq; alacres tollit, & in loca
Lucis perpetuæ locat.
Simplex, &c.

COMMUNE B. VIRGINIS.

O Solis nitido lumine pulchrior
Virgo, constituit quam Deus unicam

Expertem maculis omnibus, ut fores
Nato digna parens suo.
Te quondam Gedeon vellere in uvido,
Intactâq; novis imbribus area:
Te cincto innocuus ligifer ignibus
Agnorat prius in rubo.
Rebus principium qui dedit omnibus,
A te dum se hominum caussa hominem facit,
Sumpsit principium, quiq; alit omnia,
Pastus lacte tuo est puer.
Per te quod mulier perdiderat vetus,
Humano generi redditur auctius.
Tu clausas miseris heu nimium diu
Cœli prima aperis fores.
Simplex, &c.

COMMUNE ANGELORUM.

MEntes beatæ, lumine
Quas ambit æterno Pater,
Sacroq; lustrans Spiritu,
In se intuentes perficit.
O quîs supremus omnium
Primis creator insidet,
Quos luce complet aurea
Amoris ac scientiæ.
O qui potentis dexteræ
Virtute cuncta vincitis.

Di

Dei regentis omnia
Fortissimi satellites.
O ter beati Principes,
Archangeliq; & Angeli,
Nos rite vobis supplices
Hinc in superna tollite.
Æternæ cunctorum, &c.

COMMUNE UNIUS CONFESSORIS PONTIFICIS.

PAstor beate, qui tuæ
Concreditum curæ gregem
Sævius luporum faucibus
Patere nunquam passus es.
Tu læta dux ad pascua,
Fontes recludens limpidos,
Oves videbas florido
Semper nitentes vellere.
Quòd si qua forsan tabido
Languere morbo cœperat,
Salubria, ut mitis pater,
Illi admovebas pharmaca.
Cuius laboris nunc tui
Digna assecutus præmia,
Favore, nam potes, tuo,
Qui te precantur, adjuva.
Æterne cunctorum Pater, &c.

COMMUNE UNIUS VIRGINIS.

O Virgo pectus cui sacrum,
Amoris expers improbi,
Divini amoris lampade
Sanctius perussit Spiritus.
Non te voluptas dulcibus
Fallax venenis molliit,
Solas amantem persequi
Cœlestis agni nuptias.
Sic ille natus virgine
Suo decore ceperat,
Amore ut ardens illius,
Mundana cuncta temneres.
Beata cui cœlestibus
Templis receptæ nunc licet
Inter canentes Angelos
Tuis potiri amoribus.
Æterne cunctorum, &c.

IN FESTO D. AMBROSII.

Qualis periclitantibus,
Totoq; jactatis mari
Tranquillitatis nuntia
Se stella nautis objicit:
Talem, procellis Arii
Ecclesiam turbantibus,

Qui

Qui lumen orbi redderet,
Elegit Ambrosium Deus.
Nondum renatus flumine,
Sed jam renatus flamine,
Concordibus suffragiis
Episcopus delectus est.
Ut ex ministro Cæsaris
Minister effectus Dei,
Humana linquens cæteris,
Divina jura pandaret.
Non alligatur tempore
Divina certo gratia:
Sed dum libet, quidquid libet,
Puncto vel uno perficit.
Hunc ipse Cæsar horruit,
Contra nec ausus hiscere est,
Cædes ob admissas sacra
Exclusus aditu limine.
Magnam suis fiduciam
Benignus inspirat Deus:
Semperq; pastoris boni
Multum potest auctoritas.
Salve, bonorum maxima
Episcoporum gloria.
Plebemq; devotam tibi
Cœlo receptus adjuva.
Æterne cunctorum Pater,
Æterne fili par Patri,
Et par utriq; Spiritus,
Soli tibi sit gloria.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM DEI MATREM, QUÆ RELIGIOSISSIMÈ COLITUR IN ÆDE LAURETANA.

VNDE mihi insolitus præcordia concutit horror,
Et perfusa metu trepidat, velut icta Deo, mens?
Fallor: an hoc facit ipse locus, stimulosq; paventi
Subjicit, atq; animum præsentia numinis urget?
O cœlo dilecta domus, postesq; beati,
Quos ego jam pridem tota mihi mente cupitos,
Nunc primùm, veteris voti reus, advena viso:
Salvete, adspectúq; mihi feliciter este.
Vósne per ætherias Iudææ à finibus oras
Aligerum, mandante Deo, vexêre manipli?
Hìc virgo genitura Deum, genitricis ab alvo
Prodiit, & blandis mulsit vagitibus auras?
Hìc quoq;, virginei servata laude pudoris,
Sancta salutifero tumuerunt viscera fœtu?
Ille opifex cunctorum, illa æterno unica proles
Æqua Patri, ille homini primæva ab origine lapso
Spem cœlo vitamq; ferens, hac lusit in aula
Parvulus, & sanctæ blanda obtulit oscula matri?
Quænam igitur regum sedes, quæ templa per orbem,
Huic se ausint conferre loco? ter & amplius omnes

Ante

Ante alias felix Piceni litoris ora:
Cui Solymos spectare domi, cui munere divum
Fas calcare domi est pedibus vestigia Christi.
En ego jam supplex procumbam, atque oscula figam
Parietibus sanctis, spargamq; hoc pulvere crines.
Adspice me superis è sedibus, adspice, virgo
Postratum, atq; imo gemitus ex corde cientem,
Et pectus tundentem & fletibus ora rigantem:
Neu, quanquam culpis adopertum turpibus, arce
Adspectu me diva tuo: si pectore toto
Te veneror si te, dubiis in rebus, ad unam
Confugio, teq; auxilium sanctissima posco.
Pœnitet ex animo vitæ me Diva prioris
Pœnitet, & meritas horret mens conscia pœnas.
Quod nisi tu casto pendentem ex ubere natum
Concilias, placasq; mihi, quo tendere cursum
Quóve malis fessam tentabo advertere puppim?
At tu, namq; soles, placida dignare querelas
Aure meas, & ades lapsis mitissima rebus.
Certè equidem tota pendentes æde tabellas
Adspicio, quæ te miseris præsto esse loquuntur.
Hic, te animo spectans, torrentem viscera febrim
Depulit, ille hyadas tristes, hœdumq; cadentem
Spectavit tutus, vertentibus æquora ventis,
Et duce te patrias enavit salvus ad oras.
Criminis ille reus falsi, sub judice duro,
Dum mortem exspectat tenebroso carcere clausus;
Munere Diva tuo detecta fraude, revisit
Uxorem & natos, exoptatumq; parentem.

O ego nunc morbis multò gravioribus ager,
Naufragiumq; timens longè exitiosius illo,
Et jam pridem animum peccati compede vinctus,
Si possim morbis liber, vinctisq; solutus,
Fluctibus & ventis laceram subducere puppim:
Quas tibi lætus agam grates, dum vita manebit?
Te, cum luce novâ sparget sol aureus orbem,
Te recinam, quoties abscondet opaca polum nox:
Et tua præcipuo venerabor numina cultu.

IN D. BARBARAM.

BArbara, qui laudes speret se æquare canendo,
Posse tuas, idem pulsantes litora fluctus
Et Lyricas numero comprendere tentet arenas.
Te Pater insanus turri concluserat altâ:
Sed verum Danaen verus te Iuppiter illic
Despondit sibi Christus, & arcto fœdere junxit.
Illo & tu triplices fieri inspirante fenestras
Mandasti, & niveo sculpsisti in marmore signum,
Quo reparata salus, & deficiente ministro
Ipsa tuos mersisti undis lustralibus artus.
Quid memorem, ut ibi mens fugienti cesserit, aut quæ
Cœperit indicii vesanus præmia pastor
Qui dum muratur pecudes in marmora versas
Ipse suum pariter sensit lapidescere corpus.
Non tu carnifices, non tu tormenta timebas,
Non gladios animosa, & Christo plena virago,
Qui te ad cœlestem meritis pro talibus aulam

Evexit,

Evexit, regnique libens in parte locavit.
At tu Diva graves hominum miserata labores,
Pacem illis, veniamque ora & nocitura repelle.
Præcipuè antiquo prognatum ex sanguine regum
Gonzagam, felix quo se duce Mantua jactat,
Qui virides Minci ad ripas tibi Diva sacravit
Templum angustum ingens, cura quod & ipse tuetur
Pervigili, & flammam latè spargentibus aris
Sæpe manu propria meritos imponit honores,
Hunc tu Diva tuo protectum numine sancto
Conserva, populumque simul, qui sacra, secutus
Principis exemplum, puro tua corde frequentat.

P. FRANCISCO BENTIO.

BEnti nihil me, sicut antea, juvat
Pervigili studio nil profutura quærere:
Nec quas per urbes cautus, exciso Ilio,
Saxa Ithacæ repetens, Laërtis errârit puer:
Nec quot Ithacenses Circe pharmacis potens,
Vultu hominum posito, grunnire porcos jusserit:
Curæ magis mî est, lustra jam decem miser
Qualibus in vitiis defixus ipse erraverim:
Cùm me, Dei vix jam manente imagine,
Mortifera induerat fœdam voluptas in suem,
Quis me sequetur fructus ubi pernovero,
Quot mala Grajugenis Achillis ira invexerit:
Si nesciam vesanus, in quæ me mala
Præcipitem ira Dei, nisi resipiscam actura sit?

Hei

Hei mi labores, hei dierum ac noctium,
Quas memini in studiis me talibus consumere,
Malè metuentem, ne quis usquam æqualium
Certius ac melius plures teneret fabulas.
Et tamen ab æquis non gravatè improvida
Iudicibus veniam fortassis ætas imperet.
Sed nunc columbis concolor cùm sim caput,
Et mihi sarcinulas brevi legendas sentiam,
Nisi meliora mente tota cogitem:
Bis puerum merito, Franciſce, me vocaveris,
Beatus ille, quem juventa in limine
Abstrahit à vitiis ipse & sibi adstringit Deus.
Nec tamen habendus ille in infelicibus,
Ad meliora, Deo vocante, qui venit senex.
Verum est poëtæ nobilis verbum vetus:
Si benè quid facias, sero licet, prodest tamen.
Communi utergò gratias agat patri,
Sors tibi prima data est: mihi secunda contigit.

MVRETO FRANCISCVS BENTIUS.

MUrete, me nunc, ſicut antea, juvat
Quæ mihi, quæque aliis das, profutura carmina
Expreſſa ſancti Spiritus molimine
His avidis oculis & tale quæritantibus
Et lectitare & lectitando ediſcere,
Labitur inde mihi furtim humor udas in genas,

Palam

Palam arguens quæ pectus intrant gaudia,
Pectoris exigui majora claustris gaudia,
Conversa studia quando utriusq; refricas.
(Grata utriusq; Deo & mortalibus conversio)
Nam utercq; nigro noctis è silentio
Cœpimus aspicere Christi benigna lumina.
Utercq; noctis tum relictis artibus,
Depositis tenebris & arma lucis induit.
De te sed ipse multa deploras modis
Flebilibus: lachrymans: & ad gemendū me vocas.
Eheu dolor, quid ulcus antiquum novas?
Iam memini, miser, heu, quod pœnitet, piget, pudet.
Cùm vilis ancillæ expaveſcens voculas
Immemor officii, Christum negavi sæpius.
Gallo at canente, cum me amico lumine
Intuitus Deus est: prior mihi tunc mens redit.
Ad me ipse tandem triste post tempus redii,
Exiliensq;, foras, laxavi habenas fletui,
Absterſit inde lachrymas Christus meas,
Speq; data veniæ, perduxit in gregem suum.
Eduxit idem, quod fateris, improbæ
Servitio domina, & vindicavit te sibi.
Quid restat ergo? hortetur alter alterum.
Nunc si aliquis gravior fortasse se offeret labor,
Feramus hunc, Murete, mente qua decet,
Atq; ducem Dominum forti sequamur pectore,
Quod si una utrumq; ad vineam hora non vocat
Unus utriq; tamen promittitur denarius.

PSAL.

PSAL. CXIV.

Dilexi quoniam, &c.

Summus amor Domini medio mî in pectore fervet,
Namq; meas clemens audiit ille preces:
Excepitq; meas facili bonus aure querelas.
Illum igitur, fuerit dum mihi vita, colam.
Letiferi hærebam vinctus quasi fune doloris:
Nec procul à duræ limine mortis eram.
Summe Deus, dixi, solo te vindice fretum
Eripiat tantis me tua dextra malis.
Ut bonus est, ut opem citò ritè vocantibus adfert!
Iustus ut, & nitidæ simplicitatis amans?
Attritus propè eram, cùm me consurgere jussit,
Depulit & capiti cuncta pericla meo.
Quid trepidas anima? ad solitam te verte quietem;
Plurima supremi munera regis habes.
Ille à morte animam hanc, à trifli lumina fletu,
A lapsu infirmos eripuitq; pedes.
Vivam igitur post hac illo duce & auspice tutus;
Et mea semper erit cura placere Deo.

PSAL. CXIV.

Quid gloriaris in malitia, &c.

Quid gloriaris perfide, quid tumes?
An ista verum nescia proloqui
Te cæteros supra ferocem
Lingua bonis inimica reddit?

Cura

Cura una & unum est id studium tibi,
Noctes dies q̃ hanc, ut potes, asperas
Novaculæ in morem: & latentes
Insidias struis huic & illi.

Te læta damnis improbitas juvat,
Egens q̃ semper pluris iniquitas.
Tu fœda facta & fraudulenta
Usq̃ novis cumulare gaudes.

Quæscunq̃ verbis, ô scelerum artifex,
Posse in ruinam præcipites agi
Confidis insontes amicos,
Illa tibi dedicisse melli est.

Quapropter ultor, ne dubita, Deus
Tandem à merenti supplicium exiget:
Radicibusq̃ evulsum ab imis
Sedibus ejiciet tuis te.

At hæc videntes, artubus intimis
Iusti intremiscent: & magis ac magis,
Ne provocent in se quoq̃ iram
Numinis, admoniti cavebunt.

Tu risus illis interea miser
Iocusq̃ fies. En sibi qui Deum
Temnebat adjutorem: & in se
Sat sibi præsidii putabat.

Quid nunc, quid illum per scelera & dolos
Exstructæ in alteum divitiæ juvant?
In pulverem omnia & favillam
Et tenues abiere fumos.

Ego

Ego autem, in uno ſpem mihi qui Deo
Omnem locaui: liber agam metu:
Florens oliuæ inſtar nitentis,
Quam Domini ſtudium tuetur.
Semperq; regum maximè te canam:
Nec me ſonoris deficiet tuum,
Plaudente juſtorum corona,
Carminibus celebrare nomen.

PSAL. XLVI.

Omnes gentes plaudite, &c.

O Populi lato quoscunq; alit ubere tellus,
Ingeminate alacres plauſum luctuq; fugato,
Læta triumphali reſonent faci e, omnia cantu,
Ille etenim regum ter maximus, ille tremendus,
Quem ſola terrarum cœli quem templa verentur,
Subjecit nobis populos faſtuq; repreſſo,
Ferre jugum admota pedibus cervice coëgit,
Ipſemet elegit clemens patrimonia, nobis
Quæ daret, æterno Iſacidæ ſuccenſus amore.
Euge pater, pater euge, tuum hæc ſunt omnia munus,
Aſcendente Deo, litui ſonuêre, tubæq;:
Prodidit ipſe novis ſua gaudia vocibus æther.
Pſallite nunc pia corda Deo: nunc pſallite Regi,
Pſallite, qui terras omnes ditione coërcet:
Et mulcete pias doctis concentibus aures,
Imperium ſine fine Deus toto obtinet orbe,
Et ſancto innixus ſolio regit omnia ſolus,

Ductu

Ductores populorum illius signa sequuntur.
Namq; Abrahami alios longè Deus anteit omnes.
Scuta sua extulit ipse altè super ardua terra.

PSAL. XIV.

Domine quis habitabit, &c.

QUisnam, ô rex æterne, tuam admittetur in aulam,
Cui dabitur montis culmen adire tui:
Perpetua ut tecum compôstus pace fruatur,
Carpens nota uni gaudia cœlitibus?
Qui nulla ingreditur macula suffusus amatq;
Ex animo rectum, justitiamq; colit.
Cui neque cor fraudes agitat, neq; subdola lingua est:
A quo se læsum dicere nemo potest.
Quem fugiunt injusti, & quo præsente liquescunt:
Quo viso, justis mens animusq; redit.
Quem mutare fidem nunquam jactura coëgit:
Fœnore qui partas odit & horret opes.
Nullo unquam judex potuit qui munere vinci,
Ut duro insontes læderet ore reos.
Qui facit hæc, is dignum in cœli templa receptus;
Tecum una dempto fine beatus erit.

MEnte Deum pura quisquis veneratur amatq;,
Vis illi exterior nulla nocere potest.
Non si illum obsideant hostiles undiq; turmæ,
Quas sitis innocui sanguinis exagitet:

Non toto coëat si quidquid in orbe ferarum est,
Et quot in Oceani gurgite monstra natant.
Ille, licet tristes agitent maria alta procellæ,
Undarum in medio vertice tutus erit.
Ille interq; feras atq; agmina sæva latronum
Noctu etiam in medio tutus erit nemore.
Non quæcunq; truces adhibent tormenta tyranni,
Illius unquam animum terrificare queant.
Pix, rota, robur, equus, candentis lamina ferri,
Omnia pro Christi nomine ludus erunt.
Felices quorum ille intus amor ossibus hæsit.
Quanta illos obita præmia morte manent?
O si me quondam numero Deus aggreget illi:
Quæ tunc sors melior sorte futura mea est:
Ah Christe ure meum tandem face pectus amica,
Eque pigro invisum discute corde gelu:
Ut nec avarus opes sector, neq; vanus honores:
Sed flagrem solo totus amore tui.

GUstanda vita, non fruenda homini datur.
Nam, cùm fruendi tempus est tum deserit:
Felicius maritus, an cælebs agat,
Privata vita sitne regno dulcior,
An vita regia solium attingat Iovis:
Peregrè morari suavius sit, an domi:
Qui, quamq; multi, & quo parandi more sint,
Quo habendi, amici: nullus hæc curat puer:
Rarus adolescens: nec senex omnis videt.

Et

Et hæc tamen vitam prope omnem continent.
Quæ si quis acri cura & usu pervigil
Longo notârit, jamq; secum statuerit,
Quid fugere, quid contemnere, & quid persequi
Expediat homini, vix eam ingresso viam,
Quam maximè unam ex omnibus probaverit;
Obstat senectus invida, & cursum impedit:
Mox avida tristes Lachesis injicit manus.
Sic vivere meditantibus vita evolat.

Si exspectes, Pamphile, ipsa dum negotia
Te accersant ultro, & dormientem excusciten:
Vehementer erras, taciti discedunt dies:
Nec oblivioso officii admonent sui.
Superba res est rei gerendæ occasio.
Semel contempta, nunquam postidea redit.
Vigiles oportet, & tua accures memor.
Nam, si ipse rem curare negligas tuam,
Fugit illa, & facile, qui se curet, invenit.
Tu rem quam cures postea haud facile invenis.

Memini magistrum puero mi olim hoc dicere,
Summum Jovem facere item, ut caupones solent:
Qui vina ut vendant, turbant, miscent, diluunt:
Nec cuiquam vini simplicis donant cadum.
Itidem illum ajebat in vita mortalium
Nunquam fortunam simplicem cuiquam dare:
Sed temperare fata lætis tristia.

E Græco Callimach..

Nam q̃ & ego nitido capiti, flaviq̃ capillis
Serta olim Assyrio sparsa liquore dedi,
Et bona in ingratum congessi plurima ventrem,
Cuncta sed in ventos illa abiere leves.
Servârunt solæ commissa fideliter aures.
Corporis hac una est parte reperta fides.

RAPHAELIS VRBINATIS PICTORIS EXIMII TUMULUS.

Ipse loquitur.

Sic mea naturam manus est imitata, videri
Posset ut ipsa meas esse imitata manus.
Sæpe meis tabulis ipsa est delusa, suumq̃
Credidit esse, meæ quod fuit artis opus.
Miraris, dubitasq̃? audito nomine credes.
Sum Raphaël, hei mî, quid loquor? immo fui.
Et tamen, his dictis, quid opus fuit addere nomen?
Alterutrum poterat cuilibet esse satis.
Nam mea & audito est notissima nomine virtus:
Et præstare vicem nominis ipsa potest.

Quidquid agam, Claudi, seu quò me vertere tentem,
Seu nihil, ut soleo, desidiosus agam
Ante oculos tua mi assiduè obversatur imago:
Unaq̃ tristitiam gignit & una levat.

Angor

Angor enim infelix, quod te, quo sospite solum
Esse velim sospes, & moriente mori:
Nunc, ubi sis, quid agas, veterem tibi cura medentum
An nondum morbum pectore depulerit:
Nec scio, nec jam scire ulla ratione potis sum:
Quæ me res angore unica penè necat.
At rursus nihil est, quo me ipso tempore solet,
Quodq; oculos tristi tergeat imbre graves,
Te nisi cum vana sibi mens sub imagine fingit:
Seu vigilem, dulci sive sopore premar.
Hoc mihi Nepenthes curas dissolvere promptum
est:
Luctibus hæc una est apta medela meis.
Tecum ego nunc video teneros percurrere versus
Sive Catulle tuos sive Tibulle tuos:
Nunc etiam rerum causas tentare latentes,
Discere & unde fluant omnia, quoq; fluant.
Nunc herba in viridi, latæ porrectus ad umbram
Arboris, & rivum molle strepentis aquæ,
Auras q; & dulces avium captare susurros,
Perq; vices tecum multa jocosa loqui.
Gratia dis, qui mentem homini celeremq; dederunt,
Et quævis habilem fingere spectra sibi.
Illa & plumipedem superârit Persea cursu,
Et celerem invicti Bellerophontis equum.
Nec mihi, se cuius rerum natura creatrix
Expressam in tabulis cernit, ut in speculo;
Tam bene te docto Titianus pollice pingat,
Quam mens te adsiduè pingere prompta mea est.

Atq; utinam tibi sit de nobis mutua cura,
Nec quin sit, dubito: sed tamen esse precor.
Non ego vulgari te, Claudi, amplector amore,
Hac face rara Deus tangere corda solet.
Me me ipse odissem, nisi tu me gratus amares:
Nec nisi me, quoniam sum tibi carus, amo.
Deniq; cùm fuero nulli credenda locutus,
Pars tamen illa mei parvula amoris erit.
Di faciant, longos producere detur in annos.
A pueris cœptæ fœdus amicitiæ.

O Lingua, lingua: ut magna eges custodia:
Quæ & alios sæpe, & sæpius Domino noces.
Multum assecutus, qui bene didicit loqui:
Qui bene tacere, non minus assecutus est.

NIvibus hyems exuperat; & ver floribus,
Æstas aristis affluit, lacrumis amor.

SI mihi lacerti, quales olim, nunc forent:
Non lingua potiùs tibi opem ferrem, quàm manu.
Nunc tarda membra, & sanguis adstrictus gelu
Conserere in acie cum hostibus manum vetant:
Prodesse patriæ voce & consilio sinunt,
Corpus abit annis: consilio animus viget:
Vires q; senibus defluunt, verba affluunt,

Affi-

Affecta Trabeæ.

HEre, si querelis, ejulatu, fletibus
Medicina fieret miseriis mortalium,
Auro parandæ lacrumæ contra forent:
Nunc hæc adminuenda malo non magis valent,
Quàm næniæ præficæ ad excitandos mortuos.
Res turbidæ consilium, non fletum, expetunt.

UT imbre tellus, sic riganda mens mero:
Ut illa fruges, hæc bona consilia offerat.

AD P. FVLVIVM CARDVLVM.

SÆpe transactos mea mens per annos
Ire retrò, & vitæ relegit prioris,
Qua potest, cursum, veteres revoluens
Ordine culpas.
Quid puer, quid dein juvenis, quid autem
Temporis jam vir male collocarit;
Dulcibus dum me furiat venenis
Dira voluptas.

Quas mihi prudens maculas inussi?
Quo modo ah demens animum inquinavi,
Quem salutaris nitidum lavacri
Fecerat unda?

Corporis nec pars vacat ulla probro:
Os, manus, aures, oculiq; turpe
Heu jugum infamis dominæ tot olim
Lustra tulerunt.

Paululum hoc saltem fugientes ævi,
Viribus cassæ reliquum senectæ,
Quantulum Christus superesse vult mî,
Vindicet ipse.

Ipse me prìdem Veneris perustum
Improbæ flammis rapiat, novoq;
Flammis sancti jecur & medullas
Igne pererret.

Tu tui instilla mihi Christe amorem:
Unicum mens te mea concupiscat:
Te nihil præter sibi persequendum
Iudicet unquam.

Nil opes, nil me capiant honores:
Exulet luxus simul & libido:
Vana delusæ procul hinc facessant
Gaudia mentis.

Quiq; florenti malesanus ævo
Nil nisi obscœnum, piget heu, canebam,
Nunc tuum tantum repetam senili
Carmine nomen.

Tu quoq; hunc votis precibusq; Fulvi
Adjuva ardorem: quotiesq; sumis
Mysticum Christi trepidus nitentem
Corpus ad aram:

Mente tunc tecum [redacted] mori volutans,
Trade me Christo: mea vota nam si
Negligat, certè tibi nil potenti
Tale negabit.

Hoc idem cari mihi præstet oro
Cura Maffæi: & mea dicta quondam

Qui

Qui nimis forsan cupida bibebat
Bentius aure.
Bentius, quem rectum iter evagantem,
Et parum cauta calidum juventa,
Contigit virga Deus, in suumq́
Duxit ovile.
Nunc ubi expletus meliore mentem
Pabulo, currit per iter salutis,
Heu procul segnem sua post relinquens
Terga magistrum.

TIBUR.

QUicunq́ Herculei spectabit Tiburis arces,
Qua pater Hippolytus, sacri pars magna senatus,
Cura Deum, loca perpetuo prius aspera saxo
Molliit, & leni jussit mitescere clivo,
Omnia deprendet longè superantia famam.
Nec tam regifico constructa palatia sumptu,
Auroq́ illusas ædes radiataq́ tecta.
Quam semper virides mecum admirabitur hortos,
Et gelidos fontes, & aquam in sublime volantem,
Seq́ in multiplices vertentem, ut Protea, formas.
Præcipuè tamen illi animum novitate movebit
Excisus, res mira, silex, rupesq́ cavata,
Et via facta manu longi per viscera montis:
Qua se Anio pater insueto pervolueret alveo.
Qui longum per iter tenebroso tramite lapsus,

Exit, & arboribus gelidæ non invidet undæ.
Stant habiles propter Nymphæ, lymphasque paratis.
Exceptas urnis in vasa capacia fundunt.
Parte alia ipse suis altricibus adstat Iacchus,
Materniq; memor casus, flammæq; paternæ,
Gaudet aquis, illisq; libens sua munera miscet.
Dum stupeo, tam multa videns miracula rerum:
Ecce novos procul alituum concentus ad aures
Fertur, & insolita mentem dulcedine tangit.
Adspicio: & gressum propius fero, corpora cerno
Parva ex ære avium, æratis nitentia ramis,
Dædala queis variam tribuit sollertia vocem.
Quamcunque adspicias, delusus imagine, veram
Esse putes volucrem: nisi quòd non evolat usquam:
Sed ramis affixa suis cantu æthera mulcet.
At veræ mirantur aves: & cedere dum se
Turpe putant, liquidis late omnia questibus implent.
Hic Luce egregius labor est, quem Sequana partu
Ediderat, Siculi renovantem inventa magistri,
Quid? quem non moveat cygnum mentitus adulter,
Illudens simili spirantem à marmore Ledam,
Deliciisq; suus, & aquarum murmure latus?
Multaq; præterea veterum simulacra Deorum,
Arcis opus priscæ, cunctos verum arduus inter
Eminet Alcides: qui spectans omnia circum.
Hesperidum veteres hortos præ Tibure temnit.
Sed quid ego hæc versu nequidquam includere tento?

Iam

Iampridem exiguum præscripti carminis orbem
Excessi: & dictis semper majora supersunt.

Idem.

DEliciæ veterum Tibur volventibus annis
Conciderat, priscum perdideratq; decus,
Et nusquam rivi, nusquam pomaria, nusquam
Ulla super tanti signa decoris erant.
Illa loca antiquis toties celebrata poëtis
Horrebant turpi squalida facta situ.
Mœrebant erepta sibi sua gaudia Nymphæ,
Languentes Anio mœstus agebat aquas.
Omnia tempus edax ita deformârat, ut hospes
Quæreret in medio Tibure, Tibur ubi est?
Non tulit hanc speciem divini pectoris heros
Hippolytus, sacri gloria magna cheri.
Ille loco senium abstersit, vultusq; priores
Reddidit, & solito jussit honore frui.
Illius imperio jussæ revirescere silvæ
Cœperunt sparsis luxuriare comis.
Ille novos passim fontes emergere jussit.
Nec mora fit: fontes prosilvere novi.
Quos circum statuit præceps egesta ruinis
Plurima Phidiaca signa polita manu.
Ipse Anio frontem pallenti cinctus oliva
Astitit, & proprias consociavit opes.
Iure igitur fontesq; sacri, silvæq; virentes
Certatim Hyppolyti nomen ad astra ferunt:

Et,

Et, quoties molli increpuit levis aura susurro,
Hippolytum alternis vocibus ingeminant.

AD PETRVM GERARDIVM.

O Delicati blanda ruris otia,
Curis & ambitu procul:
O dulce murmur limpidorum fontium,
O grata nemorum opacitas,
O sibilantes arborum ingentum comæ,
O prata verè gemmea,
O solitudo amica cogitantibus,
O horror, ô silentium,
Cui nunc canoro gutture obstrepunt aves,
Nunc canna pastoris vagi,
Seu mane oves in læta ducit pascua,
Seu vespere reducit domum.
O mensa nec luxu affluens, nec sordida,
Dapibus parata rusticis,
Quas non heri languentem ut irritet gulam,
Doctus saporavit coquus:
Sed filiis juvenibus & seni viro
Severa coxit villica,
O bibliotheca nota paucis, ô libri,
Quos rara contrectat manus.
O cella tantum lectuli unius capax,
O somne liber, & levis:
O ad beatam tuta vitam semita,
Ignota vulgi sensibus:

Ut

Ut vos requiro: ut mente vos tota expeto,
Alia perosus omnia.
Ut lætus ad vos tendit, & gazis libens
Vos anteponit Persicis
Quicunque puro pectus Olmeo lavit,
Frondemq; mordet Delphicam.
Quid tu, Gerardi, cui profanis invios
Adire fontes contigit,
Partésne easdem sequeris, an sitis mala
Opum, aut peruſtus gloriæ,
Amœnitati ruris & dulci otio
Vitam anteponis aulicam?
O per Lycæi cognitos paucis ſpecus,
Quos ſæpe luſtraſti puer,
Ne ſperne amicus conſili quod dat ſenex,
Quodq; ſibi ſed ſero capit.
A literato te otio avocantibus
Occludito aures, & fuge:
Canora monſtra ut auribus cera oblitis
Laërtis effugit puer.
Beata vita non metallo aut Indici
Spoliis paratur æquoris.
Animo appetenti pauca quod ſat eſt, ſat eſt:
Avido, atq; inexpleto, nihil.
Cùm tibi ſit; unde liber, & planè tuus
Vitam quiete tranſigas:
Quis, heu, furor te, quis, rogo, impellit furor,
Vincla ultro ut induas tibi;

Et

Et more pulcbrum vivere alieno putes,
Nutus timentem divitis?
Age, rumpe nexus, & jugum collo excute;
Vindexq́; & assertor tui,
Aude esse felix, & procul cuncta amovens;
Quæ mentem humo adfixam tenent,
Per liquida puri spatia decurre ætheris,
Æterna tantùm cogitans:
Et ista sortis lubricæ ludibria
Miranda vulgo desere.
Utinam mihi olim, flore cum primo rudes
Iuventa opacaret genas,
Amicus aliquis ista monstrâsset senex,
Quæ nunc tibi ipse cantito:
Non ego perisse lustra tot in aula mihi
Vanis dolorem questibus.

Dedicatio hortorum Tiburtinorum.

NEc labor Alcidem fregit, nec blanda voluptas
Unquam animum casti mollit Hippolyti.
Ambarum hos hortos virtutum accensus amore,
Herculi, & Hippolyto dedicat Hippolytus.

Idem.

AUrea sopito rapuit quæ mala draconi
Alcides, eadem nunc tenet Hippolytus.
Qui memor accepti, quos hic conseverat hortos,
Auctori voluit muneris esse sacros.

Bac-

Bacchus fonti impositus.

NOndum natus eram, cùm me propè perdidit ignis.
Ex illo fontes tempore Bacchus amo.

Idem ex adverso respiciens fontem Nympharum.

QUi colitis Bacchum, comites simul addite Nymphas:
Nam sine ope illarum munera nostra nocent.

In tabulam Tantali.

SI quando admittant sua te ad secreta potentes,
Quisquis es, exemplo disce tacere meo.

In tabulam Jasonis navigantis, & Herculis raptum Hylam quærentis.

VIribus auferres, quod fraude parabis Iason:
Eripit Alciden sed tibi raptus Hylas.

PROLOGUS IN PHORMIONEM TERENTII.

Cùm eam aliquot nobiles adolescentuli Hippolyti Cardinalis Ferrariensis jussu acturi essent.

ETsi scio esse hîc neminem, qui nesciat
Quid apparatus noster hic velit sibi,
Tamen mearum partium esse existimo,

Inter-

Interea dum se mei sodales comparant,
Bona cum venia vestra, pauca dicere,
Quæ scire vos, & vestra, & ipsorum interest.
Comœdiam Terentii acturi sumus,
Cui Phormioni nomen ipsus indidit,
Quod parasitus in ea Phormio primas agit.
Neq; hoc videri debet aut mirum, aut novum:
Quando quidem in omni vita, nedum in fabulis,
Parasiti, scurræ, sycophantæ, omne id genus,
Bonis repulsis, ipsi jam primas agunt.
Quod si quis est, parum decorum qui putet,
Iuvenes ingenuos personatos conspici, in
Scenam prodire, & quasi facere histrioniam:
Is sibi responsum hoc habeat. nulla re magis
Dijudicari omnia, quæ mortales agunt,
Quam fine, quem is, qui quid agit, proponit sibi.
Qui scenicam artem victûs caussa factitant,
Et, ut coquis ac lanius risum excitent,
Distorquent ora, insulsa dicta dictitant,
Contundunt pugnis se invicem, atque horum omnium
A plebe viles exigunt mercedulas,
Meritò histrionum nomen & famam ferunt.
Nil simile nostrûm est. Nos, ut nostram industriam
Vobis probemus omnibus, ut communi hero
Hilaremus animum, cui debemus omnia,
Unum id petentes, hunc laborem cepimus.
Quanquam ô supremi cœlites, quem jam omnium
Pudere debet personatum conspici,

Cùm

Cùm id omnis ætas, omnis ordo facilitet?
Sed nolo nunc ulcera cuiusquam tangere,
Ne quis satyram esse hanc dicat, non comœdiam.
Nunc unum à vobis priusquam hinc abeam, postulo,
Si vos, quod vestri honoris caussa fit, juvat,
Favete, & vigilate animis, vigilate auribus.
Dormite linguis, qui tacere non queunt,
Benefecerint, si cesserint iis, qui queunt.
Ne & turbent alios, & morbum prodant suum.
Facite, ad conanda in posterum nos talia
Bonitas ut vestra, atque æquanimitas excitet.

AD ANT. MONTECATINVM.

TAndem querelis pone modum tuis,
Et fata mœstis invida vocibus
Clamare, crudelesq́, Divos
Cum gemitu lacrumisq́, parce.
Nam, quid Lycei juverit avios
Lustrâsse saltus, fontibus ac sitim
Ex vulgo inaccessis levâsse,
Ingenioq́, adiisse Divos:
Si mentis istud præsidium tuæ
Perrumpit, & sese intus agit dolor,
Imisq́, fervens in medullis,
Te quasi perdomito triumphat?
Magnam doloris fata quidem tibi
Caussam obtulerunt, qui tibi cognitum,
Longoq́, carum usu sodalem
Hannibalem ante diem abstulerunt.

Qui

Qui quanquam avitis sat titulis domi
Foris q̃ clarus, non tamen id sibi
Satis fore ornando putavit,
Ni proprios etiam ipse honores
Labore magno quæreret impiger,
Comamq̃ lauro duplice necteret,
Et qua ferox Gradivus, & qua
Pulcher Apollo suos coronat.
Heu quis Deorum mentibus addidit
Famæ illam honestis immodicam sitim?
Quam sæpe multis illa tristem
Funeris acceleravit horam?
Sed, quorsum inanes jam querimoniæ?
Ille ipse, quem urges questibus, Hannibal,
Felix, & insertus Deorum
Concilio, mala nostra ridet.

M. ANTONII MURETI IN. STITVTIO PVERILIS COMPREHENSA versibus ad captum puerulorum, qui primis literis imbuuntur, accommodatis.

AD MARCUM ANTONIUM FRATRIS F.

DUm teneres, MVRETE, avidis hæc auribus hauri:
Nec memori modò cõde animo, sed & exprime factis,

Impri-

Inprimis venerare Deum: venerare parentes:
Et quos ipsa loco tibi dat natura parentum.

Mentiri noli. nunquam mendacia prosunt.
Si quid peccaris, venia est tibi prompta fatenti.

Disce libens. quid dulcius est, quàm discere multa?
Discentem comitantur opes, comitantur honores.

Si quis te objurget, malè cùm quid feceris, illi
Gratiã habe, & ne iterum queat objurgare, caveto.

Ne temerè hunc credas, tibi qui blanditur, amicum.
Peccantem puerum quisquis non corrigit, odit.

Qui semel incautum blando sermone fefellit,
Ille quidem, dabitur quoties occasio, fallet.

Nec cuivis sapiens, nec nulli credere debet.
Fallitur alter sæpe: fidem sibi detrahit alter.

Si quid fortè malè aut facias, aut mente volutes,
Ut lateas homines, certè Deus omnia cernit.

Non nisi spectatis arcana sodalibus effer:
Quodq; tacere voles alios prior ipse taceto:

Nil cupidè specta, nisi quod fecisse decorum est:
Turpia corrumpunt teneras spectacula mentes:

Averte impuris procul à sermonibus aures:
Et qui illis gaudent, horum consortia vita.

Principio studii radix inamœna videtur,
Sed profert dulces parvo pòst tempore fructus.

Ludo indulsisti? subitò evolat illa voluptas.
Legisti? utilitas studio percepta manebit.

Ut moderata quies prodest, viresq; ministrat:
Sic habetat corpus nimia, ingeniumq; retundit.

Si prodesse aliis studeas, tibi proderis ipsi:
At nisi amas alios, & te quoq; nullus amabit.

Successus faustos nunquam admirare malorum:
Sera licet, tamen olim illos sua pœna sequetur.

Si tibi grata quies, juvenis ne parce laborì:
Dux ad honoratam est homini labor ipse quietem.

Inspice te in speculo: & bona seu tibi forma videtur,
Moribus obscœnis illam fœdare cavetto.

Seu tibi subtraxit vultus natura decorem,
Ingenio ut formæ compenses damna labora.

Nil facito, quod turpe putes fecisse videri:
Et cura, ut multis tibi sis pro testibus ipse.

Ut

Ut nos pauca loqui, plura autem audire moneret,
Linguam unam natura, duas dedit omnibus aures.

Quæ servare voles, ne crebrò invisere parce:
Namq; minus furem metuunt, quæ sæpe videntur.

Blanditur primo, sed perdit inertia famam:
Aspera res primo est, sed fert industria laudem.

Aut vinum ne tange, aut multa prolue lympha:
Cùm vino indulges, igni puer adjicis ignem.

Fac tibi sit vultus comis, sermoq; modestus:
Sic multos facilè tibi conciliabis amicos.

Semper opum studio præfer virtutis amorem.
Non opibus virtus, sed opes virtute parantur.

Disce, & quæ didicis, memori sub pectore conde,
Aut facies tantundem, ac si cribro hauseris undam.

Irasci noli temerè, nil fœdius irâ:
Quam quæcunq; movere solent, ea temnere laus est.

Venti agitant celsis positas in montibus ornos,
A quibus in media tuta est arbuscula valle.

Sic & opes agitant majora pericula magnas:
Tutior angustos comitatur vita penates.

Pauca loqui puero, sed tempestiva, decorum est:
Hæc etenim ingenium res indicat, illa pudorem.

Scire cupis, quæ sit famæ via certa parandæ?
Talem te præsta, qualem te poscis haberi.

Verbera non metuet, metuet qui jussa magistri:
Hæc qui contemnet, meritò miser ille timebit.

Quàm felix puer est, virtus in quo anteit annos.
Illum omnes meritis certatim laudibus ornant:
Et spectant cupidè, & felicia cuncta precantur.

At contra nemo alloquio dignatur inertes.
Spernuntur cunctis, & vulgi fabula fiunt:
Vix oculis pater ipse illos satis aspicit æquis.

Non tantùm in præsens obsunt peccata: sed hoc plus,
Ad mala quod proclivem animum adsuetudine reddunt.

Quæ bona sunt, sectare: etiam si dura videntur
Principio: longus paulatim ea molliet usus.

Acceptum officium memora atq; extolle: sed abste
Collatum extenua, & potius sine prædicet alter.

Utilitas quoties pugnare videtur honesto,
Ne dubitare quidem fas est, quin vincat honestas.

Pauca

Pauca quidem hæc: sed quæ studio servata perenni
Mirificos fructus progressu temporis edent.
Adspiret tantum cœptis Deus: omnia cuius
Consilio æterno & certa ratione reguntur.
Quem tu & luce puer prima, cùm strata relinquis
Impiger, & dulcem repetis cum vespere somnum,
Supplicibus facito places ante omnia votis.
Ille tibi ingeniumq́; sagax, corpusq́; salubre,
Et multò meliora dabit. diffidere noli.
Tu modò ad illius semper refer omnia laudem.

JOANNES MATTHÆUS TOSCANUS AD M. ANTONIUM MURETUM Presbyterum, civem Romanum & Oratorem, &c.

CErtamen, MVRETE, novum: te Gallia civem
Asserit hinc; illinc terra Latina suum.
Quem nunc implentem Romana palatia voce
Eloquii priscum restituente decus:
Attonitus stupuit post ter sibi sæcula quina,
Tybris inauditos dum bibit aure sonos;
Te meæ Romæ suis dum nuper civibus ultro
Annumerat, gaudens talia verba dedit:
Terra mihi tales Lemovix dum mittat alumnos,
Nil te, ARPINE, moror municipesq́; tuos.

SEQUUNTUR QUÆDAM CARMINA, VEL CARMINUM Fragmenta eiusdem Auctoris; vel aliorum in eundem,

Nunquam antea in lucem edita.

MARCI ANTONII MURETI CARMEN

DE S. ANDREA APOSTOLO.

Dic mihi musa virum, Geticas qui primus in oras
Intulit æternæ fulgentia signa salutis:
Mox se regna ferens alacris per Achaica victor,
Dum parat usq; novos antiquo ex hoste triumphos,
Sacravit veteres generoso sanguine Patres.
Tu modò tot, sævis quo tempestatibus actæ
Se tamen, ut possunt, solantur præsule Senæ,
Huc adhibe Franciſce animum, mecumq; revolue
Egregii ANDREÆ laudes, dignataq; cœlo
Facta libens, aram tu illi statuamq; dicâsti,
Quæ Vaticana insignis spectatur in ade.
Nos dabimus vena ductos è paupere versus.
Quod poterit, det quisq;, est & sua gratia parvis.
Sustulerat cœlo victor se Christus opimis
Insignis spoliis, princeps Acherunte recluso
Clara triumphatæ referens insignia mortis:

Lustra-

Lustrarat q̃ suos sancta cum matre sodales
Munere linguarum, & promissi flaminis aurâ.
Conveniunt paucis post illa expleta diebus
Magnanimi heroës. Petro indicente senatum,
Tum monstrante Deo, quæ sit provincia cuiq;
Demandanda, agitant, sacri quam semine verbi
Conferat, atq; viam populis præpandat Olympo:
Et sparso intrepidus testetur sanguine Christum.
Ergo alias alii: Thracam, Illyricumq; Getasq;,
Perpetuis nivibus glacieq; informia regna,
Suscipit Andreas: quanquam illi plurima frontem
Ruga arat, & seros canum caput indicat annos.
Sed stimulat, viresq; suis amor ipse ministrat.
Vade, ait, & lacrymis vultum illius q; suumq;
Irrorat, Petrus, vade ô charissime, qui me
Deduxit ad Christum primus, germane, meiq;
Vive memor, memor usq; tui vivam ipse vicissim.
Qui tibi caussa vitæ est, idem tua cœpta secundet.
Ingeminant eadem hæc alii, fletuq; madentes
Amplexi inter se, felicia cuncta precantur.
It senior, Christumq; unum, quacunque gradum fert,
Prædicat: hunc unum cunctis in vota vocandum,
Exitio mentita suis cultoribus esse
Numina: ab uno hominum Christo pendere salutem.
Irrident alii, motaq; hæc mente putantes
Delirare senem, sputo saxisq; sequuntur;
Sunt etiam qui vincla parent, pœnasq; minentur
Turbanti veterum cultus & sacra deorum.

Sunt tamen & quorum tetigit præcordia Christus,
Qui veterum fœda errorum caligine pulsa,
Attentas monitis præbent cœlestibus aures.
Ille fide primum, sine qua nil cætera prosunt,
Summa docet capita, & sancto connectit amore.
Tum jussos sperare, salubribus abluit undis:
Imponitq; manus, & sancto flamine firmat.
Accedunt extemplo alii, & socia agmina jungunt:
Sic quondam latis Cerealia semina campis
Cùm spargit, plenaq; manu diffundit arator,
Pars cadit in cautes, succoq; carentia saxa,
Pars leviter terræ nullis radicibus hæret:
Atque illam volucres rostris populantur acutis:
Pars etiam in sulcos, atq; ipsa in viscera fertur
Telluris, gremioq; illic concepta tenaci
Fruge nova dominos opulentat, & horrea complet.
Odrysios tandem in fines, adoperta pruinis
Arva, bipennifero quondam regnata Lycurgo,
Pervenit, & torvæ durissima pectora gentis
Insoliti tamen eloquii dulcedine mulcet.
Conveniunt flaviq; Getæ, pictiq; Goloni,
Quosq; impesta vagis agitat domus annua plaustris,
Cornipedisq; sui solitus potare cruorem
Sarmata, quasq; alias sinuosa binominis Istri
Ripa vehit gentes, rigidis corda obsita setis,
Paulatimq; truces animos, eduraq; ponunt
Corda volente Deo, & moniti meliora capessunt.
Editus his ipsis olim regionibus Orpheus
Creditus est cantu liquido, fidibusq; sonoris

Et rabiem dempsisse feris, & sistere jussis
Fluminibus, silvas post se traxisse sequentes.
Verior hic Orpheus, homines qui vivere rapto
Assuetos, solisq; sibi jus ponere in armis,
Quosdam etiam cæsis, feritas horrenda relatu,
Hospitibus vesci, & sectos in grandia frustra
Aut torrere veru aut mollire teventibus undis,
Taliaq; obscœnis imponere fercula mensis,
Impulerit fando ritus abolere nefandos,
Et prius effera colla jugo submittere Christi.
Iamque Borysthenios fluctus, nitidumque Dyraspen,
Quiq; Europæis Asiam disterminat arvis
Multifidum Tanain, teq; ô saxose Cynapos,
Queq; alia ex alta spectat piger arce Bootes,
Plurima nunc ratibus, nunc pervia flumina plaustris,
Illa sacrum Christi pervaserat omnia nomen.
Unum omnes Christum ripæ, unum antra sonabant.
Cùm senior, Sat jam his inquit, regionibus actum.
Perficiet, quod deest, qui perficit omnia, Christus.
Quæramus nova regna. odit victoria segnes.
Substitit hæc fatus paulum. dein lumina cœlo
Attollens, sequor ecce, sequor quocunq; vocaris,
Tu modò præsenti mentem mihi numine firma.
Sic fatur, gressumq; ad Achaica dirigit arva,
Multa movens animo, sanctus comitatur euntem
Spiritus, & robur fessis senio artubus addit.

Reliqua desiderantur.

EIUS-

EIUSDEM.

AD GREGORIVM XIII. PONT. MAX.

Qui tibi ab Eoo repetitas littore conchas,
Divitiis aut auri pondera multa ferat:
Illum ego scire negem, quæ tu Pater optime, dona
Longè auro & gemmis antefer enda putes.
Una tibi virtus, virtus in amoribus una est,
Vera & virtutis gloria vera comes.
Ergo ut amans tabulis dominæ referentibus ora
Gaudet, & ante oculos semper habere cupit:
Sic te expressa juvat veræ virtutis imago,
Nec tabula est oculis gratior ulla tuis.
Tale igitur munus tibi nunc Picolominus offert,
Senensis præsul gloria prima soli:
Bisseno Æneæ conclusa volumine facta
Pontificis verè nomine req; Pii.
Qui virtute olim sedem provectus ad istam,
Ad quam eadem virtus te Pater alme tulit,
Ingentes toto compescuit orbe tumultus,
Et placida reges fœdere composuit,
Hortatus bellum Christi convertere in hostes,
Atq; Asiam illorum faucibus eripere.
Ad quæ se accingens magno molimine cœpta,
Multa bonis frustra flentibus, occubuit,
Forsan & hanc Christus, Princeps ter maxime, laudem
Servatam in tempus distulit usq; tuum.

Thra-

Thracius ut tandem posita feritate tyrannus
Colla tuis ultrò subjiciat pedibus.
O ita sit: cumuletq; tuas hæc gloria laudes:
Gregorii hic titulis adjiciatur honos.
Interea hæc placido vultu cape munera, eiq;
Qui tibi summissus porrigit illa, fave.
Ille Pii, ut nosti, genus alto è sanguine ducit;
Nec vixit priscis inficiandus avis:
Plurima sed tractans & maxima munera, semper
Se culpis expertem omnibus exhibuit.
Nunc exacta ætate illud sibi postulat unum,
Ut se haut ingratum sentiat esse tibi.

EIUSDEM,

AD DOMINUM ZAMOSCIUM POLON. CANCELL.

BIna mihi artifici celata nomismata dextræ
Magnus ab Arctoo misit Zamoscius orbe
Aurea, non vani memorabili pignus amoris,
Sæpe meo optatos animo referentia vultus:
Magnanimi primùm regis, quo Martia gaudet,
Quoq; caput cœlo ductore Polonia tollit.
Aspicis, ut latè veneranda coruscat imago,
Cunctaq; diffuso circum loca lumine complet?
Non ea vis auro: nec per se lamina lucet,
Nec radiat rutuli nativa luce metalli:
Maius ab impressa sed ducit imagine fulgur:
Atq; ipsum STEPHANI sacer aurum vultus in-

aurat.

Con-

Contemplare acresque oculos frontemque verendam,
Et dignam imperio faciem, dignamq; triumphis:
Ut sese omni ex parte animi vis vivida profert,
Degenerem luxum mollesq; exosa paratus:
Ut spirat generosum, ipsoq; videtur in auro
Regales agitare imo sub pectore curas,
Exitium Turcis, meditari & vincula Moscho?
Hic vir, hic est natus virtuti & fortibus ausis:
Cui duo tota pares alios si Europa tulisset,
Thracius haud ultra nobis illuderet hostis,
Sed profugus toto latebras sibi quæreret orbe.
Altera lamna loco pariter mihi grata secundo,
Subjicit ante oculos auctorem muneris ipsum,
Cuius conveniens meritis imponere nomen
Qui velit, invicti Regis vocitarit Achaten.
Hinc te igitur, tua mi propius quando ora tueri
Non licuit, cupidumq; isthæc invisere Regna,
Pontificis tenuit non detrectanda potestas:
Zamosci magne aspiciam, & persæpe nitenti
In te defixam solabor imagine mentem.
Zamosci, per quem Marti sociatus Apollo est,
Qui decora heroum accumulans, & Nestora dulci
Eloquio exæquas, & forti pectore Achillem.
Et leges armis firmans, & legibus arma,
Victricem laurum pacatæ intexis olivæ,
Arbiter idem almæ pacis, belliq; minister
Impavidus, laus egregii propria UTRAQUE CIVIS.
Salvete ô animæ fortes, incoctaq; honesto

Pecto-

Pectora: & ignavo non pervia corda timori.
Vos ego, quantum ævi dabitur, super ardua cantu
Astra feram, nunquam reticens vestra inclyta facta,
Facta aliis, queis nomen idem, sed non eadē est mens,
Aut animos facturа, aut incussura pudorem.

EPICEDION
IN
MARCVM ANTONIVM MURETVM.

VIRUM SUÆ ÆTATIS SINE CONTROVERSIA ERUDITISSIMUM; scriptum eo ipso die quo elatus est, Nonis scilicet Junij anno M. D. LXXXV. in summo animi dolore & dictum in schola Rhetorices auditoribus suis à P. Francisco Bencio Societatis Jesu; inter quem & Muretum, multa extiterunt mutuæ caritatis argumenta.

NAM quid dissimulo? quid concita corda tumultu;
Mendax fronte premo? lacrymas quid in ore notantes.
Mergo? quid misero non rumpo pectora questu?
Flebimus; est quædam mœrenti flere voluptas.
Quis scit an & nostrum doleatis forte dolorem?

Heu

Heu dolor immensus, minor ô quàm causſa dolendi,
Tuq́ dolore minor luctus, quid tenditis ultra?
Heu quid certatim conſcinditis hoc miſerum cor,
Cor lacerum, cor luctificis inamabile curis,
Cor ſi cum, cor luminibus cupientibus ullas
Ferre negat lacrymas, & iniqua mente reſiſtit.
Nam cur largifluo non manant omnia fletu,
Cur tonat interius pectus modò turbinis inſtar
Quem clauſere cavæ penitusq́ hauſere caverna?
Nec licet indignans, cæco de carceris antro
Evomit undiſonas lachrymas fractoq́ remugit
Murmure, & horrifico ſe rumpit ventus hiatu.
Muretus perit, heu periit Muretus, & omnes
Divitias linguæ ſecum abſtulit, abſtulit omnes
Delicias Muſarum, & amicas mentibus artes
Ingenuis, quicquid Graiis, quidquidq́ Latinis
Condiderant veterum cartis monumenta virorum.
Nam ſeu Socraticis ſermonibus appulit aures,
Sive in Academi lucis, ſeu forte Lycæi
Dulcibus alloquiis lata ſpatiatus in umbra eſt:
Proximus à primo ſemper fuit, ilicet ille
Sicut apis flores & rura halantia circum
Omnibus è pratis decerpſit ſingula libant
Dulciaq́ è foliis expreſſit victor amaris
Mella, quibus priſco collectum nectar Hymetto
Mirata eſt noſtra atq́ omnis mirabitur ætas
Sive etiam ſacri pandentem oracula juris
Seu morum officia & vitæ laudanda docentem
Munera, & omnigenis dulces è fontibus hauſtus

In-

Instillantem animis & grandia verba tonantem
Fluminis in morem vel cœlo fulminis acti.
Audiit ipsa sui pendens jam civis ab ore
Gallia, mox etiam Italia & Mauortia Roma
Æmula cognovit Marci, Marci aurea verba.
Is nostram super ætatem, propiorq; vetustæ
Ire videbatur, veterumq; retundere fastus.
Heu quoties illum plausus populiq; patrumq;
Dicentem excepit, nimiumq; libentibus hausit
Auribus. ille quidem magnorum nomine regum,
Pontifici summo gratatus sæpe liquenti
Purius electro eloquium profudit ab ore,
Montanis nivibus niveoq; simillimus amni,
Ille Pii dudum mœstissima funera Quinti,
Mox Caroli funesta tui fera Gallia Regis
Atq; Tolosani Foxi sollemnia justa
Debita deflevit duri solamina casus;
Ille etiam immanes Turcas cum contudit armis
Classis Christicolum & victrix dare terga coëgit,
Altaq; constravit trepidantibus æquora Pœnis
Lætitia ingenti & magnis clamoribus implens
Hanc urbem; Romæq; decus columenq; Quiritum,
Extulit ad cœlum divina laude Columnam.
Quid cum etiam nuper (vox ô Cygnea, tenet jam
Nunc etiam mentem, & dulcis sonus occupat aures)
Ad Vaticanum, patribus quos purpura velat
Hortator fuit, ex alto velut æthere missus
Pontificis formam evoluens & munera summi, &
Quem legere ipsi descripsit pœne legendum.
Nec modò Roma tibi, Muretus cognitus ille,

Quem veteris ſpecimen linguæ morumq; tuorum
Admirata tuis adjungis civibus ultro.
Unde etiam attonſum fers triſti fronte capillum.
Senſit eum, caput Oceano quæ flammivomus ſol
Exerit aut condit tellus, quæcunq; peruſta
Sole rubet, quæcunq; gelu nivibusq; rigeſcit.
Certe illum & bello & paci nova gloria, rector
Sarmatidum Stephanus, regnum quod protulit armis
Augeat ut rerum doctrinarumq; repertis
Muneribus magnis exitum accerſiit olim:
Et traheret ſi non Romani amittere cives
Hunc veriti ſanctiusq; Parens migrare parantem
Et monitu & precibus tenuiſſent. Hei mihi dicam,
Dicam aliquid, dolor invito de pectore voces
Elicit, ipſe etiam hortando & fortaſſe monendo,
Pars non magna fui. Quid enim meus ille Magiſter
Quid pater ille meus, nam ſera ætate creatam
Me ſibi jactabat quondam, quid filius eheu
Filius? ut Patrem tu me Murete colebas
Idq; etiam præ te ſemper deflende ferebas.
Ipſe ego te contra dulci certamine Patrem
Dicebam, te quando hiemes certo ordine ſeptem
Audii inexpletum diſcens & ſedulus aure
Dicta bibi, quæ poſt tenui mihi fluminis alveo
Effluerent, parvæ ut poſſent adoleſcere ſilvæ
Muretumq; omni Muretum fonte ſonarem.
Ipſe mihi ſenſus animi curasq; latentes
Conſilio & dicta & facta heu dilecte ſolebas
Credere, quæ ſtudio tegerem commiſſa fideli.

Sed

Sed quamvis persæpe dares mihi commodus aures,
Et morem, ut fatear, gereres persæpe monenti,
Non tam omnino tu nostra es dicta sequutus.
Nam quoties quoties ignavi nescius oti
Pervigili studio noctesq; diesq; trahebas,
Ipse laboranti contra vigiliq; quietem
Præteritiq; memor suasi, metuensq; futuri.
Nunc verò infelix vates verissimus augur.
Quid quod & urgenti tandem vergente senectæ
Edere curares quæ cunctis edita prosint,
Ex utriusq; opibus poteras quæ plurima linguæ,
Tu tua non facies magni, quæ maximus orbis
Attonitus colit & poscit, sermone modesto:
Spem tamen haud omnem eripiens, plerumque negabas?
Multa quidem sunt à Mureto & magna, sed ipsa
Credite plura adeo nec sunt fortasse minora
Quæ jam jam affecta aut potius confecta volebat
Promere, & ante diem, ni deesset vita, volebat.
Ante diem moritur, qui viveret utilis orbi,
Nec dum etiam bis tricenos expleverat annos.
Mitto ea quæ calidæ abreptus fervore juventæ
Quorum & pœnituit, fudit juvenilia, namq;
Vera loquor, velut immaturo tempore fœtus
(Nec satis ille pios dicebat providus à se
Expulit expungens, quod præfert pagina nomen,
Certus enim & fluvio & rapidis committere flammis.
His missis, quantum ô puro sermone Terenti
Et quantum ô Tulli, quantum ô Venusine Potëa

Et Tacite & Seneca & sinuosa volumina juris
Spissum opus & propriis innectens vincula vinclis,
Quantum illi doctæ debes doctissime gentis
Doctor Aristoteles? latio sermone loquentum
Quem fecit, nostroq; etiam nonnulla rogatu
Ferme opus extremum. sed quis numerare potis sit
Omnia quæ pulchris apparent ilitta cartis?
Nam quid carminibus memorem laudesq; virorum
Et sanctorum alta cœli quos Christus in aula
Exhilarat vultu? Tiburtinumq; recessum
Quem Pater Hippolytus priscorum æquavit honori,
Magnaq; quæ pueris, tantus vir, condita versu
Argolico præcepta dabat versuq; latino;
Sunt pueris præcepta, viri quæ implere docendo
Lætentur, metuant non discere. Magne Tuane
Felix morte tua, cui tanti nominis auctor
Obtigit ut grandi celebraret carmine vitam.
Tantum ille & versu poterat, Tu Mantua testis.
Sanctorum ad laudes Mureti dulciter hymnos,
Scilicet in templis sacra inter munera cantas.
Lauretana domus testis, cui nobile carmen
Quod sacratum olim vates pius edidit, audit
Orbis, & hæretica haud potuit contemnere pestis,
Anne etiam memorem variarum illustria rerum
Doctorum contrita manu monumenta, lepore
Aspersa egregio, qualem non Itala tellus
Ni fallor, nec fallor enim, gustaverat unquam?
An ne etiam ad caros olim quæ scripsit amicos?
Sed quid ego hæc memorem nostro quæ cognita sæclo
Postera laudabunt, & noscent secula dum se

In

In mare præcipiti devoluent flumina lapsu?
Dicam ea quæ multis incognita, nec mihi soli
Cognita, cùm certos liceat producere testes.
Proh quantum amittis Stagiræ civis, & omnis
Historiæ princeps, Plato quantum tu, quoque, quantum
Thucydide & Livi, & Xenophon & grandis Homere?
Proh quantum legum rudis indigestaq; moles?
O Tulli, ô Crispe, ô Plini, ô lenissime Cæsar
O qui multarum pandis miracula rerum,
Atq; virum historias & vitas scribis & omnes
Instruis officiis Plutarche & moribus ornas.
Deniq; quoscunq; est oculis dignatus & alto
Ingenio auctores, quantum amisistis in uno?
Ille quidem maculas tergebat & abdita sensa
Exponebat, uti foret ad consulta vocatus
Quilibet ut calamo mentem commisit & arti.
Sed quid ego hæc miser? Infelix amittere majus
Quid potui? in me omnis cecidit collapsa ruina
Et prope sum tantæ cumulatus pondere molis.
Illius haud fruar alloquio, lucemq; morantem
Et matutinas consumens dulciter horas
Atq; inter risus delibans seria dicta.
Hæc Murete unum Franciscum incommoda tangunt
Bencium, & agnoscit lacrymans, lacrymabilis idem
Quid merito doleat, quantumq; amiserit heu.
Nam tibi jam tandem requies concessa laborum.
Quippe sacerdotem, ut spero, majora parantem
Ex animo Christus perpendens facta, sacerdos

Maximus, ætherio in solio considere jussit;
Redditus & merito socium te adscivit Olympo.
Roma sacerdotem te nonum viderat annum
Atq; sacerdotum tibi rector & arbiter orbis
Poscenti veniam Xistus concessit abunde,
Nec lacrymas tenuit, quin & miseratus euntem est.
Nec minor ex isto spes est, quod tu omnibus armis
Instructus, cœli consors ecclesia quæ dat
Militibus ceu victor abis: quod publica Xistus
Commoda quæ tribuit proprios convertis in usus.
Quod jam jam Christi satiandus corpore, coram
Omnibus ad sacrum obsequium, qui accedere, quiq;
Visere te poterant, multum lacrymantibus ultro
Insignis pietas nullum reticenda per ævum
Tam raro exemplo famulos quos munere largo
Ditasti, & partem haud meritos, veniam petis, autor
Consilii Deus ipse fuit, noctemq; diemq;
Quod vidi, hoc tantum consumptum munere vocis,
O Deus, ô Christe, hunc anima fugiente vocabas
Hunc agitans animo singultibus interruptis.
Et tamen hæc inter, memini & memorare decorum est
Omnia cum memorem fugissent avia mentem,
Vt tua luminibus fixisti lumina nostris
Quem dudum oraras ne summo in tempore deessem
Me me cognosti & voluisti dicere Patrem.
Deservit prior heu conantum syllaba linguam
Atq; pa, pa, tantum profers & brachia pandis

Heu

Heu dolor; hinc tandem luctatus tempore longo
Spiritus invito de corpore decedebat:
Et pulchrum vultu placido lætumq; reliquit.
Hinc verò ad templum trino quod numini & uni
Addictum celebrant Galla de gente sodales
Quos coluit semper donisq; ingentibus auctos
Quos voluit moriens, dum plures ordine cœtus
Funereas de more faces longo agmine portant,
Alternantq; preces, sollemni funere fertur.
Filius hunc fratris rerum & cognominis hæres
Prosequitur longè procerum comitante caterva:
Iam Murete vale, vale ô Murete, sequar te.
Duximus exequias, & vitam ducimus, heu
Te sine vita gravis, sine te sine mente relinquor.
Egregii juvenes vos, ô mea maxima cura
O vestri memores generis miserescite vestri,
Cui sum absceſſit, nec opina morte, magister.
O ego si possem nostros auferre dolores
Carminibus, nunquam facerent hæc carmina finem,
Sufficeretq; dolor lacrimas, lacrimæq; dolorem,
Et quantum est vitæ, quantum est in corpore robur
Efficerem ut Mureti, orbis me nosset amantem
Atq; animi audiret testantem vulnera fletu.
Sed dolor haut ponit vires, crescitq; medendo
Crudescitq; magis; nec desit causſa doloris.
Muretus periit, revocari funera longo
Haud possunt fletu, at lacrymæ & testantur amorem
Et desiderium prærepti pignoris ingens.
Quod mihi si liceat superis extollere molem

Atq; tuis Murete æquam virtutibus, addam
Hæc etiam æternum ut scribantur verba sepulchro.
Muretus jaceo hic: precibus me attolle viator.
Gallia me genuit. Veneti florente juventa
Excepere, virum venerata est Roma, senemq;
Corpus humi, ingenium inscriptis, mens sedet in astris.
Hocq; ipso claudam lugubres omine cantus.

PHILIPPI POELARII BRUGEN. FLANDRII. C.

IN OBITUM ERUDITISSIMI ORNATISSIMIQUE VIRI M. ANTONII Mureti Poëtæ atq; Oratoris optimi, elegantissimi omnium Philosophi, Juris interpretis prudentissimi, atq; omnis antiquitatis bene periti, civis Romani, præceptoris ac patroni optimi.

ROMA diu felix insuetos edere questus
Incipe; Roma novis mœrens ululatibus adde
Lamenta, adscriptum nam fata immitia civem
Eripuere tibi, qualem vix prisca tulerunt
Secula, seu Decios numeres clarosq; Camillos,
Facundo doctos seu cum Cicerone Catones,
Roma fleas studiisq; tuis qui favit, & auxit
Teq; tuosq; diu, ne possis barbara dici
Qui fecit vigili cura & conamine miro.

De-

Deseruit terras, doctissimaq; ora quierunt
Quæ Phœbi merito poterant oracula dici.
Heu quonam blando vultus condita decore
Majestas abiit? quonam facundia? quonam
Quæ ornatæ magnis fuerant virtutibus illæ
Illæ, inquam ingenii dotes? Prudentia quonam?
Muretum, cur non servastis dicite Musæ?
Arpinis cuius laviſſe liquoribus ora
Phœbum non puduit ſophiæ cui tradidit artes.
Quemque manu apprenſum bifidi per culmina montis
Musæ duxistis, monstrantes vertice ab uno,
Immenſos latii campos, felicia rura,
In quibus indomiti luſit præceptor amoris,
In quibus ipſa ſuum ſpatiari Mantua gaudet
Doctiloquum civem, gaudet Verona Catullum,
Verſibus ornarunt & quot quot Tybridis undas;
Monſtrantes alio, puro de vertice, largos
Grajorum campos, quos aurea copia veſtit,
Frugibus & lætis ubi vatum & fronde coronat
Tempora; Nam Andinum puer hic conſpexit Homerum
Aſcræiq; ſenis decoratag; frondibus ora,
Eſtq; cothurnati hic miratus carmina vatis,
Thebaniq; lyram, lyricum non ultima Vatum
Pars fuit, heu mœstæ lugubria dicite Musæ
Carmina; Vosq; novi lacrymis urgete ſepulchrum
Muretivates; cur illi illuxit Apollo
Naſcenti? Argolici quem non facunda Periclis
Fulmina terrebant? immites dicite parcas

Turba oratorum, cuius pendebat ab ore,
Purpureus summo fasces moderante senatus
Gregorio, Orator, superas concessit in auras.
Nondum prima genas flore exornabat opaco
Ætas, cùm teneram majoribus applicat orsis
Mentem; sanctarum sinuosa volumina legum
Aggreditur, discitq; reos servantia Iura,
In quibus ipse brevi tantum profecit: ut illum
Admirarentur cani præcepta magistri
Tradentem, cura vigili sed lubrica cuncta.
Cernit ut immani tua clara Lutetia tecta
Ardere heu belli studio, nec Palladis artes
Florere ut solitæ fuerant, Phœbiq; remissum
Ardorem & sacras expulsas urbe sorores,
Mavortisq; feri turbari Gallica sævis
Rura armis, fictum ramum prætendere olivæ
Infestas furias, iterumq; iterumq; redire
Sacrilegi adversus Musas fera tempora belli
Ornatura ducum Musis invisa triumphos,
Heu sedes animosa tuas Patareus Apollo
Gallia, cum castis tua tecta sororibus, una
Muretum abducens liquit, non ipsa relinqui
Digna erat, Aoniis nam fecerat ocia Musis
Altrix præstantum semper facunda virorum
Gallia; Pegaseis posset locus esse puellis,
Hîc ubi quæ ipse chori princeps dictavit Apollo
Tisiphone ventis & nubibus irrita donat?
Ergo Muretus, fidei non infima nati
Absens absenti officia exhibiturus abiuit,
Iam Rhodani celeres cursus superaverat & te

Magne

Magnẽ Garumna, tuos fluctus post terga relinquens
Cum Phœbo, nec eum natalis linquere terræ
Dulce solum piguit, Venetum delatus in oras,
Ad Phaëthontei pervenit pinguia lassus
Rura Padi; laceris quærens grata ocia Musis.
Eloquii hic igitur clari dare signa coactus,
Scire etenim nostrum nihil est nisi nos sciat alter
Scire, haud exiguas vires in carmine monstrat,
Seu canat aurata heroos testudine versus,
Seu moveat lyrici modulantia crnsmata plectri.
Talem olim referunt miro modulamine dura
Saxa chely movisse & nigras carmine silvas
Ismarium Vatem & sævos traxisse leones.
Obstupuit præceps miratusq; Adria pulchri
Oris & ipse decus mistum & gravitate pudorem.
Hunc etiam virides circum delphines in undis
Adnarunt, parvarate dum ferretur in Urbem,
Quæ caput antiquum mediis è fluctibus effert.
Hanc colere & vidit bene religionis honores
Florere & divæ hic laqueataq; surgere tecta
Astrææ, clari cui immensis sumptibus altæ
Cives marmoreis statuerunt fulta columnis
Templa, deam sacris mactames ritè verendis.
Cuius consilia antiqui moderantur habenas
Imperii paribus quibus est respublica curæ
Auspiciis, regere atq; suos defendere cives.
Hic igitur placuit Mureto figere sedes.
Eloquium cuius Veneti mirantur & ora.
Non aliter Graij celebrant Demosthenis oræ
Cujus Palladiæ tonitru decorantur Athenæ.

Ex

Extemplo Ausonias velox it fama per urbes
Gallum hominem Latias doctum graiasque Camœnas
Errantem venetum vulgans in littore castis
Nutritum à Musis, cui Pallas tradidit artes.
Nec mora qua trifido Dives Ferraria floret
Cincta Pado, pernix cunctis velocior Euris
Læta volat, pictis turrita palatia pennis
Intrat, Mureti cupido devincit amore
Estiadum mentes; inter quos maximus ille
Hippolycus, qui purpurei & fuit ipse senatus
Gloria, qui Phœbo claros extruxit & hortos
Musarum choris, gelida qua Tiburis unda
Labitur, exornans pomaria mille figuris.
Solus eo suetus miseris facere ocia Musis
Tempore; Muretum accersit, quem munere largus
Donatum largo, grata requiescere in umbra
Vatibus ut quondam Mecœnas fecit: at ille
Hinc, majora agitans cœpit sub principe tanto
Divini ingenii maturos edere fetus
E quibus ut duro fulvos ex ungue leones
Noscimus, est notus. claram hinc accitus in urbem
In septem geminis consedit collibus, una.
Seu quæ in Cimmeriis tenebris natura latêre
Abdita vult, tanto solers interprete gaudet,
Muretus celsi recolens spatia alta lycæi,
Seu docet instabilis vitæ præcepta regendæ;
Seu tradit claram clari Demosthenis artem,
Seu docet auxilium oppressis præbentia Iura:
Sic omnes alios liquit post terga magistros,

Uni-

Unius ut docto solum penderet ab ore
Non modò quæ ingenio claret Romana Iuventus
Quæq; suam queritur sublatam Gallia prolem;
Purpureiq; Tagi & latices qui jactat Iberus.
Danubium & te Rhene bibens, Germania dives.
A locuplete Tago Romam ut delatus Iberus,
Historici quo clara Titi olim cerneret ora:
Sic desiderio Mureti Gallus in urbem
Venit, & ipsa suos natos Hispania misit
Pannoniusq; ferox & flava Britannia prolem.
Venêre audaces in mutua vulnera Belgæ,
Inter quos dulcis patriæ solabar in urbe
Mureti auxilio castis gratissima Musis
Rura relicta. nihil superest, nunc omnibus orbo
Ah sine te Murete mihi nil urbis in urbe est,
Ah silet ipsa chelys quam tu laudare solebas
Nunc mea; Nam lachrymans querulis si forte quid audet
Versibus, ah solum tua tristia fata recenset.
Non tantum patriæ me turgida prælia curis
Exagitant, quantum meme tua funera turbant.
Perdita nec tantum jam nunc mea commoda torquent
Me, quantum ipsa ferunt hei publica damna doloris.
Pluscula vixisses Antoni tempora, summus
Ipse tuæ Sixtus claros tribuisset honores
Virtuti, sanctus quem Petri in sede locavit
Spiritus; extrema sacrum dum voce senatum
Exhortarêris. nimium sed iniqua negarunt
Numina; Quin renovas violentos ira dolores?

A

At nihil hic tristis luctus, nil proficit ira.
Nam nil perpetuum varia sub lampade lunæ.
Haud ulli tetricæ didicerunt parcere Parcæ.
Quare age Musa modos, & tristia carmina siste,
Ultima dic bona verba, nefas contundere planctu
Pectora; Roma tibi non fas lugêre Beatos.
Ille tuus civis radiantibus additus Astris,
Credita Muretus sperataq; gaudia carpit.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666/phys_0652
DFG

NOTE QUEDAM IN ORATIONEM i. DE THEOLog:

Vol: i.

1 Nobili olim Sophista apud Hannibalem] Phormioni videlicet, Nam cum Hannibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum exul venisset, progq eo, q eis nomen erat magnum apud eos gloria, invitatus esset ab Sophistis suis, ut eum, quem vis, si vellet audiret: cumq se non nolle dixisset, locuty ea dicty causa copiosq aliquot horas de imperatoris officio et re militari: Tum cum ceteri, q illum audierant, reverenter essent de lectati, quaerebant ab Hannibale, quanam ille de illo philosopho iudicaret. Hic Pang non optime exercitu sed libere tamen respondisse fertur: Multos se deliros senes saepe vidisse, sed q magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem, Negq meherle iniuria. Quid aut arrogantius, aut q quaecty fieri potuit, quam Hannibal, q tot annos de imperio cum populo Romano gesserat certissimum victore certassel: Graecum hominem, q nunq bellum unq castra vidisset, nunq Romq minimam partem illius publici muneris administrasset, praecepta de re militari dare? Vide cic: lib: 2. de oratore.

2 Est nunc Lucianus] Lucianus samosatensis professione Sophista vixit sub Aurelio imperatore, patrio Clavisidius Antiochia, quia tum est male cessisset, se ad scribendum contulit, tanto et tam impiis impietatis ut deum tanq parum et tritum Numen quotidie irrisisse. Sua a. impietatis dignas persolvit penas; a canibus n. postq rabiem suam, contra veritatem exercuisset, laniatus miserrime interiit.

3 Hic adulterio] talis Babylaniorum apud Herodotum fuit lex: Egyptiorum Isaac legem fuisse Varro de re rustica libro. cap: 10. scribit, qua Virginibus nubenti annonum fuerit integrum ante nuptias, q vendat, quia

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666/phys_0655
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666/phys_0656
DFG

V.37. Sequor hic S. ita legit:
Amor extorqueri non potes. G. & H.
omittunt. *Sed.*
V.41. G. *Amor otiosæ*
V.47. F. *tuta ingredi.*
V.51. Martinus libr. *Acuit in-*
tensio, frangit animum ten-
V.53. H. *Aspicere oport* *rdere.* m. f.
F. vitiosè. *Aspicere oport* *ere.* Neque
improbo lectionem S. *quod possis*
deperdere. Quem versu *a*, D.
V,54. Secutus sum *literis le-*
gitur. sed sanandus est *tedus: A-*
stutè crines, dum celantur, Et illico
subjungit lectionem al *estigiis m,*
f. codicis eruit: *Astu can* *, ætas in-*
dicat. At mox corrigit *dum celant,*
ætas indicat. Neque hi *ultimo sic*
tentat: *Astutè dum celatu* *quam ul-*
timam lectionem Her *us sequi-*
tur, eam tamen conjec *ci ita cor-*
rigit.
Astu crimen celatur, æta
Scaliger hoc modo hab *optimam*
Ætas cinædum celat, æta
Facile ex his pruden *rectum fa-*
lectionem.
V. 60. S. *Avarus, nisi*
cit.

V.62.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778723666/phys_0657
DFG